DISPVTATIONES

IN ARISTOTELIS LOGICAM,

PHILOSOPHIAM NATVRALEM, ET METAPHYSICAM.

In tres tomos distributæ.

TOMVS SECVNDVS

In quo examinantur difficultates omnes, quæ spectant

AD PHILOSOPHIAM NATVRALEM,

Et iuxta eximiam S. Thomæ Doctrinam resoluuntur.

AVCTORE

P. D. ANTONINO BOTTO

CONGREGATIONIS SOMASCHÆ

Sacræ Theologiæ Professore.



GENVAE, M.DC.LXXI.

Ex Typographia Antonij Georgij Franchelli.

Superiorum permissu.

APPROBATIO ORDINIS.

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis Clericorum Regularium Congregationis de Somasca.

CVM, ex mandato nostro duo nostræ Congregationis Theologi Philosophiã naturalẽ P. D. Antonini Botti Sacerdotis professi eiusdem Congregationis recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, Tenore presentium facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos spectat, videbitur. In quorum fidem, &c.

Datum Papiæ in Collegio S. Maioli die 13. Iulij 1670.

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis C. R. Congregat. Somaschæ.

D. Antonius Barianus à Secretis.

APPROBATIO.

Ex commissione Reuerendiss. Patris Inquisit. Gen. Genuæ.

EX commissione mihi amabiliter demandata à Reuerendiss. P. Inquisitore Genuæ P. F. Sixto Cerchio Sacr. Theol. Professore, Opus Philosophicum per omnes eius partes ab A. R. P. D. Antonino Botto Congregationis Somaschæ elaboratum, non sine peculiari

meæ

meæ mentis Iubilo perlustraui. Fateor equidem, me hucusque in tot annis speculationibus addictum, nullum D. Thomæ perlegisse Discipulum, qui cum tanta eius Doctrinæ sinceritate de omni veritate Philosophica claré, abundanter, & profundè pertractauerit, cum quanta prædictus Auctor toto ingenij acumine præditus in præsenti opere se prodit in lucem. Proponit Fidelissimus D. Thomę Discipulus inoffensa Fide, & ideò nulla censura dignus, omnibus Thomistis Philosophicam vtique, sed Auream (vtor D. Petri Damiani verbis) Tabulam, cui quasdam veluti margaritas, asserta infixit Thomistica; Quapropter, vt ad publicam nedum vtilitatem, sed ornamentum, inoffensa itidem luce præfulgeant, Typis digna in omni parte censeo. Datum Genuæ in nostro Collegio S. Mariæ de Castello Ordinis Prædicatorum die prima Nouembris 1670.

Fr. Thomas Maria Gioui S. Theol. Magister Sancti Offic. Consult. & in eodem Conuentu Theologiæ Lector Primarius.

Imprimatur attenta prædicta attestatione.

Fr. Sixtus Cerchius Inquisitor Generalis Genuæ.

1670. 12. Nouembris.

Imprimatur

Ex auctoritate Excellentiss. & Illustriss. Magistratus Inquisitorum Status.

Io: Franciscus Castagnola Cancell.

DISPV-

DISPUTATIONES IN NATURALEM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM.

PROEMIUM.

FINITA *Logicæ explicatione, naturalis Aristotelis Philosophiæ expositionem aggredimur: quia rerum naturalium cognitio, de quibus naturalis Philosophia agit, ad divinam Theologiam, Sacramq; doctrinam adipiscendam, mirificè conducit; juxtà illud Apostoli ad Rom.* 1. invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; *quod est id, ad quod in Christianis Scholis omnes anhelamus. Multæ autem Phylosophiæ descriptiones apud scriptores reperiũtur; Alii enim* sapientiæ amorem: *Alii* meditationem mortis: *Alii* artium artem, ac scientiam scientiarum, *Phylosophiam esse dixerunt. Verùm descriptiones istæ rem nullatenus explicant, ac penitùs obscuram relinquunt; quarè eis omissis, veram tradidit Damascenus in initio suæ Physicæ, quam collegit ex Arist. 10. Met. cap. 3. his verbis:* Phylosophia est cognitio rerum omnium secundùm naturas earum. *Cujus definitionis bonitas ex decursu totius operis patebit.*

QVOESTIO PROEMIALIS

Totius Philosophiæ.

An Phylosophia naturalis sit scientia? Vtrum sit speculativa? Quodnam sit ejus obiectum? In quas partes sit dividenda? Et utrum secundum omnes partes sit una in specie et homa.

1. DIcendum est primò, Philosophiã naturalem esse veram scientiam. Assertio hæc est Arist. lib. 6. met. c. 1. & lib. 11. cap. 6. D. Thomæ ibidèm, & omnium Philosophorum. Ratio autẽ est: quia Philosophia naturalis in his, quæ tradit, demonstrativè procedit: nam ostendit, materiã primam nullũ includere actum in ordine Physico, quia est pura potentia: mixtũ esse corruptibile, quia constat ex contrariis: ignem esse levem, quia habet paucitatem, & raritatem materiæ: terram esse gravem, quia habet multitudinem, & densitatem illius: & sic de aliis, ut ex toto decursu ipsius cõstabit: atqui ha-

bitus demonstrativè procedens, est vera scientia: Ergò Philosophia naturalis est vera scientia.

2 Dices: scientia est tantùm de necessariis, & perpetuis, & quæ aliter se habere non possunt: sed Philosophia naturalis nõ agit de rebus necessariis, & quę aliter se habere nõ possunt: agit enim de ente mobili, seu mutabili: ergo Philosophia naturalis nõ est sciẽtia. ¶ Resp. concedendo majorem, & negando minorem. Ad probationem dico, Philosophiam naturalẽ agere de ente mobili non in actu exercito, & quòad existentiam spectato, sic enim mutabile, & corruptibile est: sed in actu signato, & quoad sua prædicata essentialia, vel proprias passiones, sub hac autem ratione ens mobile necessarium est, quia necessariò conueniunt ipsi sua essentialia, nempe hoc quod est esse mutabile, aut habere in se principium motus.

3. Dicendum est secundo, Philosophiam naturalem esse scientiã speculativam. Ita Arist. lib. 7. met. c. 1. & lib. 11. c. 6. D. Thomas ibidem lect. 7. & omnes communiter. Probatur, Ille habitus, cujus finis est sola veritatis cognitio, est speculativus: at finis Philosophię naturalis est hujusmodi, nam Philosophia naturalis cognitionẽ rerum naturalium non ordinat ad opus, sed in earum contemplatione quiescit: ergo Philosophia naturalis est habitus speculativus.

4. Dices: Medicina est scientia practica, & tamen est pars Philosophiæ naturalis, cùm differat de aliquo ente mobili; agit siquidem de corpore humano, ut sanabili, hoc est, ut mobili ad sanitatem: ergo Philosophia naturalis non est speculativa saltem quoad omnes partes. ¶ Resp. concedendo, Medicinam esse scientiam practicam, cũ ordinetur ad opus, nempe ad remedia applicanda, aut præscribenda, sed negatur esse partẽ Philosophiæ naturalis, quia nõ agit de corpore ut mobili per naturam, de quo tantùm agit Philosophia naturalis, sed per artẽ ad sanitatẽ; & sic est sciẽtia distincta ab illa

5. Dicendum est tertiò, Obiectum totale, & adæquatum Philosophię naturalis, esse ens mobile, seu naturale completum, compositum scilicèt ex materia, & forma, quæ dicũtur natura. Assertio hęc est communis intèr Philosophos. Pro qua aduerto, ly *mobile*, in præsenti non importare potentiã, proximã sed radicalẽ ad motũ. Aduerto secũdò, Cõsultò dixisse, *obiectũ Philosophiæ esse ens mobile, seu naturale*, quia ens mobile, & ens naturale idem significãt; nam ens naturale idem est, ac ens habens naturã, ac proindè habens principium radicale motus, per quod natura definitur: ens autem habens principium radicale motus, est ens mobile radicaliter.

6. Assertio sic explicata probatur ratione: Illud censetur obiectum totale, & adequatũ alicujus scientiæ, ad quod quęcumq; in illa scientia ex instituto tractantur, per se referuntur, vèl tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates illius: sed tale est ens mobile, seu naturale in Philosophia; nam ea, quę in initio tractantur, nempe materia, forma, privatio, & causæ, sunt generalia principia ipsius. Motus vero, locus, tempus, &c. sunt proprietates ejusdẽm entis mobilis. Deniq; Celum, Elementa, cęteræque res inanimatæ, itemq; vegetativa, bruta, & homines, sunt partes subiectivæ illius: ergo ens mobile, seu naturale est obiectum totale, & adæquatum Philosophiæ naturalis.

7. Dices: Philosophia naturalis libro

bro octavo Physicorum etiam agit de Deo, ejusq; attributis: sed Deus, cùm sit actus purissimus,& simplicissimus, non est ens mobile, seu naturale: ergo ens mobile, seu naturale nō est obiectum adequatum totius Philosophię. ¶ Resp. quòd Philosophia naturalis nō agit de Deo nisi in quātum est auctor naturæ,& primum principium, à quo omnia entia naturalia moventur; undè non ratione sui, sed ratione entis mobilis, seu naturalis cadit sub consideratione Philosophiæ, ideòque ejus obiectum non ingreditur.

8. Dicendum est quartò, Philosophiā naturalem dividi in quatuor partes, quarū prima agit de ente mobili in communi: secunda de mobili motu locali: tertia motu generationis,& corruptionis: & quarta motu vitali. Est communis intèr Thomistas. Probatur quia scientia dividitur sicut res ipsæ, de quibus pertractat: ens autem mobile, de quo uti de obiecto adæquato tractat Philosophia naturalis, in quatuor illa partialia obiecta dividitur: ergo &c. De prima parte agitur in octo libris Physicorū: de secunda in quatuor libris de Cælo: de tertia in duobus de generatione, & corruptione;& in quatuor libris de Meteoris: & de quarta in tribus libris de anima. Agitur autem primo loco de ente mobili in cōmuni, postea de ente mobili ad locū, tertiò de ente generabili,& corruptibili, & ultimò de viventi, ut sic servetur methodus cōpositionis, procedaturq; ab uniuersalioribus ad minùs uniuersalia.

9. Quæres: Cur incipiendum sit ab universalioribus? Resp. quia rectus ordo procedēdi est, ut ab his, quę sunt nobis magis nota ad ignotiora accedamus; Nos enim quippè qui per discursum intelligimus, ex his, quæ novimus, ad ignota percipienda ascendimus: cùm igitùr uniuersaliora sint nobis notiora, quàm minùs uniuersalia, ideò ordine doctrinæ ab uniuersalioribus incipiendum est.

10. Dicendum est quintò, Philosophiam naturalem quoad omnes suas partes, prout scilicèt cōpręhēdit octo libros Physicorum, quatuor libros de Cælo, duos de generatione,& corruptione, quatuor de Meteoris, & tres de anima esse unam scientiam in specie athoma. Ità Franciscus Manca in præsenti dub. 5. concl. 4. Cosmas de Lerma q. 1. n. 5,& alii Thomistę. Probatur, quia unitas specifica scientiarū ab unitate obiecti, non in esse entis, sed in esse scibilis est desumenda: sed obiectum Philosophiæ quoad omnes suas partes, licèt in esse entis non sit formalitèr idem, in esse tamen scibilis est ejusdem speciei athomæ; nàm omnia entia naturalia, seu mobilia attinguntur à Philosophia sub eodē principio entis mobilis, & sub eadèm abstractione à materia singulari: ergo Philosophia quoad omnes suas partes est una in specie athoma.

11. Dices; diversa abstractio est in obiecto librorum de Celo, & in obiecto librorum de generatione; siquidem istud concernit qualitates sensibiles contrarias, quas non concernit, sed ab illis abstrahit obiectum librorum de Cęlo: ergo tractatus librorū de Cęlo specificè in ratione sciētiæ distinguitur à tractatu librorum de generatione. ¶ Resp. quod si hoc argumentum esset alicujus efficaciæ, probaret etiam in tractatu librorum de anima diversa formaliter obiecta, diversasq; formaliter sciētias esse distinguendas, siquidem in illis agitur de anima rationali, quæ abstrahit ab aliqua materia sensibili, à qua non ab-

ſtrahunt animæ vegetativa, & ſenſitiva. Hoc autem nullus admittit. Dico igitur quòd illa major, vel minor abſtractio eſt intra eandē abſtractionem à materia ſingulari, quæ eſt formalis abſtractio obiecti Philoſophiæ, & ideo non tollit unitatem ſcientiæ.

12. Inſtabis: intra eandem abſtractionem à materia ſenſibili Arithmetica, & Geometria diſtinguuntur ſpecie per hoc ſolùm, quòd obiectū Arithmeticæ abſtrahit à quantitate continua, à qua non abſtrahit, ſed illam concernit obiectum Geometriæ: ergo ſi intra eandem abſtractionem à materia ſingulari obiectū unius partis Philoſophiæ abſtrahit ab aliqua materia ſenſibili, à qua obiectum alterius partis non abſtrahit, ſed illam concernit, talis diverſa abſtractio ſufficiens eſt ad diſtinguenda prædicta obiecta formaliter, & conſequenter ad diverſificandas ſpecificè ſcientias, quæ ad talia obiecta terminãtur.

13. Reſp. primò negando paritatem, quia abſtractio obiecti librorum de Celo à qualitatibus ſenſibilibus contrariis, quas concernit obiectum librorum de generatione, non eſt abſtractio poſitiva, & formalis, ſed negativa, & materialis; nàm ideò ab illis abſtrahit, quia in Cælis qualitates illæ revera nō reperiũtur, quòd ſi reperirentur, utiquè libri de Cælo illas conſiderarent. Abſtractio verò obiecti Arithmeticæ à quantitate cōtinua, quæ eſt obiectum Geometriæ, non eſt abſtractio negativa, & materialis, ſed poſitiva & formalis, quia revera quantitas continua reperitur in diſcreta, cùm ſit materia, ex qua componitur numerus, & nihilominus Arithmetica ab illa poſitivè abſtrahit, illamq; non conſiderat, quia eſt extrà ſuum obiectum formale. Cum igitur unitas ſpecifica ſcientiarum non deſumatur ab aſtractione negativa, & materiali, ſed à poſitiva, & à formali, ideò libri de Cælo, & libri de generatione non ſunt diſtinctæ ſcientiæ, benè tamen Arithmetica, & Geometria.

14. Reſp. ſecundò, rationem formalem conſtitutivam ſcientiæ non eſſe puram abſtractionem à materia, ſed illam, connotantem idem medium, ſeu idem principium: quarè cùm Philoſophia quoad omnes partes utatur eodē principio entis mobilis, & gaudeat eadem abſtractione, erit una in ſpecie athoma. E contrà verò licet Arithmetica, & Geometria habeant eandem abſtractionē, tamen quia non habent idem principium, cùm primum principium Arithmeticæ ſit unitas, & Geometriæ punctum, quæ duo inter ſe ſunt primò diverſa, ideò in ratione ſcientiæ ſpecie diſtinguntur.

PRIMA

PRIMA PARS
PHILOSOPHIÆ NATURALIS
DE
OCTO LIBRIS PHYSICORUM.

PROEMIUM.

OBiectum, quod correſpondet huic primæ parti Philoſophiæ, eſt ens mobile, ſeu naturale ut ſic, nam in his libris ſolum agitur de principiis entis mobilis, ſeu naturalis in communi, de cauſis illius, de motu, aliiſq; proprietatibus, non deſcendendo ad aliquam ſpeciem in particulari, ut patebit ex dicendis.

2. Dices: ens mobile, ſeu naturale ut ſic eſt obiectum adæquatum totius Philoſophiæ: ergo non poteſt eſſe obiectum horum librorum in particulari, qui tantum continent unicam illius partem. ℣ Reſp. ens mobile, ſeu naturale ut ſic, aliter eſſe obiectũ totius Philoſophiæ, & aliter partis illius, ſcilicet horum librorũ: nam totius Philoſophiæ eſt obiectum prout eſt explicabile per principia, tam cõmunia, quàm particularia: iſtius verò partis eſt obiectũ præcisè ut eſt explicabile per principia communia, nõ autem per principia particularia, propterea continetur ſub obiecto totius ſciẽtiæ.

3. Quæres: quarè octo iſti libri inſcribuntur de Phyſico auditu, ſeu de Phyſica auſcultatione? Reſp. ideo Ariſtotelẽ libros iſtos inſcripſiſſe de Phyſico auditu, ſeu de Phyſica auſcultatione, quia cũ ſint difficiliores aliis, qui ſequuntur, & contineant fundamenta totius Phyloſophiæ naturalis, majori ſtudio, & attentione audiedi ſunt. In primo libro agit de principiis entis naturalis, & de ejus terminis magnitudinis, & parvitatis. In ſecundo de natura, & cauſis rerũ naturaliũ. In tertio de motu, & infinito. In quarto de loco, vacuo, & tempore. In quinto de unitate, & ſpeciebus motus. In ſexto de continuo. In ſeptimo de aliquibus conditionibus requiſitis ad motum. Et in octavo de Æternitate motus, de primo motore, ejuſq; attributis. Cõmuniter Auctores ſolent uniuſcujuſq; libri textũ ultra diſputationes proponere, & explicare. Nos verò breuitati conſulentes illum omittimus, tamẽ juxta eorum ordinem diſputationes excitare conabimur quantùm fieri poteſt.

IN LIBRUM PRIMUM PHYSICORUM.
DISPUTATIO I.
De Principiis in communi entis naturalis.

QVia methodus, quæ in ſcientiis obſervari ſolet, ut diximus, eſt ab uniuerſalioribus ad minus uniuerſalia procedere, ideo de iis, quæ principiis entis naturalis communia ſunt, primo loco diſſerimus, poſtea de ſingulis principiis in propriis diſputationibus agemus.

DUBIUM PRIMUM.

Quænam sit Essentia Principiorum Entis Naturalis?

1. Conclusio. Principia entis naturalis sunt, *quæ nec fiunt ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis*. Ità definiuntur ab Aristotele in præsenti cap. 5. tex. 42. quã definitionem recipiũt omnes Philosophi. Ejus bonitas suaderi potest sic: Definitio explicans essentiã definiti, est bona: sed hæc definitio explicat essentiã principiorum entis naturalis: ergò est bona definitio. Probatur minor, principia entis naturalis sunt prima: ergò non possunt fieri ex aliis, alioqui non ipsa, sed illa, ex quibus fierent, essent prima principia; neque ex alterutris, idest, ex se invicem, ob eandem rationem: similiter si omnia entia naturalia nõ fierẽt ex ipsis, nõ haberent rationẽ principii respectu entis naturalis, ut sic: Ergo definitio allata optimè explicat essentiã principiorũ entis naturalis, estq; bona.

2. Ob. 1: entia naturalia incorruptibilia, ut sunt Cœli, non fiunt ex privatione formæ: sed privatio formæ est unum ex principiis entis naturalis: ergo nõ omnia entia naturalia fiunt ex prædictis principiis. ¶ Resp. quòd, & si mens Arist. sit, de rerum omnium naturalium principiis in cõmuni agere, non tamen ita ut doceat, omnia illa omnibus cõvenire, sed quòd quædam quibusdã, & alia aliis adaptentur, sicq; materia, forma, & privatio his rebus inferioribus conveniunt; superioribus verò sola materia & forma.

3. Ob. 2. Forma est principium entis naturalis: sed forma materialis fit ex materia, per eductionem de potentia illius, & ex privatione, quæ præerat in materia: ergo falsũ est principia entis naturalis nõ fieri ex alterutris.

¶ Resp. quod vt docet Arist. 8. Met. c. 1. id, quod propriè, & simpliciter fit, est totum, non partes, quia partes nõ habent esse, sed totum, & unicuiq; sic cõpetit fieri, sicut, & esse. Quare cùm, ly *fiunt* in definitione principiorũ sumatur pro fieri simpliciter, plane sequitur, quòd partes, vel principia nec fiũt ex aliis, nec ex alterutris. Cùm hoc tamen stat, quod sicut partes, & principia existunt vt *quo*, seu vt alii loquuntur, coexistunt toti: ità producuntur ut *quo*, seù comproducuntur cũ toto. Et in hoc sensu concedimus, formam fieri vt *quo* ex materia, ut ex subiecto; & ex privatione ut à termino *à quo*. At hoc nihil contra conclusionẽ, quia principia eo ipso quòd prima, tantùm petunt non fieri ex aliis ut *quod*.

4. Ob. 3. Illa particula *ex* ultimo loco posita, vel denotat habitudinem partis componentis, ita ut omnia fiant ex his principiis tanquàm ex partibus; & sic tantùm convenit materiæ, & formæ, nõ verò privationi. Vèl significat habitudinem termini *à quo*, & sic solùm competit privationi, non verò materiæ, & formæ. Ergo in nullo sensu convenit omnibus principiis. ¶ Resp. particulam *ex* semper sumi codẽ modo; cæterum non sumitur prout determinatè denotat habitudinem termini *à quo*, vèl partis componentis, sed pro ut abstrahit ab utroquè, ità ut sensus sit: principia sunt, ex quibus omnia entia naturalia fiunt, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vel tanquam ex termino àquo.

DUBIUM SECUNDUM

Quot sint principia entis Naturalis?

5. Noto, ens naturale dupliciter considerari posse, vel in fieri, quod nihil aliud est, quàm generatio ipsius;

ipsius, vel in facto esse, idest, ut jam genitum, & ex suis partibus compositum. Præsens dubium procedit de principiis entis naturalis tã sub una, quàm sub altera consideratione.

5. Prima conclusio. Principia entis naturalis in facto esse sunt duo, materia scilicet, & forma. Est Arist in pręsenti c.7. tex.66. D. Thomę ibidem, & omnium Philosophorum. Probatur; illa sũt principia in facto esse respectu entis naturalis, quę manent in ipso transacta generatione; ac proindè intrinsecè illud cõponunt: at hęc tantũ sunt materia, & forma, ut constat: ergo, &c.

7. Secunda conclusio. Principia entis naturalis in fieri, sunt tria, nimirũ materia, forma, & privatio. Ità Arist. loc. cit. tex. 67. D. Th. ibidem, & omnes cõmuniter. Probatur, quia in omni mutatione ut talis est, tria tantummodo sunt necessaria, scilicet terminus *à quo*, terminus *ad quem*, & subiectum utriq; cõmune, ut patet ex definitione mutationis, mutatio enim *est transitus subiecti de non esse ad esse*. Sed generatio entis naturalis est mutati o quædam substantialis, cum sit transitus quidam primi, & substantialis subiecti à non esse sub hac forma substãtiali v. g. ignis, ad esse sub illa: ergo tria hæc tantummodo ad illam requiruntur, scilicet subiectum transiens à non esse ad esse, quod est materia prima: non esse formę, connotando aptitudinẽ ad illam, in quo consistit privatio: & tandem terminus *ad quem*, forma nimirum substantialis, ad quam habendam mutatur.

7. Ob. 1. materia prima non solùm transit à privatione formæ advenientis, sed etiam à forma præxistente: ergo si ob id privatio inter principia generationis connumeratur, etiã forma præexistens intèr illa connumerari debet. ❡ Resp. negando consequentiam, quia per accidens est, quòd materia transeat à forma præexistente, quoniam etiam si nullam haberet, adhuc posset ad illam mutari, ut contingit in generatione vermium ex speciebus sacramentalibus corruptis. Hìc autèm loquimur de principiis perse generationis, ideòque privationẽ inter illa enumeravimus, quæ non per accidens, sed per se ad generationem concurrit; non verò formam præexistentem.

8. Ob. 2. unio materiæ ad formam, nèc non & dispositiones accidentales ad eandem formam, requiruntur necessariò ad generationem: ergo principia generationis erunt plura, quam tria. Cõsequẽtia patet; Antecedens verò probatur, quia nisi materia sit ad formam ignis disposita, & nisi eidem uniatur, non poterit esse generatio ignis: ergo tales dispositiones, & unio necessario requiruntur ad generationem. ❡ Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, quoniam unio reducitur ad materiã, & formam ut modus illarũ, quo quælibet exercet rationẽ principii respectu entis naturalis: exercitium autèm principii nõ ponitur in numero cum ipso principio, sed ex parte illius se tenet. Similitèr licet dispositiones accidentales necessario requirãtur ad generationem, tamen quia pertinent ad genus causæ materialis, reducuntur ad materiam, & simul cum illa ut unum comparantur.

9. Ob. 3. Etiam privatio se tenet ex parte materiæ non enim materia concurrit ad generationem, nisi ut habet privationem formæ: & nihilominus privatio ponitur ut distinctũ principium: ergo idem dicendum est de dispositionibus. ❡ Resp. esse disparem

rem rationem, quia & si priuatio debeat in materia præesse, ut hæc ad nouam formam mutetur, attamèn ipsa privatio habet specialem modum cōcurrendi distinctum ab eo, quo materia concurrit, nimirum ut terminus *à quo*, cui perse correspondet terminus *ad quem*. At dispositiones non nisi in genere causę materialis, & modo alibi dicendo, concurrunt.

DUBIUM TERTIUM

Vtrum Principia Entis Naturalis sint Prima Contraria?

10. Conclusio est affirmativa, quā docet Aristoteles in hoc primo libro Physicorum cap 5. eamq; sic probat. Ea, ex quibus fiunt omnia, sūt prima cōtraria: atqui prima principia sūt ea, ex quibus fiūt omnia: ergo prima principia sunt prima cōtraria.

11. Contra hanc conclusionem urgent duo argumenta: *Primò*, quia prima contraria sunt illa, quibus prima, & propria contrarietas competit: at hæc tantùm competit quatuor primis qualitatibus, ex quarum permixtione omnis alia contrarietas ortum ducit: ergo principia entis naturalis non sunt prima contraria. *Secundò*, quia intèr principia entis naturalis numeratur materia, & forma: sed materia, & forma non sunt prima contraria: ergo non omnia principia entis naturalis sunt prima cōtraria. Prob. minor, tùm quia materia, & forma sunt substantia: substantiæ autèm nihil est contrarium. Tùm etiam, quia contraria mutuò se expellunt: sed materia, cùm sit receptaculum formę, eamquè in sinu suo quasi foueat, minimè illam à se expellit: ergo illi contrariari non potest.

12. Proptèr hoc vltimū argumentum aliqui volunt, solùm formam, & privationem esse prima contraria, non autē omnia principia entis naturalis, sed hoc est expresè contra Aristotelē, qui uniuersalitèr locutus est, & ejus ratio de omnibus principiis probat.

13. Resp. ergo, Aristotilē loqui de primis contrariis, quæ sunt prima primitate simplicitèr, quatenùs scilicèt sunt radix, & origo omniū contrarietatum. Et quià principia entis naturalis efficiūt substantiam totalem quæ est radix contrarietatis accidentiū, sequitur, optimè intulisse Aristotilem, principia entis naturalis esse prima cōtraria ex eo, quòd omnia fiunt ex ipsis. Prædicta autem duo argumenta procedunt de contrarietate formali, non de radicali, ideòq; nihil concludunt.

DISPUTATIO SECUNDA:

De Materia prima.

Explicatis iis, quæ ad principia entis naturalis in cōmmuni spectabāt rectus ordo postulat, ut de eisdèm principiis sigillatim agamus; & sic hec disputatio erit de materia prima, sequens de forma substantiali, & quatta de privatione.

DUBIUM PRIMUM.

An detur materia prima? An sit distincta realitèr à forma? Et in quonam ejus essentia consistat?

1. A Prima hujus dubii parte facilè nos expedimus, cùm certū omninò sit, vere dari materiam primam in rerū natura. Quod probari potest triplici ratione. *Prima*, quia in quavis mutatione necessariò debet dari subiectum, quod transeat à non esse ad esse: ergo in mutatione substantiali, qualis est generatio substantialis, assignari

gnari debet aliquod subiectũ, q transeat à nõ esse sub forma substãtiali v.g. ignis, ad esse sub illa: sed subiectũ q in generatione substãtiali trãsit à nõ esse sub forma substãtiali ignis, ad esse sub illa, est materia prima; siquidẽ materia prima nihil aliud est, nisi subiectum receptivum formæ substantialis: ergo datur materia prima. *Secunda*, quia hoc subiectum, quod in generatione substantiali transit à non esse sub forma substantiali ignis, ad esse sub illa, vel supponit aliud subiectũ, vel non? si hoc secundum dicatur, ut dici debet, habetur intentũ; quia subiectum istud jàm erit primum. Si verò tale subiectum supponit aliud, inquiro de illo subiecto, quod supponitur, an sit primũ, vèl aliud eo prius detur? cumq; impossibile sit, in causis subordinatis procedi in infinitum, fiet indè ut sistendum necessariò sit in aliquo, quod ità sit subiectum, ut aliud non supponat, proindèq; primi subiecti ratio eidèm competat: ergo cũ nomine materię primę nihil aliud intelligatur, necesse erit, hanc in rerũ natura inveniri. *Et tertia*, quia quando ex apposito ligno excitatur ignis, neque lignum omnino in nihilũ redigitur, neque ignis ex nihilo prorsus producitur; aliàs illud annihilaretur, & iste crearetur; quòd naturalitèr saltem est impossibile: ergo aliquid ligni remanet, ex quo forma ignis educatur: hoc autem, quod remanet, non potest esse aliud, nisi materia prima: ergo datur materia prima. Prob. min., illud, quod remanet, non potest esse cõpositum præexistens, cũ nonnisi ex eo corrupto gignatur ignis. Nèc forma precedẽs, cũ nõ possit pereunte præcedenti cõposito remanere, aut cum succedenti forma simul stare: ergo erit materia prima, cũ nihil aliud assignari possit.

2. Circa secũdã dubii partẽ aliqui antiqui voluerũt materiã nõ distingui realiter a forma sed esse unã simplicẽ entitatẽ cũ illa, & cõsequẽter ad hoc principiũ dixerũt, aliquid ex alio generari p hoc quod tota entitas unius convertatur in totam entitatem alterius. ¶ Sed hęc sententia falsissima est, & omnino reiicienda, concedit enim virtute naturali conversionem totalem substãtialem unius in aliud, quod ut mirabile, & solùm virtute divina possibile concedunt Catholici in conversione Sacramentali, per quam totus panis convertitur in Corpus Christi.

3. Dicendum est ergo, Materiã primam esse entitatem realiter distinctã à forma substantiali. Assertio hæc est communis inter DD. Catholicos. Probatur sequẽti ratione. Materia prima realiter distinguitur ab anima rationali: ergo etiam realiter distinguitur à quacunque alia forma substantiali. Consequentia patet, quia si homo esset compositus ex materia, & forma, ut ex duabus entitatibus realiter distinctis, & non alia entia substantialia, alia entia substantialia simpliciora essent homine, ac proindè illo perfectiora, quod est absurdum. Antecedens verò prob., tũ quia materia prima est entitas materialis, & anima rationalis entitas spiritualis: implicat autem quod una, & eadẽ entitas sit simul materialis, & spiritualis, tum etiam quia si materia prima esset identificata cum anima rationali, nunquam moreretur homo, siquidem nunquam anima separaretur à materia, in qua separatione mors hominis consistit.

4. Tertium denique, quod in titulo dubii proponitur, nimirum in quonã quiditas materię primæ sita sit, optimè explicat Arist. in c. ult. hujus libri tex. 82. his verbis: *materia prima est*

pri-

primum subiectum uniuscujusq; ex quo aliquid fit, cum insit, non secundùm accidens. Quam definitionem omnes admittunt. Prima particula, quæ (si debito sensui attendatur) est ly *subiectum*, vicem quasi generis sortitur, per quam cum materia secunda convenit, ab illaq; per ly *primum* distinguitur: sicut, & per illam particulam *cum insit* excluditur peculiariter privatio, nam etsi ex ea fiat ens naturale in quo cóvenit cū materia, nō tamen ex eadem cōponitur, quia in illo nō manet; secus verò de materia dicendū est, quādoquidē est omnino intrinseca cōposito physico. Additur tandem particula, *non secundùm accidens*, ut denotetur ex materia, & forma unitis unum per se substantiale coalescere.

5. Dices: Materia prima per hoc quod sit *primum subiectum*, sufficienter cōstituitur, & distinguitur ab omnibus aliis: ergo cæteræ particulæ vidētur superfluę. ¶ Resp. Illas alias particulas majoris explicationis gratia additas fuisse; quod si in aliis definitionibus licitū est, potiori titulo in definitione materię permitti debet, quę cū ob sui infimā entitatē adeò sit ignota, ut maiori explicatione indigeat.

DUBIUM SECUNDUM

Vtrum materia prima includat aliquē actum, & habeat unitatem specificā?

6. PRima conclusio. Materia prima in ordine physico est pura potentia, nullum includens actum. Est S. Th. 1. cont. gent. c. 43. ubi sic ait: *in rebus invenitur aliquid, quod est potentia tantùm, ut materia prima; & aliquid quod est actus tantùm, ut Deus; & aliquid, quod est actus, & potentia, ut res cetera*. Ratio autèm est: quia materia prima est simplex entitas: ergo vel tota est actus, vel tota potentia: nā simplex entitas nō potest constare ex actu, & potentia: sed non potest dici, quòd tota sit actus, aliàs nō esset subiectū receptivū formę: ergo est omnino potentia, nihil includens actus.

7. Contrariam sententiā tenet Franciscus Suarez disp. 13. Met. sect. 5. quē sequuntur plures suę societatis. Quorum fundamentum est: quia cuilibet potentiæ correspōdet proprius actus: ergo etiam potentiæ obiectivæ correspondere debet suus: sed actus correspōdens potentię obiectivę est realis entitas: potētia enim obiectiva per positionem realis entitatis expletur: ergo qualibet realis entitas actum entitativum in se includit: cùm igitùr materia prima sit realis entitas, ipsa etiā includit entitativum actū; ac proinde in ordine physico non ita est pura potentia, ut nullum includat actū.

8. Sed hæc opinio sempèr mihi visa est improbabilis. Quia vel materia ex hoc actu entitativo, & ex sua potentialitate componitur, vel est ipsemet actus entitativus? non primum: quia aliàs amitteret rationē primi subiecti. Neq; secundū: nàm vel hic actus esset informans, & hoc non: quia hic subiectū, cui innitatur, semper supponit. Vel actus subsistens, & neq; hoc dici potest, quandoquidē subsistens actus longè perfectior est informante: ergo cū materię primę ob suā imperfectionē non possit cōvenire ratio actus informātis, multominus erit actus subsistens: Ergo nulla ratione est actus, siquidē omnis actus adęquatè dividitur in informantem, & subsistentem.

9. Deindè; Tota ratio, quam isti auctores habent, ponendi actum illū entitativum in materia secundùm se sumpta, & prout cōtradistincta à forma, est, quia materia prima de se est vera entitas realis, quæ de facto reperitur à parte rei, utpotè vera pars cō-

positi substantialis : atqui hæc ratio nulla est : ergo &c. Prob. minor: quia ut materia prima sit vera entitas realis, & extra nihil, sufficit, quod contineatur sub uno mēbro diuidente ens reale : atqui licet sit pura potentia, nullum includens actum, salvatur illā contineri sub uno mēbro diuisivo entis realis : ergo non requiritur, quod aliquem includat actum. Prob. minor, ens reale dividitur ab Aristot. *6. & 9.* met. in actū, & potentiam : ergo hoc ipso, quòd materia sit potentia, etiam si nullum includat actum, continetur sub uno membro diuisivo entis realis.

10. Undè ad fundamentum P. Suarez respondeo, potentiam obiectivam nō semper explendam esse per actum, sed aliquando per actum, aliquādo per realem potentiam, si res illa, quę possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia. Etenim potētia obiectiva solùm est quædā non repugnantia essendi in tota latitudine entis realis: intra autē latitudinē essēdi entis realis cōtinetur ratio realis potētię, ac proindè per hanc possibilitas illa expleri debet, sicut possibilitas actus per actū expletur. Nec valet, quod cuilibet potentiæ correspondeat proprius actus, quia hoc verū est de vera, & reali potentia: potentia autē obiectiva nō est rigorosa potentia, sed quædam nō repugnantia, & denominatio extrinseca, desumpta à potentia activa agētis, quod rem extra causas ponere potest.

11. Secunda conclusio. In ordine metaphysico materia prima includit actum, per quem constituitur in suo esse essentiali. Ità Lerma hìc quæst 5. cōcl. 4. & Plures alii recentiores Thomistæ. Probatur; quia substantia dividitur in materiam, & formā: ergo, sicut in forma substantiali datur conceptus substantiæ, & conceptus talis substantiæ, & forma substantialis est quoddam totum metaphysicū ex tali duplici conceptu obiectivo compositum; ità etiam materia est quoddam totū metaphysicum ex conceptu substantiæ, & conceptu talis substantiæ, videlicet substantiæ potentialis compositum: ac proindè ipse conceptus talis substantiæ videlicet potentialis, erit in materia prima actus metaphysicus, & differentia essentialis, per quā contrahit, & determinat rationē cōmunem substantię. Omne enim, quod supra aliquam rationem communem additur, ut illā determinans, habet se respectu illius ut actus metaphysicus.

12. Contra hanc conclusionē sentiunt doctissimi PP. Complutenses in Phys. disp. 3. q. 3. n 28. quorū ratio est, quia differentia, seu actus metaphysicus desumitur tanquam à prima radice, ab aliqua entitate, quæ physicè sit actus; sicut genus tāquam à prima radice desumitur ab aliquo physico, quod sit potentia: ergo si materia prima in ordine physico est pura potentia, nullum includens actum, non potest ex se habere actum metaphysicum.

13. Resp. quod solùm in ente completo differentia sumitur ab actu, & genus à potentia, non autem in ente incompleto, quale est materia prima. Forma enim substātialis est quid simplex in ordine physico, consistens in actu, & non in potentia, & nihilominus in ipsa invenitur conceptus communis, & genericus substantiæ; ergo similiter licet materia prima physicè nullum includat actum, quia tamen, habet determinare substantiam ut sic, quæ determinatio fit per differentiā, materia prima habebit propriā differentiam per quam in sua specie intrinseca constituitur.

Ob. 2. Deus, quia excludit omnem rationem potentiæ, constare non potest genere, & differentia: ergo similiter materia quia excludit omnem rationem actus, neque constare potest genere, & differentia. ℣ Resp. negando consequentiam; quia cum Deus sit purissimus actus, non potest in ipso concipi aliquid potentialitatis. Per hoc autem quod nos in materia concipiamus actum differentialem, non concipimus aliquid, quod in ipsa non sit, quia actus differentialis materiæ est quod sit pura potentia substantialis; ut dictum est.

14 Tertia conclusio. Materia prima ex se habet unitatem specificam, non quidem athomam, sed subalternam. Ita Manca lib. 1. physic. q. 4. dub. 7. §. *sed quæres*. Lerma loc. cit. cócl.5. & plures alii Thomistę. Prima pars concl. prob. quia unitas specifica desumitur à genere, & differentia: sed materia prima rationem genericã, & rationẽ differentialem habet ex se: ergo etiam habet ex se unitatẽ specificam. Prob. minor, materia prima ex se, & non à forma habet, quòd sit substantia, & quod sit talis substantia, scilicèt pura potentia: sed ratio generica est ratio substantiæ, & ratio differentialis, est ratio talis substãtię: ergo &c.

15. Secunda pars, scilicèt quòd talis unitas non sit athoma, sed subalterna, probatur. Quia materia prima dividitur in duas species, nempè in cælestẽ, & sublunarem: ergo unitas specifica materiæ ut sic, non est infima, sed subalterna. Consequentia patet; Antecedens verò prob., materia cælestis, & materia sublunaris conveniunt in ratione puræ potentię, & distinguuntur essentialiter, quia sublunaris respicit essentialiter formam amissibiliter informantem, cælestis verò essentialiter formam inamissibiliter informantẽ: ergo materia ut sic, quæ dividitur in cælestem, & sublunarem, dividitur in duas species materiæ.

16 Contra primam partẽ hujus cóclusionis solet adduci D.Th. 1.p.q.16. art. 7. ad 2. ubi dicit: *Materia prima dicitur esse una, non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ: sed per remotionem omnium formarũ distinguentiũ.* Resp. quòd D.Th. in verbis adductis loquitur de unitate specifica extrinseca, quã ex se materia solùm negativè habet, positivè verò à forma; non autẽ intendit D. Th. negare materiæ primæ unitatem positivam intrinsecam per suum actũ metaphysicum. Itaq; materia prima in duplici specie constitui potest; in una intrinsecè, in altera extrinsecè: constituitur quidẽ in specie intrinseca per actum metaphysicum, quem ex se habet; & constituitur in specie extrinseca formę, quam recipit, per hoc, quod illam recipiat; imò materia recipiens formam, & cum illa componens totum substantiale, simul est extrinsecè in specie talis formæ, & in sua specie intrinseca, quia adhuc tunc distinguitur essentialiter à forma, quam recipit.

DUBIUM TERTIUM

Vtrum materia habeat propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, & totius compositi substantialis, per quam existat?

17. CONclusio est negativa, quam expresse docet S. Tho. 1. par. quest. 7. art. 2. ad 3 ubi sic ait: *materia non existit in rerũ natura per se ipsã cùm non sit ens in actu, sed potentia tãtùm* & quæst. 4. de potent. art. 1. in cor-

corpore dicit: *quidquid in rerū natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia nisi per formam, quę est actus ejus*. S. Thomam sequuntur omnes ejus Discipuli.

18. Plures suppetunt rationes pro hac sētentia, quæ videri possunt apud Auctores Thomistas; sed ego tantùm tribus sequētibus utor, quas puto esse efficacissimas. Probatur igitur primò; Ex duobus existentibus per existentias distinctas non unum per se, sed unum per accidens resultat, juxtà illud commune proloquium, *ex duobus entibus in actu, non fit unum per se, sed unum per accidens*; undè ex substantia, & accidente non unum per se, sed unum per accidens fit, quia ambo sunt entia in actu existētia per distinctas existentias: Ergo si materia, & forma existerent per distinctas existētias, ex eis non unum per se, sed unum per accidens resultaret. Sed ex materia, & forma, ut omnes fatentur fit unū per se: ergo materia nō existit per existentiam distinctam ab ea per quam existit forma, & totum compositum.

19. Occurrit noster Stephanus Spinula lib. 1. Physic. disp. 2 sect. 5. nu. 83. dicens, hoc argumentū nimis urgere, & retorqueri posse contra Thomistas; undè sic arguit: Materia prima per Thomistas habet essentiā distinctā ab essentia formę: ergo ex essentia materię, & essentia formę (si allatum argumentum esset efficax) non posset fieri unum per se. Probat consequentiam; Ens per se nō resultat, nisi ex entibus, quorum alterum sit pura potentia, alterum actus: sed materia habens propriam essentiā distinctam ab essentia formę, in ratione essentię etiam ipsa est actus: ergo non potest simul cum forma constituere unum per se.

20. Laudo subtilitatē ingenii hujus auctoris; hęc tamē instantia efficaciam nostrę rationis non infringit; Thomistæ enim admittentes essentiam propriam materię primę, omnes dicunt, essentiam illam in ordine Physico nō esse ens actus, sed ens pura potentia, ut dub. præc. vidimus: ergo si unum per se fieri debet ex duobus, quorum unum sit potentia, & alterum actus, optimè ex materia, & forma fieri potest unū per se. Cæterum nulla existentia potest se habere, ut potētia respectu alterius existentiæ: ergo nullo modo ex duobus existentibus distinctis existentiis fieri potest unū per se. Assumptū prob., quia & si una, & eadē res possit esse in diverso genere, & ordine actus, & potentia, nō tamen in eodem: undè quia forma substantialis in ordine essentiæ est actus; ideò in hoc ordine nequit esse potentia, licet in ordine subsistendi, & existendi possit cōparari per modū potētię respectu actuum subsistentię, & existentiæ: sed quævis existentia in ordine existendi est actus, quia ut suo loco ostēdemus, existentia ex proprio, & formali conceptu suo est ultimus terminus substantialis ubicumq; inveniatur: ergo non potest in eodem ordine esse potentia. ¶ Confirmatur, quia repugnat inveniri in aliqua re rationem differentialem, seù ultimā, quę sit ignobilior ratione superiori ejusdē, quandoquidem ratio inferior comparatur per modū actus, respectu superioris: ergo repugnat existentiā materiæ se habere per modū potētiæ. Quia si semel existentia materię est potētialis, jam hæc potentialitas erit conceptus ultimus ipsius: ergo no poterit contrahere cōceptum existentiæ, ut sic, qui est conceptus cujusdam actus, ut talis, & valdè actualis, ac proindè vincentis in perfectione rationē puræ potētialitatis.

Prob.

21. Prob. secundò, Si materia prima haberet propriũ esse, ab esse formæ distinctum, sola materia prima esset substantia, forma verò substantialis esset accidens: atqui hoc est omnino absurdum: ergo. Sequela prob. substantia (ut omnes fatentur) est ens primum, constitutum per primũ esse, seu per esse per se stans, & non adjacens alteri esse, ideoq; non habet esse fundatum, & receptum in alio esse, sed fundans, ac recipiens omnia alia esse: Accidens è contra est entis ens, seu ens secundarium, constitutũ per esse non primum, idest, per esse adjacens alteri esse, ideoque ejus esse est fundatum, & receptũ in alio esse: sed si materia prima haberet propriũ esse, constitueretur per esse primum, per se, fundamentale, substans, ac non receptum in alio esse, ut patet: forma è contra constitueretur per esse non primum, sed secundum, receptum, ac fundatum in alio esse, idest, materiæ: ergo sola materia esset substantia, forma uerò accidens.

22. Nec dicas, materiam esse substantiam incompletam. Nam contra est: quia ens completum in tota definitione substãtiæ, & in omnibus perfectionibus substantialibus, ac complebile solùm in rationibus accidentalibus, est substantia completa: sed materia si habet proprium esse, est cõpleta in tota definitione substantiæ, & in omnibus perfectionibus substãtialibus: ergo &c. Probatur minor, definitio substantiæ est, ut sit ens primum, constitutum per primum esse: sed materia est cõpleta in ratione entis primi, ac constituti per primum esse. Rursùs est completa in ratione entis habentis esse per se stans, & non adjacẽs alteri esse: in ratione entis habentis esse fundamentale, & substans, nec potest compleri in ulla ex istis rationibus, & perfectionibus, sed solũ potest compleri per hoc, quod recipiat esse non primum, esse adjacens alteri esse, esse fundatum, & receptum in alio esse: Sed omnes istę sunt rationes & perfectiones accidentales, contentæ, & explicatæ in definitione accidentis: ergo materia est completa in ratione substantiæ, & solùm complebilis in rationibus accidentalibus si propriam habet existentiam. Undè Auctores oppositæ sententiæ nó aliter defendere possunt substantialitatẽ formarum, quàm dicendo, quod esse non primum, sed secundum, non per se, sed adiacens alteri esse, non fundamentale, & substans, sed fundatum ac receptum in alio esse fundamentali ac substante, hoc est esse habens omnes imperfectiones accidentis, & non habens ullam perfectionem substantiæ, sit esse substantiale: sed hoc est recedere à definitione, & legitimo cõceptu substantiæ, & accidentis: ergo nullo pacto sustineri potest, materiã primam propriam habere existentiã.

23. Prob. tertiò, Si materia prima haberet propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, sequeretur quòd destructa forma, quæ in ipsa est, & alia loco illius non introducta, sine nouo miraculo materia separata ab omni forma posset realiter permanere: sed omnes concedunt, materiam privatã omni forma, naturaliter permanere non posse: ergo &c. Sequela prob. quia dum ea partialis existentia à materia nõ tollitur, materia existit: sed per separationem à forma nó tollitur: ergo separata ab omni forma naturaliter existeret. Ideò enim anima rationalis separata à materia, naturaliter existit, quia animæ rationali competit proprium esse: ergo similiter

ter si materia habet esse distinctum à forma, separata à forma naturaliter existere posset. ¶ Confirmatur; vel existentia, quæ ab aduersariis, conceditur materiæ, est sufficiens ut ipsa materia existat, uel non? si primum: ergo sine forma materia naturaliter existere potest. Si secundum: ergo non est vera existentia, quia de ratione veræ existentiæ est, reddere existentem rem, cujus est existentia, sicut de ratione veræ albedinis est, reddere album subiectum, in quo reperitur.

24. Cõtrariã sententiã tenet Scotus in dist. 12. q. 1. & 2. quẽ sequuntur omnes ejus discipuli, Suarez disp. 13. met. sect. 5. Conimbricenses q. 6. art. 3 Hurtad disp. 2. sect. 6. Arriaga disp. 2. sect. 5. subsect. 3. Ouiedus contr. 1. punc. 3. Aversa quæst. 20. sect. 8. & ex nostris Stephanus Spinula loc. cit. Philippus Spinula disp. 3. dub. 2. & Augustinus de Angelis disp. 1. sect. 5. Quorum omnium præcipuum fundamentum est: quia putant existentiam non distingui realiter ab essentia: ac proinde cum materia prima habeat essentiam distinctam ab essentia formæ, & totius compositi, nõ existit per illorũ, sed per propriã existentiam. Hoc tamen fundamentum est falsum, quia ut suo loco dicemus, in creatis essentia, & existentia realiter distinguuntur: nam essentia actualis actualitate ad ordinẽ essentiæ pertinẽte, & ut terminata per subsistentiam, est id, quod realiter recipit existentiam, & quod directè corrẽspõdet prędicatis quidditativis possibilibus. Existentia uerò solum dat, quod hęc eadem essentia, quę in priori naturæ importabat hæc prædicata prout *in egredi* ab agente, habeat ultimam actualitatem, per quam constituatur omnino extra causas.

25. P. Stefanus Spinula loc. cit. n. 74. ex Oviedo hæc habet verba. *Recentiores aliqui, vile ducentes tantùm ex propriis Castris debellare inimicos, adhuc intra ipsorum Castra illos insequuntur, & pulcherrimam meditãtur victoriam. Vndè etiam admissa distinctione reali essentiæ ab existentia, adhuc contendũt probare, materiam non existere per existentiam formæ, sed per propriam existentiam, licèt ab essentia materiæ distinctam.* Pulcherima sanè verba proferunt auctores isti, sed quod meditantur, minimè assequuntur; placuit propterea principaliora istorum militum adducere argumenta, ut ipsorum generositatem, vel potiùs audaciam admiremur.

Argumenta Arriagæ proponuntur, & soluuntur.

26. Plura iste auctor congerit argumenta, ut desideratam victoriam de Thomistis reportare possit; sed frustatur. Primò ergo dicit; Thomistas vitiosum committere circulum: probant n. (ait) materiam primam non habere propriam existentiam, quia est pura potentia; & probant rursùs, esse puram potentiam, quia caret propria existentia. ¶ Resp. Thomistas nullum committere circulum, nàm licèt probent, materiam primam non habere propriam existentiam, quia est pura potentia; nõ tamen probant, esse puram potentiam, quia caret propria existentia, nàm solus actus entitativus in materia, etiamsi non haberet existentiam, esset sufficiens, ut amitteret rationem puræ potentiæ. Ratio igitur, quàm adducunt Thomistæ ad probandum, quod materia prima sit pura potentia, est, quia est entitas simplex, & subiectum receptivum formæ substantialis, ut dub. præc. ostendimus.

27. Secundò dicit: Non esse bonam

nam consequentiam: *Hoc habet distinctam existentiam ab illo: ergo potest esse sine illo*; Creaturæ enim habent propriam existentiam, distinctam ab existentia Dei, & effectus distinctam existentiam à causa, & forma distinctam existentiam à materia; & tamen neque creatura sine Deo, neque effectus sine causa, etiam divinitùs, neque forma sine materia, saltem naturaliter possunt existere. Malè ergo Thomistæ negant materiæ propriam existentiam, eo quod sola nequeat nec divinitùs existere. ¶ Resp. quod benè negant Thomistæ, materiam non habere propriam existentiam, eo quod sola nequeat existere, quia si haberet propriam existentiam, nulla esset ratio, quarè separata à forma existere non posset ut supra num. 24. demonstravimus. Creaturæ autem licet habeant propriam existentiam, ab existentia Dei distinctam, ideo tamen sine Deo existere nō possunt, quia à Deo in conservari dependent effectus verò depēdet à causa univoca solùm in produci, postquam autem est productus, etiam destructa causa existere potest. Id autem quod dicitur de forma, vel est sermo de forma spirituali, nempè de anima rationali, & hæc existit sine materia; vel de forma materiali, & hæc falsum est, quod existat per propriam existentiam, nam ut dicunt communiter Thomistæ in composito substantiali non datur nisi unica existentia, & hæc est totius in quo partes coexistunt, utrum autem forma materialis separata à materia divinitùs existere possit, suo loco dicemus.

28. Obiicit tertiò, conformius est naturis rerum, ut materia, quæ est primum subiectum, ex quo educuntur omnes formæ, propriam habeat existentiam, quam ut eam habeant formæ, quæ dependent, & subiectantur in ipsa materia: ergo si tantum ponenda est in composito una existentia, potius ea est propria materiæ, & ab illa communicatur formæ, quam è contrario. ¶ Resp. in primis per Thomistas, existentiam, quæ ponitur in composito substantiali (humano excepto) neque esse materiæ, neque formæ, ut dictum est, sed totius. Deinde non video, in quo fundetur Arriaga ad asserendum, conformius esse naturis rerum, existentiam se tenere ex parte materiæ, & non ex parte formę, cum ratio potius sit pro formis, quam pro materia; tum quia existentia est ultima actualitas; tum etiam quia si materia præsupponeretur existens, forma substantialis ei accidentaliter adveniret, juxtà illud, *quidquid advenit enti in actu, advenit accidentaliter*.

29 Obiicit quartò, Ridiculum est, toties materiam primam mutare existentiam, quoties novam formā substantialem acquirit; quod necessariò dicendum est à Thomistis, si materia existeret per existentiam formæ, & totius cōpositi. ¶ Miror certe de isto Auctore, quod ita liberè loquatur, & sanam doctrinam ridiculam existimet, si enim materia prima est commune subiectum omnium formarū, ita ut amissa una recipiat aliam, extatq; per existentiam totius compositi; quid mirum quod toties mutet existentiam, quoties novum compositum componit.

30. Occurrit Arriaga ultimo suo argumento, ideo esse mirum, quia sequeretur; materiam primam produci ab agentibus creatis; quod est cōtra omnes Philosophos asserētes materiam

teriam primam à solo Deo creatam, & conservatam. Sequelam probat; quia non alio modo producitur materia prima, nisi per productionem ejus existentiæ: sed hæc existētia producitur à causis creatis producentibus formam substantialem, & ejus existentiam, quæ est etiam existentia materiæ: ergo materia producitur à causis creatis. ¶ Sed non coherenter loquitur, nam num. 77. sic ait: *Hinc etiam intelliges, non sequi materiam primam corrumpi quatumvis pereat forma, à qua existentiam accipiebat; potest enim succedere alia loco corruptæ, quæ det materiæ existentiam. Et sicut nunquam est materia sine forma, ita nec sine existentia: in priori autem quo præcedit formam, & ejus existentiam, debet intelligi materia, sicut præintelligitur quæcumque alia essentia ad propriam existentiam, cujus est subjectū.* Si igitur materia nō corrūpitur, quāvis pereat existentia; quia adhuc remanet entitas materiæ existens per subsequentem existentiam, ita etiam (si Auctor iste consequenter loqui vult) nec producitur, quāvis ab agēte creato producatur nova existentia, quia productam præsupponit, & perseverantem entitatem materiæ. Sicq; falsum est, materiam nullo alio modo produci, nisi per productionem ejus existentiæ.

Argumenta utriusq; Spinulæ proponuntur, & solvuntur.

31. Objicit sexto noster Stephanus Spinula sic. Rem existere formalissime, est esse extra suas causas; sed materia independēter à forma est extra suas causas: ergo existit independēter à forma. Minorem probat: Materia independēter à forma est extra statum possibilitatis; est n. creata, & nō est merum ens possibile: sed rē formalissime existere, & esse extra suas causas, est esse extra statum possibilitatis: ergo, &c. ¶ Resp. negando minorem; & ad probationem nego majorem; materia enim non fuit se sola producta, sed comproducta ad productionem totius, unà cum forma; & sic dependenter ab illa fuit à suis causis extracta: ideoque propriā existentiam non accepit, sed solum coexistentiam in toto.

32. Objicit septimò idem auctor. Per Thomistas omnis actio productiva terminatur ad existentiam, & ad illam communicandam termino producto: sed materia prima terminat distinctam actionem productivam, ac forma, & totum compositum; siquidem materia prima fit per creationē, forma verò materialis, & cōpositum fiunt per generationem: Ergo materia prima habet suam propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, & compositi, communicatam illi per actionem, per quam producitur. ¶ Resp. quod ut dictum est, materia prima per se non producitur, aut creatur, sed comproducitur, & concreatur per actionem productivam vel creativam, non ad ipsam materiā, sed ad totum compositum per se terminatam, per quam actionem toti cōposito communicatur existentia, qua ipsum compositum, & ejus partes existunt. Formæ autem substantiales Cœlorum, & elementorum, sub quibus materia primò fuit producta, nō fuerunt generatæ sed creatæ, ut suo loco ostendemus; sicque falsum est, quod Thomistæ asserant, (ut ait iste auctor, imputādo semper nobis, quod nunquam somniavimus) omnem formam substantialem educi ex potentia materiæ.

33. Sed urgeo in fauorem ipsius, addendo suo argumento novas vires. Esto verum sit, quod à principio materia prima non fuerit creata, sed cõcreata; potest tamen Deus de novo aliquam creare materiam, non creãdo compositum, sed per generationem producendo formam, ut de facto cõtingit, cum ex speciebus Sacramentalibus generatur vermis. Tunc enim cum ad formam vermis non præsupponatur materia producta, oportet quòd Deus vel materiã de novo creet vel quantitatem miraculose cõvertat in materiam, in qua forma vermis virtute agẽtis naturalis introducatur; De tali ergo actione productiva, vel conuersiva materiæ, cum ad ipsam solam materiam, & non ad totum compositum terminetur, urget difficultas, quod per talem actionem debet materiæ communicari existentia, cũ omnis actio productiva termino per illã producto cõmunicet existentiã.

34. Ad hanc instantiam respondẽt aliqui Thomistæ apud Mancam 1. physic. q. 4. dub. 9. quod ibi non creatur materia, sed quãtitas ex vi prioris miraculi convertitur in materiã dispositam, & determinatam; unde non sequitur habere propriam existentiã, quoniam hæc non est rei, quæ producitur per cõversionem, sed rei quę producitur per creationem, quia creatio est subsistẽtiũ ex D. Th. 1. p. q. 45.

35. Respondent secundò, & melius Complutenses, Lerma, & alii, quòd licèt Deus possit solam materiã creare, vel aliquid in illam convertere, talis tamen actio productiva materię non erit completa usque dum per alteram actionem productivam formę, & compositi compleatur, & ipsi materiæ communicetur existẽtia; & hoc non ex defectu virtutis agẽtis, sed ex incapacitate ipsius materię, quæ cum independenter à forma non possit terminari existentia, actio ipsius materiæ productiva non potest cõpleri, usque dum per actionem productivã compositi, immediatè ipsi composito, & mediatè ejus partibus communicetur existentia. Unde cum dicitur, quod omnis actio productiva terminatur ad existentiam rei productæ, id debet intelligi de actione perductiva cõpleta, nõ autem incõpleta.

36. Urgo secundò, & fortius contra solutionem datã. Cum forma vermis educi debeat ab agente naturali ex potentia materiæ, materia supponi debet producta ante talem eductionem, aliàs non ex ea, sed ex nihilo forma vermis educeretur: Ergo in illo priori, in quo præsupponitur producta, materia est à parte rei sine forma: sed quidquid est à parte rei, est existens: ergo in illo priori materia est existens sine forma. Confirmatur quia postquam materia prima in casu posito est à Deo producta, potest ipse Deus subtrahere suum concursum, & facere ne agens naturale ex ea educat formam vermis, vel aliam formam substantialem: atqui in eo casu materia maneret sine forma: ergo existeret sine forma.

37. Resp. distinguendo antecedẽs: ad hoc ut ex materia educatur forma vermis, debet materia præsupponi producta *in priori naturæ*, concedo, *in priori reali*, & nego. Deinde concessa prima consequentia intellecta de prioritate naturæ; distinguo iterũ minorem subsumptam: quidquid est à parte rei *extra omnes causas, & in facto esse*, est existens, concedo, *extra aliquam causam, & in fieri*, nego. Ergo, &c. nego consequentiam. Dico igitur, quod quando corumpuntur

species

species Sacramentales, & generantur vermes, in eodem puncto ac materia à Deo producitur, agẽs naturale educit ex illa formam substantialem, generat compositum, & ei existentiam communicat. Et licèt prius natura intelligatur productio materiæ, quàm eductio formæ, & generatio totius, hoc tamẽ non sufficit ut materia dicatur existens; quia ad hoc ut causetur existentia, nõ solum requiritur, quod hæc vel illa causalitas exercita sit; sed etiam ut omnes causalitates perveniant ad ultimum sui exercitii: existentia enim non definitur, quod sit *id, quo res est extra causãm*, sed *id, quo res est extra omnes suas causas*; & sic usq; dum causalitates omnes finiantur, nũquam effectus erit existens. Materia autem prima non solùm dependet in genere causę efficientis ab agente, verum etiam in genere causæ formalis à forma, & toto composito; unde usque dum omnes hæ causalitates, & dependentię intelligantur exhaustæ, nõ potest censeri, quòd materia sit existens. In illo autem priori materia solũ intelligitur extra causalitatem causæ efficientis, nõn autem extra omnes causalitates, & sic non intelligitur in facto esse, sed in fieri.

38. Dices: Ex hac solutione sequitur, quod productio totius substantialis possit non illi cõmunicare existentiam, quousque adsint accidentia omnia, sine quibus nequit connaturaliter esse: quandoquidem quousque illa sint, non possunt esse finitę omnes causalitates, & dependentiæ modi ad esse totius requisitæ: sed hoc, ut constat, est omnino falsum: ergo &c.

39. Resp. negando sequelam; quia satis est, ad hoc ut totum sit existens, quòd sit extra suam causam efficientẽ & extra omnes causalitates, & dependentiæ modos proprii generis: id quod ex natura ipsius existentię substantialis satis colligitur. Nam hęc est ultimum complemẽtum essentiæ, & perficit illam in proprio genere; unde sicut ex quo capite est complementum proprii generis, debet advenire ante alia extranei generis, ac proinde ante accidentia: ita ex quo capite est ultimum complementum, debet statim esse post omnia alia proprii generis.

40. Ad confirmationem respondeo, quod semel posita productione materiæ, potest quidem Deus subtrahere suum concursum, & facere quod agẽs naturale ex ea formam substantialem non educat; at in eo casu necesse erit, ut in ea ipsemet Deus ponat aliã formam substantialem loco illius, alioquin vellet, materiam existentem sine existentia, quod implicat, ut dicemus dubio sequenti.

41. Obiicit octavo Phylippus Spinula. Si materia existeret per existentiã formę, materia esset corruptibilis: atqui materia est incorruptibilis etiã per Thomistas: ergo materia existere non potest per existentiam formæ. Minorem probat; quia tunc res corrumpitur, cum deperdit existentiam: ergo si materia per existentiam formę existeret, corrupta forma, ipsa quoque materia corrumperetur dependens existentiam.

42. Neque dicas (ait) materiam nõ corrumpi, quia licet existentia prioris formæ, per quam antea existebat, corrumpatur, succedit tamen existentia alterius formæ, per quam eadem materia existit, & in suo esse conservatur. Nam contra est: quia si materia existeret modò per existẽtiã unius formæ, modò per aliam, sequeretur posse dici, accidens non corrumpi ad

corruptionē subjecti; nam posset dici succedere aliud subjectum conservativum illius accidentis, atque adeo accidens migraret de subjecto in subjectum, quod est contra Arist. 1. physic. tex. 26.

43. Resp. solutionē datam esse optimam; & ad instantiam in contrariū dico quod non est ad rem; nam accidens, quia subjectatur in subjecto, ideò sequitur, quod ad corruptionem illius corrumpatur. Cæterum materia non recipitur in existentia, & sic non valet: Corrumpitur existentia: ergo corrumpitur materia. Potest autem materia recipere aliam formam; quia est commune subjectum omniū formarum, & consequenter aliam existentiā, & perseverare in sua entitate.

44. Objicit nonò, Implicat, quod effectus formalis sit prior sua causa formali: sed si materia existeret per existentiam formæ, hoc sequeretur: ergo. Minorem probat, quia materia existēs juxta Thomistas est effectus formalis formæ existentis: sed materia existens est natura prior forma; est enim causa materialis illius, & omnis causa est natura prior suo effectu: ergo effectus formalis esset prior sua causa formali. ¶ Resp. concedendo majorem, & negando minorem. Ad probationem similiter concessa majori, neganda est minor; nam licèt causa efficiens presupponi debeat existens, quia actiones sunt existentium, & subsistentium; ad hoc tamen, ut aliquid rationē primæ causæ materialis habeat, & ut talis causet, non est necesse ut in illo priori, in quo causat, existat. Cujus ratio est: quia prima causa materialis causat, componendo simul cū forma unum per se: hęc autem causalitas exerceri non potest à materia redupplicativè ut est existens, quia ut n. 38 diximus, materię existenti forma accidentaliter advenit; undè satis erit, si pro illo priori materia sit extra nihil essentiæ, & in eodem instanti temporis unà cum composito, & per illius existētiam existat. ¶ Adde, quod quando educitur forma, v. g. ignis è potētia materæ ligni, licèt materia nō præcedat existens per formam ignis, quę producitur, existit tamē per formam ligni; & sic materia semper prę supponitur existens per formam, quę præcessit; prima autem omnium forma, non fuit educta de potentia materiæ: sed concreata simul cum illa.

Proponitur ultimum argumentum, & solvitur.

45. Objiciunt ultimò alii; In homine materia prima non potest existere eadem existentia, qua existit forma: ergo cū verè existat, existet per suam propriā existentiam. Prob. antecedens; existentia animæ rationalis est spiritualis: ergo improportionata materiæ: atqui existentia debet esse proportionata rei, quam reddit existentem: ergo per illam materia existere non potest. ¶ Resp. negando antecedens, & ad probationē dico, quod existentia animæ rationalis sapit naturam ipsius animæ, & sic est entitativè spiritualis, & virtualiter materialis, sicuti est ipsa anima, & ideo potens ad reddendum materiam, & totum hominem existentem.

46. Dices: esse animæ rationalis, cū sit spirituale, est incorruptibile, esse verò hominis est corruptibile: ideo enim homo dicitur corrumpi, seu mori, quia desinit esse: ergo non est idē esse hominis, & esse animæ rationalis. ¶ Resp. negando secundam partē antecedentis, & ad probationem dico, quòd quando homo corrumpitur, seu moritur, non corrumpitur existentia, sed

fed unio animę cum corpore; exiſtētia verò, quæ reddebat totum hominem exiſtentem, remanet, non reddendo illum exiſtentem, quia jam corruptus eſt, ſed animam rationalem ſeparatam, in qua manet.

47. Dices ſecundò: Omnis actio terminatur ad eſſe, ſed in productione hominis reperitur duplex actio, nēpè actio generantis productiva ipſius hominis, & actio Dei creativa animæ rationalis: ergo duplex eſſe, ac proinde non per idem eſſe exiſtit homo, & anima in corpore. ¶ Reſp. quod tunc actio terminatur ad eſſe, quando non invenit illud productū; & quia actio generativa hominis, invenit eſſe hominis gemiti productum, nā in priori naturæ anima rationalis eſt cum ſuo eſſe producta; ideo non producit illud, ſed ſolùm illud communicat humanitati.

DUBIUM QUARTUM

Vtrum de potentia Dei abſoluta Materia prima exiſtere poſſit ſine forma?

48. SUppono ex communi ſententia, naturaliter non poſſe materiā exiſtere ſine forma, ut late oſtēdit noſter Stephanus Spinula hîc diſp. 2. ſect. 6. contra Arriagam, & Oviedum: ideoque præſens dubium, ut ex titulo apparet, ſolùm procedit de potentia abſoluta & non ordinaria Dei. Super qua difficultate ſunt duæ ſententiæ extremæ. Prima aſſerit, poſſe ſupernaturaliter materiam primam exiſtere ſine ulla forma. Quam ſententiam tenent Scotiſtæ ōnes, & plures ex recentioribus. Fundamenta potiſſima hujus ſententiæ ſunt. Primò quia Deus ab initio Mundi creavit materiam primam ſine omni forma, ut docere videntur Sancti Patres Auguſtinus, Baſilius, Chriſoſtomus, & Ambroſius, relati à S. Thoma 1. p. q. 66. art. 1. qui locum illum primo Geneſis, *Terra autem erat inanis, & vacua*, explicant, ut ſenſus ſit; *materia prima erat informis, & carens forma*: ergo nulla apparet implicantia, ob quam materia exiſtere nō poſſit ſine forma: at ubi nulla eſt implicantia, ſupernaturaliter fieri poteſt: ergo per divinā potentiam materia exiſtere poteſt ſine ulla forma.

49. Secundò, quia in Deo idea materię eſt diſtincta ab idea formæ: nam materia, & forma ſicut ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, ita petunt exemplaria diſtincta: ergo nihil vetat, quod Deus utatur idea materiæ ad producendum illam, ſine eo quod utatur idea formæ.

50. Tertiò, quia quidquid mediis cauſis ſecūdis poteſt fieri, poteſt Deus ſe ſolo facere: ergo ſi materia mediāte forma poteſt exiſtere, poteſt Deus facere, quod ſine forma exiſtat. Adde, quod exiſtentia eſt effectus ſecundarius formæ: effectus autem ſecundarius ſuppleri poteſt à Deo.

51. Quartò, quia materia non depēdet eſſentialiter à forma: ergo nulla eſt ratio, quare ſine illa ſupernaturaliter exiſtere non poſſit. Cōſequētia patet, quia id ſolum non poteſt ſeparatum ab alio exiſtere, quod habet eſſentialem dependentiam ad illud. Antecedens verò probatur; materia non dependet eſſentialiter in genere cauſę materialis à forma, cum non recipiatur in illa; nec in genere cauſæ formalis, quia licèt forma dando ſe ipſā materiæ, conſtituat compoſitum, non tamen conſtituit materiā in eſſe materiæ; nec in genere cauſæ efficientis, cum à ſolo Deo creetur; nec denique

nique in genere causæ finalis, quia materia non est propter formam, sed propter compositum: ergo cum ad nullum genus causæ pertineat hæc essentialis dependentia, re vera non datur.

52. Et quintò, quia accidens per divinam potentiã existere potest sine substantia, ut patet in Sacramento Eucharistiæ: sed minus dependet materia à forma, quàm accidens à substãtia, cum hoc sit entis ens, non verò illa: ergo per divinam potentiã materia existere potest sine forma.

53. Secunda, & vera sententia docet, materiam primam neque per divinam potentiam existere posse sine forma. Ita tenet S. Th. 1. p. q. 66. art. 1. aliisq; in locis; quem sequuntur Capreolus in 2. dist. 13. Ferrara 3. cont. gent. c. 4. Caiet. de ent. & essent. cap. 5. Masius lib. 1. physic. q. 19. sect. 2. Cõplutenses disp. 3. quest. 6. Manca quest. 4. dub. 10. Lerma quest. 8. Ioannes à S. Th. quæst. 3. art. 3. Lao disp. 3. dub. 3. Mailhat disp. 2. sect. 3. Maurus quest. 7. Philippus à Sanctissima Trinitate in sua summa philosophiæ, 1. 2. q. 3. art. 5. Mazziotta in suis selectis q. 3. & omnes alii ejus discipuli.

54. Probatur primò; Si materia existere sine forma, verificarentur simul istæ duæ contradictoriæ, videlicet, materia est in actu: materia non est in actu: sed neque de potẽtia Dei absoluta duæ contradictoriæ simul verificari possunt: ergo neque de potentia Dei absoluta materia existere potest sine forma. Sequela majoris probatur; quia in primis affirmativa esset vera; siquidem omne quod existit, est in actu: verificaretur etiam negativa, quia cum existentia sit ultima actualitas, & ultimum complementum in linea substantię, id solum est capax existentiæ, quod est ens intrinsece terminatum per subsistentiã: sed ens intrinsece terminatum per subsistentiam, includit formam: ergo sine forma materia nõ est capax existẽtię.

55. Probatur secundò. Nam ut dubio præcedenti ostensum est, materia prima ex se nullam propriam vel partialem habet existentiam, sed solùm existit per existentiam ipsius cõpopositi: atqui per existentiam compositi existere nequit materia ab õni forma separata, quia sicut absque omni forma substantiali non datur compositum substantiale, ita nec datur existentia totius compositi: ergo materia prima absque omni forma substantiali nullatenus existere potest. ¶ Confirmatur; implicat contradictionem quod res aliqua existat sine existentia, sicut implicat contradictionẽ quod res aliqua sit alba sine albedine: sed existentia per quã materia existit, est existentia compositi: ergo cum compositum dari non possit sine forma, repugnat quod materia existat sine forma.

56. Dices. Nulla est implicantia, quod Deus separet existentiam ã cõposito, & eam ponat in materia: in tali autem casu materia existeret per existentiam compositi sine forma: ergo per divinam potentiam materia existere potest sine forma. ¶ Resp. quòd etiam si Deus separaret existentiam à composito (de quo modo non disputo an sit possibile) talis tamen existẽtia non posset actuare materiam, & reddere illam existentem; quia cum materia sit pura potentia in genere entis, non est terminabilis per ultimã actualitatem existentiæ, nisi prius actuetur per formam; sicuti corpus nõ est capax gradus sensitivi, nisi mediante uegetativo, nec gradus rationalis

nalis nisi mediante sensitivo.

57. Prob. tertiò. Vel existentia, per quam materia separata à forma existeret, esset corporea, vel spiritualis, vel nec corporea, nec spiritualis. Hoc tertiū dici non potest, quia spirituale, & corporeum adequatè dividunt omne id, quod est substantia. Spiritualis esse non potest, quia est improportionata materiæ. Si est corporea, essentialiter dependet à forma corporeitatis, quia hæc est, quæ dat gradū corporis. Unde sicuti non potest intelligi existentia hominis sine forma hominis, nec existentia equi sine forma equi, ita nec existentia corporea sine forma corporis: ergo per nullam existentiam materia existere potest sine forma.

58. Dices: Natura corporea supernaturaliter existere potest per existētiā alicujus divinæ personæ, & de facto humanitas Christi existit existētia Verbi Divini: ergo materia prima, quāvis non sit res spiritualis, supernaturaliter existere potest sine omni forma saltem per existentiam Divinam sibi unitam. ¶ Resp, negando consequentiam, quia cùm existentia, & subsistētia Divina solùm uniātur supplendo vicem creatæ, solùm illis naturis uniri possunt, quæ sunt capaces subsistendi, vel existendi: si igitur materia non est capax existentiæ sine forma, existentia divina ei uniri minimè potest.

59. Restat ut satisfaciamus argumentis cōtrariis. Et ad primū negādū est, materiam ab initio Mūdi creatam fuisse sine omni forma; in principio enim Mundi Deus creavit Cœlum, & Terram, aquam, & aerem, ut ex genesi colligitur, atque adeo creavit materiam sub formis Cœli, & Terræ, aquæ, & aeris: Sancti autem Patres in argumento allegati dum dicunt, quod verba illa, *Terra erat inanis, & vacua*, significant, *materia erat informis*, non asserunt, quod erat privata omni forma substantiali; sed nomine materiæ intelligunt Terram, & dicunt quod hæc erat informis, quia carebat formositate, quam postea ab herbis, ac plantis habuit, & cum esset cooperta aquis, erat invisibilis. Vide Th. Comptonem hic disp. 10. sect. 1. concl. 1. ubi probat, materiam nunquam extitisse sine forma; & hanc nostram solutionem prosequitur.

60. Ad secundum quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia, nam idea materiæ repræsentat illam non aliter factibilem, nisi una cum forma, quia non aliter est capax existentiæ: & ideo ratione rei faciendæ non potest Deus uti idea materiæ ad dandam illi existentiam, nisi simul etiam utatur idea formæ; sicut non potest uti idea unius relativi ad cognoscendum illud, nisi coutatur idea alterius.

61. Ad tertium respondeo, quod licèt id, quod mediis causis secundis merè in genere causę efficientis concurrentibus fit, possit à solo Deo absque talibus causis fieri; non tamen quod involvit genus causæ formalis intrinsecæ; quia hoc genus causæ cū dicat limitationem, non est à Deo supplebile, unde cùm materia prima ad existendum dependeat in genere causæ formalis intrinsecæ à forma, quæ illi dans esse substantiale simpliciter, facit eam capacem existentiæ, quæ est ultimum complementum substantiæ, ideò defectus formę à Deo supleri non potest.

62. Ad confirmationem concedo, Deum posse (quando aliunde non implicat) supplere effectum secundarium

darium formæ, sed supposito primario, ut de facto egit in Mysterio Incarnationis, ubi supposito effectu primario animæ rationalis, nimirùm essentiali cōstitutione humanitatis per ipsius unionem cùm materia, Verbū Divinum substituit, suam propriam subsistentiam & existentiā loco propriæ subsistentiæ, & existentiæ humanitatis, quæ in illa debuissent cōnaturaliter resultare tanquàm effectus secundarii animæ rationalis. Non supposito autē effectu primario formæ, non potest secundarius suppleri à Deo, cùm essentialiter præexigat primarium, ab eoque dependeat, & ideo neque per Divinam potentiam fieri potest, quod materia existat sine forma.

63. Ad quartum distinguendum est antecedens: Materia non dependet essentialiter à forma, *in ordine essentiæ*, transeat antecedens; *in ordine existentiæ*, nego antecedens; & ad probationem dico, quod materia in ordine existentiæ dependet à forma in genere causæ formalis, quia per receptionem illius, & terminationem subsistentiæ redditur capax existentiæ.

64. Ad quintum denique assignatur disparitas, quia accidens in suo ordine habet existentiam, quæ licèt dependeat ab existentia substantiæ, est tamen ab illa realiter distincta: materia verò prima nullam habet existentiam, nisi existentiam formæ, & totius compositi; & ideo non mirum quod accidens per divinam potentiā existere possit sine substantia, non autem materia sine forma.

DUBIUM QUINTUM

Utrum materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis? Habeat appetitum ad omnes formas? & sit principium, & radix corruptionis?

65. TRES istæ difficultates inter se sunt valdè connexæ, nec longa indigent discussione, cum faciles sint, ideoque omnes in unico dubio completimur. Pro quarum solutione dico primò, *materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem*. Sensus hujus conclusionis nō est, materiam primam esse improducibilē, & indestruibilem, cum à Deo creata sit, sive potius concreata ad creationem totius, & ab ipso annihilari queat; sed quòd non possit fieri per generationem, aut desinere per corruptionem propriè dictam.

66. Prima pars probatur. Generari est fieri ex præsupposito subjecto: sed materia nequit fieri ex præsupposito subjecto: ergo nec generari. Major est certa, in hoc enim differt generatio à creatione, quod hæc est productio rei ex nihilo, illa verò ex aliquo subjecto præsupposito. Minor verò probatur; quia materia est primum subjectum, ex quo omnia fiunt: ergo nō præsupponit aliud subjectum ex quo ipsa fiat; aliàs non ipsa, sed subjectū illud, quod præsupponeret, esset primum.

67 Probatur secundò secunda pars conclusionis. Quia quòd corrumpitur, relinquit suum subjectum; corrumpi enim est desinere esse, remanente subjecto; sicut annihilari est desinere esse, non remanēte subjecto; Sed materia prima in sui desitione nō potest relinquere suum subjectum, quia illud non habet: ergo materia

prima

prima non potest desinere per corruptionem.

68. Dices: si materia prima esset incorruptibilis denominaret compositum incoruptibile, quod tamen est falsum, ut constat. Resp. negando antecedens, *bonũ enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu*, unde ut aliquid sit incorruptibile, nihil in se continere debet corruptibile. Sicut ut catena aliqua sit fortis, nõ sufficit quod aliquot annulos habeat fortes, sed nullum in se continere debet, qui fortis non sit.

69. Dices secundò incorruptibile est perfectius corruptibili: sed materia est imperfectior forma, & composito, quæ corruptibiles sunt: ergo materia non est incorruptibils. Resp. incorruptibile esse perfectius corruptibili, quando cetera sunt paria, ut si utrumque sit ens in actu; unde ens merè potentiale incorruptibile simpliciter loquendo non est perfectius corruptibili, quod est ens actuale, sed tantùm secundùm quid, ex qua parte est incorruptibile.

70. Dicò secundò, materiam primam habere appetitum innatum ad formam substantialem. Dixi *appetitũ innatum*, quia elicitũ habere nequit, cum iste cognitionẽ sequatur, & materia sit cognitionis expers. Prob. conclusio unum quodque naturaliter appetit bonum sibi proportionatum: sed forma substantialis est bonũ proportionatum materiæ, cum sit ejus actus; & propria perfectio: ergo materia naturaliter appetit illam.

71. Dico tertiò, materiam primam appetere omnes formas substãtiales; eas quidem, quas non dum habuit, appetitu desiderii: alias vero quas modo habet, aut jam habuit, appetitu complacentiæ seu delectationis. Conclusio non procedit de materia, & de formis substãtialibus ut sic; materia enim cælestis non appetit alias formas substantiales, sed satiatur ea, quam habet: sed tantùm de sublunaribus.

72. Pro intelligentia autem nota, quod licèt desiderium, & complacẽtia primariò significent actus potentiæ appetitivæ, quibus fertur in bonum appræhensum, possumus tamen eadem nomina applicare etiam appetitui innato, seu naturali inclinationi: unde sicut actum, quo potentia appetitiva, puta voluntas fertur in bonum absens, & possibile haberi, appellamus desiderium: actũ vero quo fertur in bonum præsens aut alias habitum complacẽdo sibi in illo, nominamus complacentiam, & delectationem; ita non incongruè appetitum innatum seu naturalem inclinationẽ in bonum absens, & possibile acquiri, apellare possumus desiderium, eam vero, quæ fertur in bonum præsens, aut alias possessum, delectationem seu complacentiam. Quo posito

73. Probatur prima pars conclusionis. Materia prima naturaliter appetit perpetuitatem in esse, cum natura sua sit incorruptibilis: sed hanc perpetuitatem obtinere non potest nisi per formas, à quibus habet existentiam: ergo naturaliter appetit formas; formæ autem sublunares amissibiliter informant materiam, nec materia potest sub aliqua illarum perpetuo conservari, ideoque necesse est ut appetat omnes.

74. Probatur secunda pars conclusionis. Appetitus desiderii fertur in bonum absens, & acquisitu possibile: atqui tales sunt formæ substantiales, quas non dum habuit materia, possunt enim per actionem agentis na-

turalis in ipsam introduci: ergo appetit illas appetitu innato desiderii; non autem eas, quas jam habuit, propter ratioñe oppositam, quia scilicet non possunt ab agente naturali iterũ produci dispositiones in materia, quibus ad eas denuo suscipiendas præparetur, cum naturaliter nequeat dari reproductio ejusdem effectus.

75. Probatur denique tertia pars conclusionis; quia appetitus delectationis seu complacentiæ est de bono præsenti, aut alias possesso; atqui formæ, quas modo habet materia, aut aliquando habuit, sunt bonum præsens, aut alias possessum ab ipsa; ergo fertur in eas appetitu complacentiæ.

76. Ob. 1. Si materia appeteret appetitu desiderii formas, appeteret destructionem totius, cum non possit eas adipisci, nisi destructa illa, quam modo possidet, & subinde corrupto toto in quo est: consequens est falsũ: ergo & id, ex quo sequitur. Probatur minor; pars magis inclinat in bonum totius, quam in proprium: ergo materia, quæ est pars, non potest appetere destructionem totius, ad consequendas alias formas, quæ sunt bonum ipsius materiæ. ¶ Resp. distinguendo majorem: appeteret destructionem totius, *secundariò, & quasi per accidens*, concedo: *primariò, & per se*, nego: & eodem modo distincta minori, nego consequentiã. Dico igitur, quod materia nunquã appeteret alias formas, & consequenter nec destructionem totius, si videret ipsum totũ perpetuò conservari posse. Adde, cedere in bonum universi, quod materia machinetur destructionem totius; bonum n. universi maxime consistit in varietate, & multiplicitate generationum, quibus mediis ipsum etiam universum quandam perpetuitatem consequitur. Materia autẽ magis appetit bonum universi, utpote universalius, quam bonum compositi in quo est; & sic potest intuitu illius secundariò, & quasi per accidens appetere destructionẽ totius compositi.

77. Ob. 2. Si materia appeteret omnes formas, sequeretur, quod quãdo habet perfectiorem, puta rationalem, appeteret imperfectiores: atqui hoc videtur falsum: ergo materia nõ habet appetitum ad omnes formas. Probatur minor; Privatio formæ perfectioris est malum materiæ: atqui appetendo formas imperfectas, appeteret privationẽ perfectioris: ergo appateret proprium malum, quod est absurdum. ¶ Resp. concedendo sequelam majoris, nam materia habens formam perfectã appetit minus perfectas propter majus bonum, tũ ipsius materiæ, ut nimirum perpetuitatem quandam consequatur, quam nequit habere sub tali forma perfecta, ut pote amissibili; tum ipsius universi, si enim materia habens formam rationalem, non appeteret alias, non generaretur novum compositum corrupto homine, sicque materia, quę extra compositũ existere nequit, periret, & ita paulatim decresceret universum. Et negando minorem; ad probationem distinguo majorem: privatio formæ perfectioris *secundum se considerata*, est malum materiæ, concedo: *ut ordinata ad majus bonum*, scilicet ad conservationem ipsius materiæ, & bonum universi, nego. Hoc autem secundo modo, & non primo, appetit illam materia; unde negatur consequentia. ¶ Adde, quod perfectio formalis actus sumitur ex modo actuandi materiam; licet autem una forma sit perfectior altera, non tamen una informat perfectiori modo, quã alia;

& ideo

& ideo non mirum quod materia ab una forma perfecta transeat ad aliam imperfectam.

78. Noto, appetitum, ad omnes formas, qui est in materia, non esse ad omnes formas simul habendas, hoc enim implicat ex parte objecti propter incompossibilitatẽ unius formæ cum altera, sed successivè habendas; sicuti in me est potentia ad standum, & sedendum, non tamen ad sedendum, & standum simul.

79. Ob. 3. Natura humana in Christo subsistens subsistentia divina, non appetit propriam, quia divina est perfectior: ergo nec materia, dum est sub anima rationali, appetet alias formas imperfectiores. ¶ Resp. negando consequentiam; nam, & si natura illa non appetat propriam subsistentiam, non est ob majorem perfectionem divinæ subsistentiæ precisè; sed quia divina eminenter continet propriam subsistentiam naturę humanę, sicque dum divinam habet, habet eminenter suam, quam solam desiderare potest: anima autem rationalis non continet eminenter omnes formas, quas appetit materia, ut formam ligni, lapidis, leonis, equi, &c. ideoq; naturalis materiæ appetitus informatione animæ rationalis non manet expletus.

80. Quarta conclusio, in compositis sublunaribus materia prima est primum & radicale principium corruptionis. Patet ex dictis, nam ex eo quòd materia appetit omnes formas successivè habẽdas ortum habet, quòd habens unam appetat aliam, & consequenter eas dispositiones, quibus hec introducatur, illaq; expellatur; ideoq; Arist. hic cap. 9. dixit, *materiam privatam forma machinare maleficium*, idest cõpositi corruptionẽ.

81. Contrariam sententiam tenent aliqui, sentientes non materiam primam, sed formam substantialem esse primam radicem corruptionis. Quorum fundamentum est: quia appetitus materiæ ad alias formas oritur ex eo: quòd non satiatur ea, quam actu habet: ergo ipsa forma quia non satiat materiam, est prima radix corruptionis. ¶ Confirmatur si materia nostra actuaretur cęlesti forma, compositum ex utraque coalescens, esset incorruptibile; è contra verò si materia cęli corruptibili forma informaretur, compositum illud esset corruptibile; quandoquidem materia nostra informaretur tunc forma inamissibili, & materia cęlestis actuaretur forma amissibili. Ergo non materia, sed forma est radix corruptionis; cum illa sit causa prima, & per se alicujus effectus, qua posita, vel ablata, ponitur, vel aufertur effectus.

82. Resp. ad argumentum negando consequentiam; quia quòd materia non satietur forma, quam habet, & hęc non satiet materiam, oritur ex amplissima capacitate, & potentialitate ipsius materiæ, quę nulla forma satiari potest. ¶ Ad confirmationem dico, quòd semel admissa materia cęli informata per formam sublunarem, & materia sublunari actuata per formam cęlestem, tunc ambę constituerent compositum corruptibile, quia nulla ex eis satiaret propriam capacitatem materiæ, & utraque materiam aneret cũ sua privatione, sublunaris cum privatione formarum sublunarium, & cęlestis cum privatione formæ cęlestis, videatur Lauellus 8. met. quæst. 14. ubi hanc solutionem prosequitur.

DISPUTATIO TERTIA DE FORMA SUBSTANTIALI.

FOrma substantialis duobus modis sumi solet. Primò, pro re omnino completa per se subsistente, quo sensu Angeli substantiales formæ appellantur. Secundò, pro parte altera, quæ unà cum materia compositum substantiale constituit: & de hac in presenti sermo noster erit.

DUBIUM PRIMUM

Utrum detur forma substantialis; & quid sit?

1. QUoad primū Pater Comptonus hîc disp. 11. sect. 1. nu. 1. refert opinionem cujusdam recentioris, qui formam omnem substantialem ex universo tollere contendit, asserens diversitatem rerum consistere in diversis earum motibus, quibus ipsarum partes agitantur, & cientur. Sed quo fundamento hoc dicat, non video, quia nullum adducit; ideoq; audiendus non est: quia, ut benè ait prefatus auctor, in doctorum hominum cętu tantum quis obtinet, quantum rationibus evincit, & si quid sine probationibus proferatur, reiicitur ut fictitium.

2. Contra ergo hanc sententiam negantem formas substantiales dico, pręter materiam admittendam necessario esse hujusmodi formam, quæ vel ut alterum cōprincipium substātiale res naturales constituat. Hæc conclusio quo ad animam rationalem de fide certa est, quam dari, & esse veram formam hominis, & à corpore naturaliter separabilem definit Concilium Lateranense III. sub Leone X. sess. 8. ex quo facile deducitur probatio pro aliis formis substantialibus: siquidem materia hominis est ejusdem rationis cum materia aliorum: ergo si illa est quid incompletum in genere substantię, & informatur forma substantiali, idem dicendū est de materia aliorum, ac proinde admittendę sunt etiam in aliis formę substantiales.

3. Prob. Secundò quia res quęlibet naturalis determinata est ad certam aliquam speciem: hęc autem determinatio à nullo alio provenire potest, nisi à forma substantiali; siquidem in composito naturali præter formam substantialem solùm sunt materia, & formæ accidentales: res nequit determinari ad certam speciē beneficio materię, quę est ejusdem rationis in omnibus; & multò minus per formas accidentales, cum hę non distinguāt essentialiter unum ab alio, quòd requiritur ad rationem speciei, sed solùm accidentaliter: ergo datur forma substantialis, per quam res quęlibet naturalis constituitur in sua determinata specie.

4. Prob. Tertiò quia accidentia dimanant à substantia tanquā à principio radicali: atqui non possunt diversa accidentia, seu proprietas, quę diversis rebus conveniunt, dimanare à substantia ratione materię, quia hęc est ejusdem speciei in omnibus: ergo dimanant à substantia ratione formę substantialis, ac proinde hęc in rebus naturalibus admitti debet.

5. Secunda conclusio. Forma substantialis, de qua agimus in presenti, definitur communiter ab omnibus, *actus primus corporis*. Bonitas hujus definitionis patet ex dictis: sicut enim materia prima est prima potentia substantię corporeę: ita forma substantialis est primus actus illius. Unde

de per ly *actus* differt à materia, quę solùm habet rationem puręe, & nudę potentię. Per ly *primus* à forma accidentali, quæ licèt sit actus, & perfectio subiecti, tamen quia præsupponit ipsam formam substantialem, non est, nisi actus secundus, & secunda perfectio illius. Et per ly *corporis* ab actu subsistenti completo, ut est Angelus, qui non potest unà cum materia cōstituere unum per se, sicut forma, de qua hìc loquitur, illud constituit.

6. Ob. 1. Vel forma substantialis ita est actus, ut careat omni potentialitate; vel ita ut constet ex actu & potentia: non primum, aliàs esset purus, & consequenter Deus. Neque secundum, quia est entitas simplex. Ergò nullo pacto est actus. ℣ Resp. quòd licèt forma substantialis sit entitas simplex, excludens omnem rationem potentię, non tamen dici potest actus purus quia actus purus dicitur ille, qui nec componitur ex potentia, nec ordinatur ad componendum cum illa: forma verò ordinatur ad componendum cùm materia totum physicum.

7. Ob. 2. Si forma substantialis esset actus materię, esset in illa ut in subiecto, ac proinde inhęrens: sed inhęrere subiecto est proprium accidentis: ergo non possunt hæc duo inter se cohęrere, & quòd forma sit actus materię, & quòd sit substantia. ¶ Resp. ex D. Th. quòd & si hæc duo inter se non possint cohęrere, scillicet esse actum inhęrentem, & esse substantiam: benè tamen esse actum informantem, & habere rationem substantię. Forma autem non est inhęrens, sed informans, quia est in materia tanquam ipsi consubsistens, accidens verò non est in subiecto ut illi consubsistens, ideoq; proprium ipsius est, inhęrere subiecto.

8. Ob. 3. Si forma substantialis esset actus materiæ, ipsa materia esset magis substantia, quam forma: consequens non videtur admittendum, cum forma longe sit nobilior, quam materia: ergo. Sequela maioris probatur; nam ut in prædicamentis *cap. de substantia* habetur, substantia dicitur à substare: sed si forma substantialis esset actus materiæ, materia pluribus substaret quam forma, siquidem substabit omnibus, quibus substat forma, & insuper ipsi formæ: ergo erit magis substantia, quam forma. ℣. Resp. nobilitatem substantiæ non provenire ab eo, quod est pluribus subesse utcumque; sed ab actualitate, in qua reliqua antecedit; ac proinde quàvis materia pluribus subsit, non inde nobilior erit; sed forma, quę actualior est, & prima actualitas entium naturalium, primatum obtinebit. Adde, quòd substare, à quo dicitur substantia, est substare per modum subiecti completi, qualiter substat aliis prima substantia, & sic substare nec convenit primò, & per se materiæ, nec formæ, sed toti composito, cui proprium est existere.

DUBIUM SECUNDUM

Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiæ; & quænam illæ sint?

9. SUper hac difficultate Antiqui Philosophi in varia abierunt placita. Aliqui enim dixerunt, omnes formas substantiales non educi, sed fieri per creationem. Quorum fundamentum est: quia forma substantialis ante productionem nihil est in rerū natura, licèt enim præsupponatur mate-

materia, hæc tamen non est forma, sed entitas distincta à forma: ergo, quando producitur, fit ex nihilo suę entitatis: sed quod fit ex nihilo suæ entitatis, non educitur, sed creatur: ergo. Confirmatur quia anima rationalis licet ad sui productionem præsupponat materiam, tamen non educitur, sed creatur, quia fit ex nihilo suæ entitatis: ergo similiter si forma substantialis materialis fit ex nihilo suæ entitatis, quamvis præsupponat materiam, illius productio non erit eductio, sed creatio.

10. Hęc tamen opinio est omnino falsa; si enim formæ substantiales creantur propter dictam causam, etiã accidentales creari necesse est; quia etiam forma accidentalis fit ex nihilo sui, & non prœexistit actu in subiecto. Quod si hoc concedatur, sequitur ulterius, quòd sicut productio formarum substantialiũ non est ab agẽtibus naturalibus, quia cratio à solo Deo fit; ita neque effectio accidentalium. Atqui ita tandem sequitur, agẽtia naturalia nihil omnino agere; quod est absurdum.

11. Alii verò existimarunt, preesse in materia aliquid formæ, ex quo generarentur, ut sic non fierent ex nihilo. Hæc etiam opinio est improbabilis. *Primò*, quia si esset verum id quod dicit, præexisterent actu in materia omnes formæ substantiales, quę ex illa educi possunt, secundum aliquam veram, & actualem entitatem, & ita essent simul in materia infinitę entitates actuales nam formæ in infinitum multiplicari possunt. Hoc autem est planè absurdum, & multum obstat simplicitati, & potentialitati materiæ primæ. *Secundò*, quia forma substãtialis est quid simplex: ergo repugnat, illam in materia præexistere, & non secundum se totã. Quod si hoc modo in materia præexisteret, fieret inde, quòd antequam produceretur, compositum substantiale, esset jam productum: quandoquidem ante talem productionem adest jam materia, & forma simul, quibus positis non potest non esse tale compositum. Et *tertiò*, quia eadem difficultas remanet de illa parte formæ, quæ producitur, & præexistenti in materia additur: nam etiam illa fieret ex nihilo suæ entitatis, cum ante productionem nihil esset.

12. His igitur rejectis sententiis, ut ueram tradamus, & præsens dubiũ decidamus, explicare oportet, quid sit formam substãtialem educi de potentia materiæ. Hoc autem, ut ex D. Th. 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. colligitur, nihil aliud est, nisi quod forma, quę prius in potẽtia materię cõtinebatur, per actionem agentis extrahatur ab illa. Ex quo sequitur, tria ad eductionem esse necessaria. Primum, quòd materia præsupponatur producta. Secundum, quòd forma, quæ educitur, contineatur in potentia materiæ. Et tertium, quòd inde extrahatur per actionem agentis. Requiritur primũ, quia si materia non præsupponeretur producta, sed eadem actione produceretur, qua producitur forma, nunquam fuisset sine tali forma, & consequenter nec in potentia ad illam. Utrum autem præsupponi debeat in instanti reali, an verò in instanti rationis, dicemus dubio sequenti. Requiritur secundum, quia forma, quæ non continetur in potentia materiæ, non potest ab illa extrahi: forma autem continetur in potentia materiæ non per hoc, quòd aliquid ipsius formæ sit in materia, sed per hoc quòd sit talis naturæ, ut per se, & naturaliter

liter produci non possit, sine influxu materiæ: sicut forma continetur in potentia agentis non per hoc, quòd aliquid ipsius sit in illa, sed per hoc quòd naturaliter produci non potest, nisi per influxū agentis. Materia verò influit in productionem formæ, recipiendo illam, nam sicut actio est causalitas agentis, sic receptio est causalitas materiæ. Requiritur denique tertium, quia cùm causalitas materię non sit activa, sed tantum receptiva, ultra illam necessaria est actio agentis, per quam forma producatur, & extra potentiam materiæ à parte rei ponatur. Unde patet, formam educi de potentia materiæ esse fieri ejusdē formæ eadem actione, qua fit compositum ex materia præcedente, quę per illam actionem non fit. Dixi *eadē actione, quà fit compositum*, quia forma, quæ producitur cum influxu materiæ, produci debet recepta in materia, ac proinde illa actio, quæ est productiva formæ, est etiam productiva unionis, & consequenter compositi.

13. His positis, Dicendum est primò: animam rationalem non educi de potentia materiæ, sed à Deo immediate creari. Ita S. Th. 1. p. q. 90. art. 2. & omnes communiter DD. *Prima pars probatur*; quia anima rationalis cùm sit spiritualis, & per se subsistens, fit independenter à materia, & distincta actione, qua unitur illi, & producitur totum (ut enim sit homo duæ actiones interveniunt alia, quæ est productio animæ, & per se primò terminatur ad illam; altera verò qua anima unitur corpori, per quam transmutatur materia, & generatur homo.) Sed ad eductionem requiritur, quòd forma fiat dependenter à materia, & ex vi illius actionis, qua unitur illi, & generatur compositum, ut dictum est: ergo anima rationalis non educitur de potentia materiæ. *Quòd vero creetur, à Deo, quod est secunda pars conclusionis, probatur*; quia anima rationalis fit ex nihilo, & absque concursu materiæ: ergo creatur.

14. Ob. 1. Anima rationalis non producitur, nisi materia sit disposita: ergo fit dependēter à materia: ac proinde nō creatur, sed educitur. ℣ Resp. negando utramque consequentiam, quia illa dispositio ex parte materiæ, est tantum quædam occasio, ut creetur anima in corpore, non autem est concursus in genere causæ materialis in ipsum esse vel fieri animæ rationalis: solumq; dispositiones illæ disponunt materiam ad unionē, quæ fit ab agente naturali post quam anima rationalis est à Deo producta.

15. Ob. 2. Creatio est productio omnino ex nihilo, ita ut ad illam nō præsupponatur subiectū: sed ad productionem animæ rationalis præsupponitur materia: ergo productio animæ rationalis non est creatio, sed eductio. ℣ Resp. quòd licet ad productionem animæ rationalis præsupponatur materia, non tamen presupponitur ut subiectum *ex quo*, sed ut subiectum *in quo* possit recipi. Quia cùm Deus non creet animam rationalem, nisi ex intentione, quòd illa uniatur materiæ, nunquam de facto creat animam rationalem, nisi prius supponatur materia ad illam jam disposita. Et sic talis materia non præsupponitur ad productionem animæ, ut subiectum ex quo educatur, sed dumtaxat ut subiectum in quo anima à Deo per creationem producta, possit per actionem agentis naturalis ipsi materiæ uniri.

16. Ob.

16. Ob. 3. In materia est potentia passiva naturalis respectu animæ rationalis; ergo cum omni potentiæ passivæ naturali correspondeat potentia activa naturalis, dari debet potentia activa naturalis, quæ animam rationale in materia producere possit; sed agens naturale, seu potentia naturalis activa non potest producere animam rationalem per creationem, quia creatio est actio propria solius Dei: ergo datur agens naturale potẽs producere animam rationalem per eductionem illius ex potentia materiæ. ¶ Resp. naturalem potentiam primò, & per se esse attendendam in ordine ad actum connaturalem, & proportionatum: anima autem rationalis est actus naturalis, & proportionatus materiæ, & ideo in ipsa est potentia passiva naturalis ad illum actum recipiendum. Quod verò attinet ad potẽtiam activam, in primis datur potentia activa naturalis ad uniendum talem actum tali potentiæ, & hoc modo jam respondet potentia activa naturalis potentiæ naturali passivæ. Deinde quamvis hęc forma à solo Deo fieri possit, tamen Deus in ea actione operatur juxta modum, & ordinem naturis rerum debitum, & hoc satis est, ut dicatur operari per modum causæ naturalis, & ut potentiæ passivæ sufficiens virtus activa respondeat.

17. Dicendum est secundò, formas cęlorum & elementorum in prima sui productione non esse eductas de potentia materię, sed ad creationem totius concreatas. ita S. Th. 1. p. q. 46. art. 3. & q. 66. art. 3. quem sequuntur Phylippus à Sanctissima Trinitate in sua sum. philos. . 2. q. 5. art. 3. Ioannes à S. Th. lib. 1. physic. q. 4. art. 2. Complutenses disp. 4. q. 3. & 4. Mailhat disp. 3. sect. 2. Lao disp. 4. dub. 1. Manca q. 7. dub. 4. Lerma q. 13. & omnes ejus discipuli, & plures alii. Probatur; illę dumtaxat formę educuntur de potentia subiecti, quę illud præsupponunt productum per actionem distinctam, & fiunt concurrente illo in genere causę receptivę: atqui formæ cęlestes & elementales in prima rerum creatione non pręsupposuerunt materiam productam per actionem distinctam ab ea, qua ipsę fuerunt productę: ergo non fuerunt eductæ de potẽtia illius. Probatur minor; vel formæ cęlestes, & elementales pręsupposuerunt materiam productam sub aliis formis, vel denudatam ab omni forma: non potest dici primum: cum primæ formę, sub quibus fuit producta materia, fuerint cęlestes & elementales, ut supponimus ex illo Genes. 1. *in principio creavit Deus cęlum & terram*, id est, cęlum & elementa, ut habet communis interpretatio. Neque secundum, quia materia non fuit producta sine omni forma, ut disp. prec. dub. 4. nu. 59 vidimus: ergo materia non præcessit, sed fuit facta per eandem actionem, qua ipsæ formæ fuerunt productæ. ¶ Confirmatur. Ad eductionem formæ de potentia materiæ requiritur, ut forma illa fiat cum transmutatione, & ex vi transmutationis materiæ: sed formę cęlorum, & elementorum in prima sui productione non fuerunt factæ cum mutatione, & ex vi transmutationis materiæ: ergo neque eductæ. major patet ex dictis. Minor verò probatur, quia ibi nulla intercessit mutatio; quandoquidem ad mutationem requiritur, ut materia transeat à privatione ad habitum, ut sic aliter se habeat nunc, quàm prius. At mate-

materia non præcessit privata prædictis formis, quia ut supponimus, nunquam fuit sine forma, & prædictæ formæ fuerũt primæ, sub quibus producta est: ergo neque ibi præcessit ulla mutatio; atq; adeo neq; eductio.

18. Ob. 1. Formę cęlorum & elementorum, cum sint materiales, dependent in esse & fieri à materia: sed formæ quæ dependent in esse, & fieri a materia educũtur de potentia materię: ergo formæ cęlorũ & elementorũ etiã in prima sui productione fuerunt eductæ de potentia materiæ. ¶ Hoc argumentum si alicujus esset efficaciæ, probaret, non solùm de facto, verùm etiam neque de possibili posse Deum cęlum & elementa creare, quia ipsorum formæ semper sunt materiales. Quod sanè absurdum est, cum agens infinitum non dependeat necessariò in sua actione ab aliquo subiecto. Unde in forma respondeo, negando majorem quo ad dependentiam in fieri. Nec valet si dicas, forma, quæ dependet in esse à materia, dependet etiam in fieri ab illa, quia hoc est verum, quando forma fit per distinctam actionem, qua fit materia, seu quando fieri formæ præsupponit materiam per aliud fieri productam, quod non habetur in presẽti.

19. Ob. 2. Formæ elementales etiã in prima productione fiunt distincta actione, qua fit materia: ergo educuntur de potẽtia illius. Consequẽtia patet, quia cum presupponant materiam factam, & aliàs dependeant ab illa in esse, non poterunt non dependere in fieri; ac proinde non poterunt non educi. ante. Verò probatur. Actio illa, qua creata fuit materia elementaris usque nunc perseverat conservãdo ipsam materiam: actio verò terminata ad formam, vel compositum, cessavit quãdo illud cõpositũ corruptũ fuit: ergo illæ sunt distinctæ actiones, & una præsupponit aliam. ¶ Resp. negando ante. Et ad probationem aliqui dicunt, actionem illam conservativam materiæ, ut formaliter erat conservatio illius, cessasse: quia sicut illa actio non erat conservatio materiæ, nisi ad conservationem totius; ita cessante in esse conservationis totius, cessat ut est conservatio materiæ: quare in illo instanti, in quo cessat, conservabitur materia per actionem generativam compositi advenientis, per quam effectivè habet, ut existat per existentiam prędicti compositi: sicut & in tempore subsequenti conservatur per eandem conservationem, per quam conservatur totum compositũ: quia sicut non existit, nisi ad existentiam alterius; ita nec conservatur, nisi ad conservationem alterius.

20 Hæc tamen solutio mihi non placet: nam actio conservativa est talis naturę, ut quantum est de se, produceret id, quod conservat, si non inveniret illud productum. Actio autem illa generativa non posset producere materiam, si non invenisset illam productam, ut patet. Unde & si illa actio attingat productionem existentiæ, per quam materia existit, quia tamen non potest attingere entitatem materiæ primæ, quia actio ad illam terminata, per quam producitur, debet esse ex nihilo: ideo non potest esse conservativa illius.

21. Occurrit huic impugnationi Mailhat dicens, quòd licèt actio generativa compositi pro ut est à causa secunda, non sit tantæ virtutis, ut possit producere materiam primam; benè tamen ut est à causa prima, quia ut sic, cùm sit actio divina, est emi-

nentèr creativa, atque adeo talis naturæ, ut possit materiam producere, si non inveniret productam. ¶ Sed responsio ista est omnino falsa, quia causa prima concurrit ad eandem formalissimam actionem, ad quam concurrit causa secunda: cum igitur hęc solùm concurrat ad eductionem, & eductio essentialiter non sit creatio, actio illa prout est à causa prima nullo pacto potest materiam producere, ac proinde nec illam conservare.

22. Relicta ergo hac solutione, ad prædictam antecedentis probationē respondeo cum Lerma & aliis, quòd eadem actio, quæ fuit productiva totius compositi, v. g. hujus partis terræ, est etiam conservativa materiæ, quando prædicta pars terræ corrumpitur, & convertitur in herbam. Et licèt à principio talis actio in ratione actionis erat totalis, modo verò quia destructo composito & forma, solùm perseverat talis actio terminata ad materiam, manet in ratione actionis partialis, & incompletæ, sicut si fuisset productio solius materiæ, ac proindè manet ut exigens aliam actionem productivam compositi, per quam compleatur, & ipsi materiæ communicetur existentia. Et sic à principio non alia actione fuit producta materia, & alia actione forma elementaris, sed ambæ una, & eadem actione fuerunt comproductę ad productionem totius.

23. Dicendum est tertiò, omnes alias formas substantiales educi de potentia materię. Hæc conclusio est communis inter DD. & facilè probatur; quia formæ istæ pręsupponunt materiam jam factam; & producuntur eadem actione, qua uniuntur materiæ, & generantur composita: ergo educuntur de potentia materiæ. Omnia patent ex dictis.

24. Contra hanc conclusionem urget argumentum, quòd num. 9. adduximus pro fundamento primæ sententię. Ad quod respondeo, quòd fieri ex nihilo duo dicit, unum est, fieri absolutè & simpliciter; & aliud, quòd talis effectio fit ex nihilo. Primum propriè dicitur de re subsistente, quia ejus est fieri, cujus est esse: id autem propriè est, quod subsistit, & habet esse, nam quòd alteri adjacet, potius est, quo aliud est. Ex hac igitur parte formæ substantiales materiales non fiunt ex nihilo, quia propriè non fiunt. Sumendo ergo ipsum fieri in hac propietate & rigore, sic fieri ex nihilo, est fieri secundùm se totum, idest, nulla sui parte pręsupposita, ex qua fiat. Et hac ratione res naturales dū de novo fiunt, non fiunt ex nihilo, quia fiunt ex præsupposita materia, ex qua componuntur, & ita non fiunt secundū se totæ, sed secundùm aliquid sui. Formæ autem harum rerum quamvis revera totam suam entitatem de novo accipiant, quam anteà non habebant, quia verò ipsę non fiunt, ut dictū est, ideo neque ex nihilo fiunt. Attamen quia latiori modo fumendo verbum illud *fieri*, negari non potest, quin forma facta sit, eo modo quo nunc est, & antea non erat, ideo addendum est, sumpto *fieri* in hac amplitudinè, fieri ex nihilo non tantum negare habitudinem materialis causæ intrinsecè componentis id, quod fit, sed etiam habitudinem causæ materialis per se causantis, & substentantis formam, quæ fit, seu consit. Ex his ergo rectè concluditur, formas substantiales materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex materia, quæ in suo genere per se concurrit, &

& influit ad esse, & fieri talium formarum.

DUBIUM TERTIUM.

An in eductione formæ substantialis necessarium sit, ut productio materiæ antecedat tempore?

25. Affirmativam partem mordicus defendunt Complutenses hic disp. 4. quæst. 2. nu. 14 quam sententiam plures alii sequuntur; quorum præcipua fundamenta sunt. Primò quia cum materia non possit fieri per propriam actionem, necesse est, ut actio productiva formę, quę educitur, pręsupponat materiam factam sub alia forma, & sub alio toto: sed talis pręsuppositio materię non potest esse secundùm ordinem naturę, involvens simultatem in eadem duratione reali; alioquin duę formę substantiales, illa nimirum quę educitur, & illa sub qua primò materia producta est, essent simul in eadem duratione in illa: ergo erit secundùm ordinem durationis realis.

26. Secundò, quia ut ex potentia materię educatur aliqua forma, requiritur quòd pręcedat in materia privatio talis formę: sed si in eodem instāti temporis producatur materia, & forma in illa introducatur, non potest ad productionem talis formę privatio illius pręcedere in materia, quia cum privatio formę sit negatio illius, in eodem instāti temporis materia esset cum tali forma, & cum negatione illius, quod est impossibile; alias enim pro eodem instanti temporis verificaretur istę duę contradictorię, *materia est sub tali forma: materia non est sub tali forma*: ergo nisi materia pręcedat prius tempore productionem formę, non potest forma ex potentia materię educi.

27. Et tertiò, quia ut ex materia educatur forma substantialis, debent pręcedere dispositiones, aliàs nulla esset ratio, quare hęc potius forma, & non alia educeretur: sed tales dispositiones pręcedunt tempore: ergo.

28. Sed contraria sententia longè probabilior semper mihi visa est, quā tenent Ioannes à S. Thoma hic q. 4. art. 2. Lerma q. 14. Mailhat disp. 3. sect. 2. & alii recentiores Thomistę. Ratio autem est, quia ut ex materia educatur forma, solùm requiritur, quòd talis forma in suo fieri dependeat ab influxu materię: atqui forma in suo fieri dependere potest ab influxu materię, si hęc tantùm in priori naturę pręsupponatur producta, quia materia in priori naturę producta habet sufficientem entitatem ut in posteriori naturę, in quo per distinctam actionem ab agente producitur forma, recipere in se possit ipsam formam, in qua receptione influxus materię consistit: ergo ut educatur forma ex materia, non est necessarium, quòd productio materię duratione temporis antecedat.

29. Confirmatur aliquibus exemplis; nam quando ex speciebus sacramentalibus corruptis producuntur vermes, talis productio, cum fiat virtute agentis naturalis, non potest esse creatio, sed est vera generatio, & vera eductio formę vermis ex potentia materię: & tamen ipsa materia non pręcedit ipsam eductionem formę vermis prius tempore producta, aliàs per aliquod tempus maneret sine forma: sed in eodem instanti temporis, in quo producitur, educitur forma virtute agentis naturalis. Rursus, gratia habitualis educitur de potentia subiecti, & tamen Angeli

in primo instanti habuerunt illam, juxtà illud Augustini, *erat deus condens naturam, & largiens gratiam*. Et B. Virgo Maria in eodem instanti temporis, in quo ejus anima creatà fuit, habuit gratiam, aliàs non fuisset immunis à contractione culpæ originalis: ergò cum illa educta fuerit ex potentia ejus obedientiali, forma potest in aliquo temporis instanti educi de potentia subiecti, quòd in eodem instanti tẽporis incipit esse.

30. Unde ad primũ dicimus, quòd licet ordinariè eductio formę substantialis pręsupponat materiam in aliqua duratione temporis, quia pręsupponit illam factam sub alio toto, ut probat argumentum; ex hoc tamen non sequitur, talem pręcedentiam temporis esse omnino necessariam ad eductionem, etenim potest dari casus, in quo materia produceretur sine forma, & in eodem instanti reali forma educeretur ex illa, ut fieri diximus in generatione vermium ex speciebus sacramentalibus corruptis.

31. Ad secundum respondetur, quòd licet propriè non possit esse in materia privatio illius formæ, quam ipsa materia tempore non pręcedit, quia ut rectè probat argumentum, non potest in eodem instanti temporis esse in materia aliqua forma, & illius propriè privatio, tamen si materia per distinctam actionem ac forma producatur, potest in aliquo priori naturę materia pręcedere formam, & intelligi absque forma, quòd est illam esse cum privatione minus propria, & latè sumpta formæ: & hoc sufficit, ut in altero posteriori naturę, & per alteram distinctam actionem forma cum transmutatione materię ex illius potẽtia educatur.

32. Tertium autem solum probat, quòd nisi prius tempore ad eductionem alicujus formę pręcedat materia, vel aliquid vicem gerens materię, in quo ad productionem talis formę recipiantur dispositiones, non possit virtute agentis naturalis educi ex illo forma, quia agens naturale creatum solùm potest educere formam ex materia ad id disposita; hoc tamen non tollit, quòd agens increatum, quod ad productionem alicujus non indiget dispositionibus, possit formam materialem ex potentia materię prioritate solùm naturæ præcedentis educere.

DUBIUM QUARTUM

An formæ accidentales educantur de potentia subiecti?

33. Sicut materia est subiectũ formæ substantialis, ita compositum est subiectum formæ accidentalis. Est ergo difficultas, utrum sicut formę substantiales materiales in quotidianis rerũ generationibus educuntur de sinu materiæ, ita accidentales educantur de potentia sui subiecti? Formæ autem accidentales alię sunt ordinis naturalis, aliæ ordinis supernaturalis: alię sunt connaturales subiecto, aliæ violentæ, & aliæ nec connaturales nec violentæ subiecto. Et de õnibus præsens dubiũ procedit.

34. Prima conclusio. Formæ accidentales connaturales suis subiectis, quæ ab eorum essentia dimanant, & in eodem instanti sunt cum illa, non educuntur de potentia subiecti, sed ad eductionem formæ, à qua dimanant, coeducuntur. Prima pars probatur; quia hæ formæ accidentales, cum sint proprietates, & passiones, producuntur per eandem actionem, per

quam producitur forma substantialis, & generatur compositum : resultant enim ut terminus secundarius talis actionis : sed forma, quæ producitur ad productionem subiecti, non educitur de potentia illius; quia una ex conditionibus requisitis ad eductionem est, quòd subiectum præsupponatur productum per distinctam actionem, qua producitur forma: ergo &c. ¶ Deinde probatur secunda pars conclusionis, quia qui dat formam, dat consequentiā ad formā : ergo qui educit formam præcipuam, seu essētiam, ex qua hæ propietates dimanāt, ad quamq; consequuntur, coeducet etiam prædictas proprietates. Hec autem secunda pars conclusionis intelligi debet de illis propietatibus, quarum essentiæ, seu formæ, à quibus dimanant, educuntur de potentia materiæ nam si semel essentia, vel forma fit per creationem, tunc etiam prædictæ propietates concreabūtur, ut patet in anima nostra, quæ quia creatur, non habet proprietates, scilicet intellectum, & voluntatem, eductas, sed concreatas ad creationem ipsius animæ.

35. Secunda conclusio omnes aliæ formæ accidentales educuntur de potentia subiecti : ita Suarez tom. 1. met. disp. 16. sect. 2. Complutenses lib. 1. physic. disp. 4. q. 5. Philippus à Sanctiss. Trinitate q. 5. art. 4. Ioannes à S. Th. q. 4 art. 2. Lerma q. 15. Mailhat disp. 3. sect. 2. §. 2. concl. 2 & alii plures. Probatur omnis forma quæ quando producitur, dependet actualiter in suo fieri à subiecto, non creatur, sed educitur de potentia subiecti; quòd n. creatur, licèt possit fieri in subiecto, non tamen depēdet ab illo : sed omnes formæ accidentales preter eas, de quibus locuti sumus conclusione præcedenti, quando producuntur, in suo fieri actualiter dependent à subiecto : ergo educuntur de potentia subiecti. Prob. minor omnes formæ accidentales (proprietatibus & passionibus exceptis) fiunt per distinctam actionem, ac fit ipsum subiectum : & cum esse accidentis sit inesse subiecto, eadem actione producuntur, & uniuntur subiecto: sed hoc est, formam in suo fieri actualiter dependere à subiecto : ergo &c Confirmatur quia si istæ formæ accidentales quando producuntur non dependerent in suo fieri à subiecto, alia actione producerentur, & alia actione unirentur subiecto : sicut ex eo, quòd anima rationalis non dependet in suo fieri à corpore, alia actione producitur, & alia actione unitur corpori : sed accidentia ista, de quibus loquimur, eadem indivisibili actione fiunt, & uniuntur subiecto, quòd jam per aliam actionem præsupponunt productum : ergo in suo fieri actualiter dependent ab illo.

36. Ob. 1. Subiectum non habet inclinationem naturalem ad formam violentam, immo illi positivè resistit: ergo cum ad eductionem concurrere debeat subiectū, forma violenta educi non potest de potētia illius. ¶ Resp. negando consequentiā, quia ad eductionem non requiritur inclinatio naturalis subiecti, sed solùm dependentia in esse & fieri formæ ab illo, quam dependentiam etiam formæ violentæ habent ad subiectum. Et licet ad formam violentam resistat subiectum; hòc tantū habet capacitatem, ut agēs vincens ejus resistentiam, talem formam in se recipiat.

37. Ob. 2. Ad hoc ut formæ educantur de potentia subiecti, necesse est, ut contineantur in illo tanquam in

in causa, ut ex dictis constat: sed formę accidentales supernaturales nō continentur in subiecto ut in causa: ergo non educuntur ex potentia subiecti Prob. minor, quod continetur in alio tanquam in causa, est ejusdem ordinis cùm illo: sed formę hę supernaturales pertinent ad superiorē ordinem: ergo contineri non possunt in subiecto tanquàm in causa. ¶ Resp. negando minorem, & ad probationem dico, quod formæ accidentales supernaturales non continentur in subiecto secundùm potentiam naturalem, sed secundùm potentiam obedientialem, quæ quidē potentia obedientialis formaliter sumpta, est supernaturalis; & sic educi possunt ex ea, quæ est ejusdem ordinis cum illis.

DISPUTATIO QUARTA

De Privatione.

POstquàm egimus de principiis entis naturalis in facto esse, restat ut de privatione, quæ illius principium est in fieri, sermonem instituamus, & meritò ultimo loco de hoc principio agimus: tum quia ignobilius est quàm alia duo, scilicet materia & forma, quandoquidem non est ens, sed carentia entis ut statim dicam: tùm etiam, quia non nisi per formam, & ratione formæ, cujus est privatio, cognosci potest.

DUBIUM PRIMUM

Quid sit privatio? an detur in rebus? & utrum sit ens reale, vèl rationis, an purum nihil?

1. DIco primò. Privationem strictè sumptā (de hac enim agimus in præsenti) esse negationem formæ in subiecto aptè nato habere illam, ut cęcitas in homine est privatio, quia negat visum, quem natus est habere homo; Talpa verò non dicitur privata visu, quia ut Talpa est, non est capax visus. In hac definitione negatio tenet locum generis, quia ratione illius privatio cum aliis negationibus, & minus propriis privationibus convenit. Connotatio verò subiecti aptè nati habere formam, est differentia essentialis privationis, per quam à negatione distinguitur, & constituitur in esse specifico privationis.

2. Dico secundò, Dari revera privationem in rebus. Et prob. quia in rerum natura sunt aliqua entia, quę carent bono sibi debito, ut patet in cęcis, surdis, mutis, & similibus: ergo cum privatio sit carentia formæ debitæ, revera datur in rebus illis vera privatio.

3. Dico tertiò, Privationem non esse entitatem aliquam positivam. Et prob. quia privatio essentialitèr est negatio; negatio autem nihil est. Undè non placet sententia aliquorū, qui licet admittant privationem non esse ens reale, si ens reale sumatur pro entitate reali positiva; volunt tamen posse dici ens reale, quatenus est fundamentum verę cōpositionis in propositione, & adducunt S. Th 1.p. q. 48. art. 2. ad 2. Sed iste modus dicendi est valdè improprius, & alienus à modo loquendi philosophorū, quid enim refert, quòd aliquid in propositione verè affirmari possit, ut propterea ens reale dicatur? profectò consequens erit, etiam nihil fore dicendum ens reale, quia in propositione poterit verè affirmari, cum dico, non ens est nihil; itaq; impertinens est hoc. Neque S. Th. est pro illis; solùm enim docet, privationes esse

in

in rebus, quia affirmari possunt de ipsis rebus, ut cum dico, Petrus est cæcus; aliud est enim esse in rebus, aliud esse ens reale. Est quidem privatio in rebus, quia revera sunt aliquæ res aliquo bono sibi debito privatæ, non autem est aliquo modo ens reale.

4. Dico quartò, Privationem formaliter sumptam non esse ens rationis; nisi accidentaliter cum ad modũ formæ concipitur. Prima pars probatur; quia privatio formaliter, ut removet formã à subiecto aptè nato, est independens ab intellectu; nam antequam intellectus aliquis cogitet, Petrus est cæcus, & Franciscus est surdus: ergo formaliter non est ens rationis. Secunda pars conclusionis etiã facilè probatur; quia concipi ad modum formę positive accidit privationi ex fictione intellectus: ergo accidentalitèr est ens rationis.

5. Dico quintò, Privationem formalitèr esse negationem, solumq; ab illa differre, quòd in obliquo connotet subiectum capax formæ, quam de illo negat. Hæc conclusio patet ex dictis, & ex sufficienti partium enumeratione, nihil enim aliud restat.

6. Dices: Privatio est principium generationis naturalis, tanquam terminus *à quo* est: sed generatio non est ex nihilo; si enim esset ex nihilo, non esset generatio, sed creatio: ergo privatio non est sola negatio. ℣ Resp. committi in hoc argumento maximã æquivocationem; quando enim dicimus, generationem non esse ex nihilo, ideo hoc dicimus, quia debet præsupponi materia, quæ si non presupponitur, est creatio. Quare impertinens est, quòd privatio sit nihil, non enim ex ipsa ut ex subiecto fit generatio.

DUBIUM SECUNDUM

An privatio univocè conveniat cũm materia, & forma in ratione principii.

7. Disputatione prima vidimus privationem esse principium, per se generationis; restat videndum, quomodo in ratione principii conveniat cum materia, & forma.

8. Unica conclusio Privatio non convenit univocè cùm materia, & forma in ratione principii. Sed tantùm analogicè: analogia proportionalitatis. Prima hujus assertionis pars probatur; quia enti & non enti quatenus tali non potest dari aliqua ratio communis univoca, ut omnes fatentur: sed in ratione principii privatio est non ens, nam est principium generationis per modum termini *à quo*, qui quidem terminus *a quo* est non esse: materia verò & forma sunt entia positiva, ut patet: Ergo ratio principii non est illis univocè communis.

9. Probatur secunda pars conclusionis. Privatio est principium entis naturalis: ergo in ratione principii cõvenit cum cæteris principiis entis naturalis. Sed non convenit univocè cũ illis, ut jàm ostentum est: ergo tantùm analogicè; non analogica attributionis; siquidem Arist. & cęteri philosophi appellant privationẽ principium simplicitèr entis naturalis: ergo analogia proportionalitatis.

10. Dices: Ratio scibilis potest esse communis univoca respectu entis realis, & rationis, quod re vera non est ens: ergo etiam ratio principii potest esse univoca respectu privationis, & aliorum principiorum, licet privatio sit re vera non ens, & alia princi-

pia

pia sint quid positivum. Consequentia patet à paritate. Antecedens verò probatur quia logica convenit univocè cùm aliis scientiis in ratione scientiæ: ergo ejus obiectum, quod est ens rationis, convenit etiam univocè in ratione scibilis cū aliis obiectis scibilibus, quæ sunt entia realia, non potest enim scientia habere majorem unitatem in ratione scientiæ, quàm obiectum in ratione scibilis; cum scientia ab obiecto in esse scibilis specificetur.

11. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia ad rationem scibilis materialiter se habet in ente rationis, quod sit non ens: nam alius est ordo, & ratio scibilium, & alius ordo rerum: formale illius solum consistit in hoc, quòd habeat passiones demonstrabiles: & ideò ratio illa univoca non est communis enti, & non enti ut formaliter non ens. Cęterùm privatio ut non ens formaliter est principium entis naturalis: e contrà verò materia, & forma, ut dictum est: & ideo ratio principii eis non potest esse communis univoca.

DISPUTATIO QUINTA

De ente naturali.

Diximus hucusque de principiis entis naturalis; oportet ut dicamus de ipso ente naturali: sic enim & ipsorum principiorum natura magis cognoscetur, & finem, in quē à natura destinata sūt melius percipiemus.

DUBIUM PRIMUM

An ens naturale componatur essentialiter ex materia & forma?

1. NON defuerunt ex antiquis philosophis, qui dixerunt, solam formam esse totam quidditatē entis naturalis seu compositi substantialis. Quæ opinio communiter reiicitur, ut parum consentanea principiis nostræ fidei. Nam ex ea evidentèr sequitur, quòd Christus homo mansisset in triduo mortis in rerum natura, quia etiam in illo triduo mansit divinum Verbum unitum animę rationali juxtà illud, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*. Si igitur hæc est tota hominis quidditas, fuit etiam in illo triduo natura humana in rerum natura Verbo unita, àc proindè Christus homo. Item sequitur, quòd homo sit immortalis, & incorruptibilis, quia anima rationalis est immortalis, & incorruptibilis. Et tandem sequitur, nos non esse resurrecturos denuo in die judicii, quandoquidem nunquam periissemus.

2. Dicendum est igitur, ens naturale, seu compositum substantiale intrinsecè componi ex materia, & forma tanquā ex duabus partibus essentialibus. *Probatur primò* ex illo symboli S. Athanasii, *sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*. Ergo sicut solus Deus non constituit Christum, sed Deus, & homo: ita nec anima rationalis constituit hominem, sed anima, & caro, idest materia. ¶ *Probatur secundò* ex D. Augustino lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 3 ubi sic ait: *Homo nec est anima solùm, neq; solum corpus, sed ex utroque compositum*. Idem docet Boetius lib. de du bus naturis, & passim D. Th præsertim in 1. cont. gent c.21 & 1.p.q.75.art 4. tenentq; omnes Doctores, & Sancti Patres. ¶ *Probatur tertiò* ratione: quia cum definitio explicet quidditatem, rei, illud erit essentia physica hominis, quod per definitionem physicam explicatur:

tur:sed per talem definitionem explicatur non sola anima, sed etiam corpus: definitur enim homo definitione physica, quod sit *constans anima, & corpore*: ergo non sola anima, sed etiam corpus, idest materia, est de quidditate illius. ¶ Confirmatur ex eo quòd homo definitione metaphysica definitur, quod sit *animal rationale*, non solùm rationale. Uerùm etiã animal pertinet ad essentiam hominis: ergo si definitione physica definitur, quòd sit *constans anima, & corpore*, non solùm anima sed etiam corpus pertinebit ad quidditatem illius. ¶ *Probatur ultimò* paritate: nam eodẽ modo (quoad præsens attinet) discurrere debemus de entibus naturalibus, seu compositis substantialibus, ac discurrimus de artefactis, seu compositis artificialibus:sed in artefactis, seu compositis artificialibus, licet figura formaliter determinet materiam ad hoc artefactum, non tamen adequatè illud constituit; Cathedra enim non est sola figura, sed etiam lignum, ut docet Aristotiles 3. physic. tex. 66. dicens, ęs aut lignum esse partem statuæ: ergo neque in entibus naturalibus seu compositis substantialibus sola forma erit tota quidditas illorũ quamuis forma determinet materiam ad hoc uel illud compositum.

3. Ob. 1. Potentiæ operatiuæ, & operationes oriuntur àb essentia tanquam à prima radice: sed in homine adæquata radix potentiarum, & operationum est sola anima rationalis, nam hęc unita æquè ac separata elicit actus intellectionis, & volitionis: ergo anima rationalis est tota quidditas hominis. ¶ Resp. distinguendo minorem, est adæquata radix omniũ operationum, nego minorem, aliquarũ, nempe actuum intellectus, & voluntatis, subdistinguo, quo *ad substantiam*, concedo, quo *ad modum*, nego, nàm etiam hi pendent à materia, cum eliciuntur in corpore, nàm phantasmata in hac vita intellectum in operando semper comitantur. Aliæ verò potentiæ, quæ sunt materiales, ut sunt sensus omnes, non oriuntur à sola anima, sed à tota substantia hominis, in qua etiam recipiuntur, & hoc sufficit, ut materia sit partiale principium illarum, & consequentèr partialiter constitutiva compositi.

4. Ob. 2. illud formalitèr est de essentia alicujus rei, per quod res illa àb aliis distinguitur; quia ut ait Philosophus 7. met. tex. 41. *idem est constitutivum, ac distinctivum*. Sed unũ compositum substantiale distinguitur àb aliis compositis substãtialibus per formam, non autem per materiam: ergo sola forma erit tota quidditas compositi substantialis. Probatur minor, eadem materia, quæ informatur forma viventis, mortuo vivente informatur forma cadaveris: ergo vivẽs, & cadaver non distinguuntur penes materiam, sed tantùm penès formam. ¶ Resp. concedendo majorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quòd cum materia sublunaris sit commune subiectum omnium formarum sublunarium, non mirum quòd successiuè pertineat ad diversa composita substantialia, & eorum essentias ingrediatur. Ad veritatem autẽ nostræ conclusionis sufficit, quòd materia dum est in uno composito, sit pars essentialis illius, & non alterius.

5. Ob. 3. illud non pertinet ad intrinsecam rei essentiam, quòd variatur invariata essentia: atqui invariata essentia hominis variatur materia; hęc enim vi caloris naturalis continuò deperditur, & nova per nutritionem acqui-

acquiritur;& nihilominus homo usq; dum vivit, quoad sua essentialia non mutatur, sed manet idem: ergo materia non pertinet ad essentiam hominis.

6. Ob hoc argumentum ponunt nonnulli materiam, quam vocant primogeniam, quam scilicet homo accipit in prima conceptione, & hanc dicunt nunquam deperdi. At sanè hoc videtur dici non posse; quia fieri debet continuum miraculum, ut partes illæ primæ saltèm ex parte per totam vitam non deperdantur; non enim minus miraculum est, quòd calor naturalis non agat in partes illas, quam quòd ignis non comburat materiam sibi appositam, cum materia illa primogenia non sit minus apta ut in illã agatur, quàm quævis alia.

7. Respondeo igitur cùm aliis negando minorem; & ad probationem dico, quòd materia quamvis varietur materialitèr, quatenus vi caloris naturalis aliquid ex ea deperditur, & aliud per nutritionẽ paulatim acquiritur; formalitèr tamen manet eadem quamdiu homo vivit; quia materia de novo acquisita fit una numero cũ præexistenti, eo quod ei physicè unitur, ut latè ostendam lib. 1. de generat. disp. 6. dub. 4.

8. Ob. 4. Dari potest idem numero homo, etiamsi nõ habeat eandem materiam, quam prius habebat, sed diversam: ergo hæc numero materia nõ est de essentia hujus numero compositi substantialis. Consequentia patet. Et antecedẽs probat. in resurrectione generali vnusquisque homo resurget idẽ numero: sed accidere potest, quòd duo homines habeant diversis temporibus eandem materiam, vt patet in illis, qui carnibus vescuntur humanis: ergo cum eadem materia vtriq; concedi nequeat, fit inde quòd alter illorum resurget idem numero, etiamsi non eam, quam prius habebat, sed diversam habeat materiam.

9. Durandus in 4. dist. 44. q. 1. & Suarez disp. 5. met. sect. 6. volunt, compositum substantiale non constare essentialiter ex hoc numero corpore, sed ex ista forma, & quolibet corpore: & sic, vt resurgat idem numero homo, satis est, (aiunt) resurgere cum eadem numero anima, & cũ quauis ex materiis sublunaribus, quia ista anima indifferenter respicit quodlibet corpus. Verùm solutio hęc non consonat cùm illo Iob. 19. *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Nam sicut ad veritatem Verborũ cõsecrationis panis, quæ modo fit, non satis esset poni ibi quodcumque corpus vnitum animæ Christi, sed necessarium est, poni illudmet corpus, quod de Uirgine natum est, vt docent cõmuniter SS. Patres, & Doctores; ita ad verificanda illa verba, *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*, non satis est, quòd resurgat quis cum propria anima, & quovis corpore, seu materia, sed necessarium est, ut cum illo eodem corpore, seu materia, quam in vita habuit, resurgat, in eaque videat Deum Saluatorem suum.

10. Rejecta igitur hac solutione, aliter respondeo, negando antecedẽs: & ad probationem dico cum S. Th. lib 4. cont. gent. cap. 81. quod si eadem pars materiæ in diversis hominibus fuerit, tunc illi tribuetur, qui eam habuit in sua prima productione. Quod si contingerit in hoc esse ęquales homines illos, tunc ei concedetur, qui prius illam habuit, quia primum jus in eam requisiuit, & illius propria facta est; qui verò illam postea habuit, quasi mutuatam eam accepit, & ideò non

non huic, sed illi tribuenda est. Alteri verò concedentur aliç partes materię vel ex iis, quas per nutritionem propriam illud individuum acquisivit, vel per calorem naturalem deperdidit. Et licèt metaphysicè loquendo non repugnet, ut omnes partes materiæ, quas Petrus v. g. habuit in instanti suæ generationis, & acquisiuit nutritione, aut per calorem naturalem deperdidit, fuerint prius concessę alteri, aut aliis, quibus proinde necessariò restituendę sint: attamen ad suavitatem divinæ providentiæ spectat, supposita voluntate, & decreto, quod habet de resurrectione hominũ, res ita disponere, ut tota hujus individui materia ad alterum non pertineat, sed quòd ita in vita singulorum distribuerit partes materiæ, ut cuilibet in resurrectione novissima possit concedi propria materia taliter, ut unum & idem numero individuum maneat.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum materia & forma in composito substantiali uniantur immediatè per se ipsas, an verò medio aliquo nexu ab eis realiter distincto?

11. PRrima conclusio, materia, & forma in composito substantiali uniuntur medio aliquo nexu ab eis realitèr distincto. Ita Bannez 1. p. q. 76. art. 1. dub. 3 Cabrera 3 part. q. 2. art 4. disp 8. num. 27. & in codicibus manuscriptis, Magister Conzales 3. p. disp. 16. sect. 1. Magister Herrera eadem 3. part. q. 2. ubi etiam Arauxo, Complutenses in physica disp. 6. q. 2. Manca q. 1. dub. 2 Lao disp. 6. dub. 1. & alii plures Thomistę.

12. Probatur primò; si materia & forma seipsis, & non medio aliquo nexu unirentur, eo ipso quòd forma esset intimè præsens materiæ, non non posset non esse illi unita; quia tunc haberetur totum id, quod per adversarios ad unionem desideraretur: sed datur forma intimè præsens materiæ, absquè eo quòd illi sit unita: ergo materia & forma non seipsis, sed medio aliquo nexu ab eis distincto, uniutur. Probatur minor. In illo priori, in quo anima rationalis creatur à Deo, est præsens materiæ, cum creetur intra corpus; & nihilominus in illo priori non est unita materiæ, cum uniatur illi per aliam actionem ab agente naturali in posteriori naturæ: ergo datur forma intimè præsens materiæ, absque eo quòd illi sit unita.

13. Probatur secũdò; Omnis actio, quæ verè habet rationem actionis, debet habere aliquem terminum de novo productum; quia de essentia verę actionis est, esse actuale fieri rei: sed generatio hominis est vera actio: ergo per generationem hominis aliquid de novo produci debet: atqui nihil de novo productum potest tali generationi correspondere, nisi modus unionis inter materiam & formam, cum per illam nec materia, nec forma producatur: ergo inter materiã & formã hominis aliquis intervenit modus unionis realiter ab illis distinctus: ergo cum eadem sit ratio de unione materiæ cum qualibet alia forma substantiali, omnis illa fit medio aliquo modo unionis.

14. Probatur tertiò; Per corruptionem aliquid desinit esse: sed per corruptionem substantialem hominis non desinit esse materia, cum sit incorruptibilis, nec forma scilicet ani-

ma rationalis, cum sit immortalis; sed unio, seu nexus: ergo unio seu nexus est quid realiter distinctum ab illis. Probatur consequentia; quia quod perit remanente alio, distinguitur realiter ab illo: ergo si in corruptione substantiali hominis remanentibus materia & forma, perit unio, seu nexus, unio seu nexus erit quid realitèr distinctum ab illis.

15. Ob. 1. Materia & forma præcisè, & secluso quocumq; alio, possunt invicem copulari, & efficere unũ substantiale: ergo superflua erit quęuis realitas præter materiam, & formã ad earum unionẽ: consequẽtia patet. Antecedens verò prob., materia essentialiter est potentia, & forma essentialiter est actus, & earum quelibet ingenita propensione propendit in alteram, ut totum conponat, & perficiat: ergo se solæ secluso quocumq; alio invicem copulantur, & unum per se efficiunt. ¶ Resp. negando Antecedens, & ad probationem dico, quòd licet materia essentialiter sit potentia, & forma essentialiter sit actus, & quelibet ipsarum dicat maximam propensionem ad unionem; non propterea sequitur, se ipsis immediatè uniri, quia de essentia ipsarum non est actualis unio, sed unibilitas, & sic requiritur utriusq; causalitas, quæ in prædicto nexu consistit, ut uniantur.

16. Ob. 2. vel modus iste medius inter materiam, & formam unitur illis medio alio modo unionis, vel se ipso: non potest dici primum, aliàs daretur processus in infinitum Si autẽ unitur seipso, ergo idem de ipsis partibus, quæ essentialiter tanquam potentia, & actus substantialis se respiciunt, dicendum erit. ¶ Resp. negãdo consequentiam; nam sicut quantitas, quia facit extensam substantiam, non eget aliquo alio, quo ipsamet extensa sit: & actio, quia est fieri effectus, non eget alio fieri, sed se ipsa ut *quo* exit ab agente: sic & modus iste unionis, quia re vera est nexus, & actuale vinculum partium, non eget alio nexu ut se uniat partibus, non tanquã extremum, sed tanquam extremorũ nexus. Hæc autèm ratio non reperitur in materia, & forma, quæ licèt sint inter se unibiles, non tamen sunt essentialiter ipse nexus.

17. Ob. 3. materia, & forma debent immediatè uniri, ut unum substantiale componere possint: ergo nõ uniuntur media unione distincta, si unirētur media unione distincta, nõ unirẽtur immediatè. ¶ Res negãdo cõsequentiam; & ad probationem dico, mediationem unionis non impedire immediatam connexionem partium, quia unio solùm mediat ut *quo*, idest, ut ratio formalis, qua uniuntur extrema, non ut *quod*. Sicut oculus dicitur immediatè videre colorem, licèt mediet visio, imo hæc necessariò mediare debet, alioqui oculus non videret, cum visio sit ratio formalis, per quam redditur oculus videns.

18. Secunda conclusio, materia, & forma una tantùm unione intèr se uniuntur, quæ prout se tenet ex parte materiæ, dicitur causalitas materie, & pro ut se tenet ex parte formæ, dicitur causalitas formæ. Ita Complut. disp. cit. q. 3. num. 42. & plures alii. Probatur quia unicus modus unionis potest perfectè, & completè unire materiã, & formã: ergo superfluè ponitur duplex. Consequẽtia patet, quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora. Antecedens verò probatur, unio ut talis est vinculum duorum: ergo ad duas partes unien-

das

das unica tantùm unio erit sufficiens. ¶ Confirmatur impossibile est, quòd materia intelligatur unita formę, quin eo ipso intelligatur forma unita materiæ: ergo per modum illum unionis, quo materia unitur formæ, manebit forma realitèr unita materiæ; & consequenter altera unio erit superflua.

19. Dices: Dupplex unio non est necessaria, ut partes præcisè copulentur, sed solùm ut materia, & forma sese mutuo causare possint. Hæc n. mutua causalitas, cum sit actualis receptio, & informatio, non potest inter eas reperiri, si unicus tantùm intèr utramque adest nexus. ¶ Sed contra, quia materia, & forma sunt actu causantes ratione unionis: ergo si ut sint unitæ intèr se non requiritur, nisi unicus tantùm nexus, neque ad causalitatem earundem quidpiam aliud desiderabitur. Per hoc enim quòd materia, & forma sint unitæ, forma se communicat, datque suam entitatem materiæ, & materia recipit ac sustētat in se formam: ergo quælibet in suo genere ratione talis unionis exercet suam propriam causalitatem.

20. Dices 2. cuilibet causæ debet correspondere propria causalitas: causalitas autem causarum intrinsecarũ materiæ, & formæ est unio: ergo cum sint duæ causæ, duas debent habere uniones. ¶ Resp. nullam esse repugnantiam in hoc, quòd eademmet etitas realis, formaliter tamen diversa, possit esse causalitas diversarũ causarum ejusdem ordinis: non n. requiritur tanta distinctio inter causalitates, quanta est inter causas, ut patet in causis efficientibus subordinatis, & earum causalitatibus.

21. Dices 3. materia verè recipit, & non informat; & forma verè informat, & non recipit: ergo actualis receptio, & informatio non sunt re ipsa una, & eadem entitas, sed duplex. ¶ Resp. negando consequentiam, quia hæc unio licèt entitativè sit una, virtualiter tũ est duplex; & ideo àb eadē unione potest materia habere hoc quod est recipere, & nō informare, & forma informare, & non recipere.

22. Ex dictis habes, unionem istam recipi tam in materia, quam in forma quia modus unionis ut uniat extrema, debet recipi in ipsis extremis.

23. Dices: una, & eadem forma non potest recipi in duplici subiecto: ergo neque una, & eadem unio in duobus extremis. ¶ Resp. quòd licet prædicta duo extrema realitèr distinguantur, afficiunt tamen unũ subiectũ totale, & quodlibet ex illis seorsim sumptũ est subiectũ partiale respectu prædictæ unionis; non est autē novũ, quòd eadē forma sit in multiplici subiecto partiali realiter distincto ut in infinitis exemplis videri potest.

24. Tertia conclusio, unio, qua anima rationalis unitur corpori, non est spiritualis, sed materialis, & corporea. Est contra Suarem disp. 15. met. sect. 3. & alios. Prob. efficacitèr, quia in generatione hominis unio attingitur à generante, vt à causa principali: sed generans non potest virtute corporea, qualis est potentia generativa, producere modum aliquem entitativè spiritualem; alioquin effectus excederet uirtutem suæ causæ: ergo talis modus non est spiritualis, sed materialis, & corporeus.

25. Dices: Si hæc unio est materialis, & corporea, nequit unire, & attingere animam, nexus n. proportionari debet cum re nectenda. ¶ Proptèr hanc difficultatē aliqui dixerunt, unionem hanc esse inhæsivè in materia,

ria, quia corporea est, terminativè verò in anima rationali, quia attingit illam nõ per inhæsione,sed adhæsionem, ad similitudinem unionis hypostaticæ, quæ est aliquid in humanitate, ipsiq; inhæret, absque eo quod i hæsivè attingat verbum divinum.¶ Sed doctrinam hanc ego non approbo, Theologi n. multum laborant, ut explicent, quomodo verbum divinum sine aliqua mutatione fuerit humanitati unitum; si autem talis modus unionis in anima rationali inveniretur, ita ut sine ulla prorsus mutatione sui maneret unita, satis facile posset percipi modus ille ineffabilis unionis. ¶ Confirmatur id, quod tribuitur unioni hypostaticæ, quia modus mirabilis est, & supra omnem intellectum creatum, non debet affirmari de alia unione; nam (ut Concilium Toletanum ait)si haberet exẽplum, non esset singulare: ergo cùm hoc, quod est unire sine mutatione unius extremi, tribuatur ut quid mirabile unioni hypostaticæ; non est hoc unioni animæ rationalis cũ corpore tribuendum. ¶ Confirmatur secundò quia Theologi in solam immutabilitatem Uerbi, & infinitam perfectionem ejus referunt,quòd non sit subiectum unionis hypostaticæ, quo impedimento semoto,nullus dicere dubitaret, quòd unio Uerbum afficeret, & illud immutaret. Ergo cum forma sit capax mutationis, fatendum erit, unionem se tenere ex parte utriusq;, & illas immutare.

26. Relicta igitur solutione ista, ad instantiam respondeo, concedendo unionem illam corpoream, se tenere ex parte utriusq; extremi, & utriq; inhęrere, seu utrumq; intrinsecè afficere, non obstante spiritualitate animæ, quia licet hęc entitativè sit spiritualis, est tamen forma corporis, & in re spirituali, quæ simul est forma corporis, benè recipi potest modus aliquis corporeus.

DUBIUM TERTIUM

Utrum totum physicum realiter distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

27. EST certum apud omnes, compositum physicum realitèr distingui à qualibet parte seorsim sumpta, cum supra illam addat aliam. Similiter est certum, realiter distingui à partibus simùl sumptis, non autem vnitis, cum supra illas addat unionem quæ est modus aliquis realiter distinctus ab illis,ut jam ostensum est Quare tota controuersia est de partibus simul sumptis, & unitis.

28. Partem affirmativam defendit Scotus in 3 dist. 2. q.2. art. 1. sed iste Doctor,quamuis alias subtilis,nõ procedit coherenter; quia ipse tenet,omnia quæ realiter distinguuntur, posse ad invicem separari: ergo cum totum separari nequeat à suis partibus simul sumptis, & unitis, inconsequentèr ad sua principia asserit, illud à suis partibus simùl sumptis, & unitis realiter distingui.

29. Prima conclusio, Totum physicum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Est Arist.4. physic.tex.35. & 2 de anima, & 5. met. tex.31. D Th. 1. p. q. 11. art 2. ad 2.& q. 75. ar.4. in corp. & 4. cont gent.q.81. plurium Thomistarũ, & ferè omniũ Recentiorum; vt Suar. disp 36. met. sect. 5. Hurtad disp. 6. physic. sect. 1. Ariaga disp.5. sect. 1. N. Stephanus Spinula disp. 4. sect. 5. Oviedo, & alii, quos citat Comptonus disp.15. sect. 1.

Prob.

30 Prob. efficaci ratione. Quia totum aut distinguitur realiter à materia, & forma simùl sumptis, & unitis, quia includit materiam, & formam vnitas, & aliquid aliud; aut quia est aliqua entitas non includens materiã, & formam, sed tota distincta ab illis simul sumptis, & vnitis: nullum ex his dici potest: ergo totum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Prob. minor quòad primam partem. Ens coalescens præcisè ex pura potentia, & actu substantiali, est compositum substantiale: atqui materia, & forma simul sumptæ, & unitæ, sunt quid coalescens ex pura potentia, & actu substantiali: ergo sic sumptæ sunt ipsummet compositum substantiale. Prob. eadẽ minor quoad secundã partem. Totum physicum est ens essẽtialitèr constãs materia, & forma: ergo non est tertia entitas se tota distincta ab illis. Si .n. esset tertia entitas se tota distincta à partibus, compositum hominis nõ includeret animam rationalem, & consequentèr homo, jam non esset homo.

31. Confirmatur, quia entitas illa hominis, quam volunt adversarij esse distinctam à partibus unitis, vel est simplex, vel composita? Non primum, quia anima rationalis, & corpus necessariò ingrediuntur entitatem, seù essentiam hominis. Si secundũ: ergo si partes illæ vnitæ, quibus prædicta tertia entitas componitur, non distinguuntur ab ipsa tertia entitate, cur materia, & forma unitæ distinguentur à toto substantiali? maxi mè quia assignari non potest quid sit illud aliud superadditum,

32. Secunda conclusio, Totum, & partes simùl sumptæ, & vnitæ distinguuntur ratione ratiocinata. Hæc conclusio solùm eget declaratione: etenim non quævis distinctio rationis ratiocinatæ inter totũ, & partes unitas intercedit; Non est enim similis ei, quæ in homine inter rationalitatẽ, & animalitatem reperitur: Nam cuilibet horum conceptuum correspondet vna quasi formalitas propria, & objectiva realis, & excludens à suo conceptu alteram, ratione cujus eminentialis distinctio à parte rei intèr utramque cernitur. Nam certum est, quòd conceptui totius correspondet, etiamsi non expresè conceptus partium unitarum, & è contra.

33. Unde distinctio rationis, quæ inter utrumque intercedit, similis est ei, quæ inter definitum, & definitionem invenitur, ut inter hominem, & animal rationale: tum quia licet quidquid respondet priori conceptui, respondet, & posteriori; diversimode tamen penes explicitam, & implicitam correspondentiam: tum etiam quia quoad modum significandi, & concipiendi habent dissimilitudinem, quatenus prædictas partes unitas, pluribus, & distinctis conceptibus aliquo modo inadæquatis, & cũ aliquali fundamento in re concipimus, secundũ quod collectio illa partium, & unionis veluti postulat concipi per modũ plurium, ipsum verò totum per modum unius; non secus ac in definito, & definitionis partibus contingit.

34. Contra has duas conclusiones sunt aliquæ objectiones, quarum prima desumitur ex aliquibus testimoniis Arist., nam 5. met. tex. 19. dicit, quòd *bis tria non sunt sex*, & lib. 7. tex. 60. quòd *syllaba ba non sit b &* a & lib. 8. tex. 15. quòd *totum est aliquid præter partes*. Ergo ex ejus sententia totum distinguitur realiter à suis partibus.

35. Resp. quòd Aristoteles in primo

ria, quia corporea est, terminativè verò in anima rationali, quia attingit illam nō per inhæsionem, sed adhæsionem, ad similitudinem unionis hypostaticæ, quæ est aliquid in humanitate, ipsiq; inhæret, absque eo quod inhæsivè attingat verbum divinum. ❡ Sed doctrinam hanc ego non approbo, Theologi n. multum laborant, ut explicent, quomodo verbum divinum sine aliqua mutatione fuerit humanitati unitum; si autem talis modus unionis in anima rationali inveniretur, ita ut sine ulla prorsus mutatione sui maneret unita, satis facile posset percipi modus ille ineffabilis unionis. ❡ Confirmatur id, quod tribuitur unioni hypostaticæ, quia modus mirabilis est, & supra omnem intellectum creatum, non debet affirmari de alia unione; nam (ut Concilium Toletanum ait) si haberet exēplum, non esset singulare: ergo cùm hoc, quod est unire sine mutatione unius extremi, tribuatur ut quid mirabile unioni hypostaticæ; non est hoc unioni animæ rationalis cū corpore tribuendum. ❡ Confirmatur secundò quia Theologi in solam immutabilitatem Uerbi, & infinitam perfectionem ejus referunt, quòd non sit subiectum unionis hypostaticæ, quo impedimento semoto, nullus dicere dubitaret, quòd unio Uerbum afficeret, & illud immutaret. Ergo cum forma sit capax mutationis, fatendum erit, unionem se tenere ex parte utriusq; & illas immutare.

26. Relicta igitur solutione ista, ad instantiam respondeo, concedendo unionem illam corpoream, se tenere ex parte utriusq; extremi, & utriq; inhęrere, seu utrumq; intrinsecè afficere, non obstante spiritualitate animæ, quia licet hęc entitativè sit spiritualis, est tamen forma corporis, & in re spirituali, quæ simul est forma corporis, benè recipi potest modus aliquis corporeus.

DUBIUM TERTIUM

Utrum totum physicum realiter distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

27. EST certum apud omnes, compositum physicum realitèr distingui à qualibet parte seorsim sumpta, cum supra illam addat aliam. Similiter est certum, realiter distingui à partibus simùl sumptis, non autem vnitis, cum supra illas addat unionem quæ est modus aliquis realiter distinctus ab illis, ut jam ostensum est. Quare tota controuersia est de partibus simul sumptis, & unitis.

28. Partem affirmativam defendit Scotus in 3. dist. 2. q.2. art. 1. sed iste Doctor, quamuis alias subtilis, nō procedit coherenter; quia ipse tenet, omnia quæ realiter distinguuntur, posse ad invicem separari: ergo cum totum separari nequeat à suis partibus simul sumptis, & unitis, inconsequentèr ad sua principia asserit, illud à suis partibus simùl sumptis, & unitis realiter distingui.

29. Prima conclusio, Totum physicum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Est Arist. 4. physic. tex. 35. & 2 de anima, & 5. met. tex. 31. D. Th. 1. p. q. 11. art 2. ad 2. & q. 75. ar. 4. in corp. & 4. cont gent. q. 8. plurium Thomistarū, & ferè omniū Recentiorum; vt Suar. disp 36. met. sect. 5. Hurtad disp. 6. physic. sect. 1. Ariaga disp. 5. sect. 1. N. Stephanus Spinula disp. 4. sect. 5. Ouiedo, & alii, quos citat Comptonus disp. 15. sect. 1.

Prob.

30 Prob. efficaci ratione. Quia totum aut distinguitur realiter à materia, & forma simùl sumptis, & unitis, quia includit materiam, & formam vnitas, & aliquid aliud; aut quia est aliqua entitas non includens materiã, & formam, sed tota distincta ab illis simul sumptis, & vnitis: nullum ex his dici potest: ergo totum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Prob. minor quòad primam partem. Ens coalescens præcisè ex pura potentia, & actu substantiali, est compositum substantiale: atqui materia, & forma simul sumptæ, & unitæ, sunt quid coalescens ex pura potentia, & actu substantiali: ergo sic sumptæ sunt ipsummet compositum substantiale. Prob. eadē minor quoad secundã partem. Totum physicum est ens essētialitèr constas materia, & forma: ergo non est tertia entitas se tota distincta ab illis. Si .n. esset tertia entitas se tota distincta à partibus, compositum hominis nō includeret animam rationalem, & consequentèr homo, jam non esset homo.

31. Confirmatur, quia entitas illa hominis, quam volunt adversarij esse distinctam à partibus unitis, vel est simplex, vel composita? Non primum, quia anima rationalis, & corpus necessariò ingrediuntur entitatem, seù essentiam hominis. Si secundũ: ergo si partes illæ vnitæ, quibus prædicta tertia entitas componitur, non distinguuntur ab ipsa tertia entitate, cur materia, & forma unitæ distinguentur à toto substantiali? maxi mè quia assignari non potest quid sit illud aliud superadditum,

32. Secunda conclusio, Totum, & partes simùl sumptæ, & vnitæ distinguuntur ratione ratiocinata. Hæc conclusio solùm eget declaratione: etenim non quęvis distinctio rationis ratiocinatæ inter totũ, & partes unitas intercedit; Non est enim similis ei, quæ in homine inter rationalitatē, & animalitatem reperitur: Nam cuilibet horum conceptuum correspondet vna quasi formalitas propria, & obiectiva realis, & excludens à suo conceptu alteram, ratione cujus eminentialis distinctio à parte rei intèr utramque cernitur. Nam certum est, quòd conceptui totius correspondet, etiamsi non expresè conceptus partium unitarum, & è contra.

33. Unde distinctio rationis, quæ inter utrumque intercedit, similis est ei, quæ inter definitum, & definitionem invenitur, ut inter hominem, & animal rationale: tum quia licet quidquid respondet priori conceptui, respondet, & posteriori; diversimode tamen penes explicitam, & implicitam correspondentiam: tum etiam quia quoad modum significandi, & concipiendi habent dissimilitudinem, quatenus prædictas partes unitas, pluribus, & distinctis conceptibus aliquo modo inadæquatis, & cũ aliquali fundamento in re concipimus, secundũ quod collectio illa partium, & unionis veluti postulat concipi per modũ plurium, ipsum verò totum per modum unius; non secus ac in definito, & definitionis partibus contingit.

34. Contra has duas conclusiones sunt aliquæ obiectiones, quarum prima desumitur ex aliquibus testimoniis Arist., nam 5. met. tex. 19. dicit, quòd *bis tria non sunt sex*, & lib. 7. tex. 60. quòd *syllaba ba non sit b &* a & lib 8. tex. 15. quòd *totum est aliquid præter partes*. Ergo ex ejus sententia totum distinguitur realiter à suis partibus.

35. Resp. quòd Aristoteles in primo

imo loco non loquitur de toto,& partibus, sed de numeris formaliter sumptis,& docet,quòd formaliter bis tria, & ut constituunt speciem ternarii nō sunt sex ; quod verissimum est, quia una species numeri formaliter nō est pars alterius, sed solùm materialiter, quatenus claudit unitates, ex quibus quilibet numerus ut ex partibus componitur. Unde locus ille non est ad propositum argumenti. Secundus autē locus intelligitur de partibus absq, unione; sic enim verum est,quod syllaba *ba* non sit prçcisè *b*, & *a*, si præscindamus ab illis unionem ordinis, ratione cujus componunt talem syllabam : nam etiam *ab* habet easdem literas, & tamen est alia diversa syllaba propter diversam unionem. Quod indicavit Aristoteles ibidem dicēs,quod *Syllaba non est compositum, sicut acervus*: idest per solam aggregationem, absque unione, & ordine. Per quod patet ad tertium locum ; sensus enim est, totum non esse solam coacervationem partium,sed includere aliquid prçter partes, scilicet unionem.

36. Ob. 2. Quçvis causa realis realiter distinguitur à suo effectu: sed materia, & forma ut unitç, sunt causa realis totius : ergo materia, & forma ut unitç, realiter distinguuntur à toto. Prob. minor, materia causat totum recipiendo formam, & forma informando materiam : sed materia non recipit formam, nec forma informat materiam, nisi inquantum uniuntur: ergo materia, & forma inquantum unitç, causant totum.

37. Ad hoc argumentum respondet Magister Lerma lib. 1. physic q. 17. num. 16 quòd, & si partes propriè causant totum, quatenus illud constituunt, & componunt, tamen cum sint causæ intrinsecæ illius, intrinsecè illud cōstituentes, & cōponentes, nō oportet quòd ab illo realiter distinguantur; nam ideo realiter distinguitur à suo effectu causa realis extrinseca, quia illum extra se causat : ergo causæ intrinsecæ cum non causent effectum extra, se sed per communicationē propriæ entitatis, non debent ab illo realiter distingui. Sic etiam respondet Ioannes à S. Th. 1. physic. q. 6. art. 2. ad primum.

38. Hæc tamē solutio duplicet quia causa realis dicit relationem realem ad effectum, & effectus relationem realē ad causam : relatio autem realis est inter extrema realiter distincta : ergo quçvis causa realis realiter distinguitur à suo effectu; ac proinde si partes intrinsecç sunt causa realis totius, realiter debent distingui àb illo. ¶ Confirmatur, quia causa realis realiter influit in effectum, & effectus realiter dependet à causa : sed nihil potest realiter in semetipsum influere, aut à semetipso realiter depēdere: ergo omnis causa realis realiter distinguitur à suo effectu.

39. Hac igitur solutione relicta: pro vera noto ex Patribus Complutēsibus 1. physic. disp. 6. q. 4. num. 61. partes unitas posse sumi duobus modis, *divisivè*, & *collectivè* : *divisivè* sumuntur, quando una importatur in recto, & altera in obliquo, ut cum dicitur, *materia sustentans formam*, & *forma informans materiam*: collectivè verò, quādo utraque importatur unica collectione in recto, ut cum dicitur, *materia, & forma unitæ*. Si partes sumuntur hoc secundo modo, non sunt causa totius, sed sunt ipsum totum. Solùm igitur sunt causæ totius priori modo, & ratio est, quia materia causat totum per hoc, quòd recipit formam, & forma per hoc quòd informat materiam,

teriam, in qua receptione,& informatione eorum caufalitates confiftunt. Sic autem fumpta materia, & forma, realiter diftinguuntur à toto,quia totum ultra materiam recipientem formam continet formam actuantẽ materiam , & ultra formam actuantem materiam continet materiam recipiẽtem formam.

40. Dices : licèt totum comparatum cum materia , aut forma feorfim fumpta , diftinguatur realiter à qualibet ex illis, non tamen comparatum cum utraque fimul. Refp. quòd totũ confideratum ut effectus , comparari non poteft cum utraq; fimul , quia materia , & forma funt caufæ diverfi generis, habentque diverfum modum caufandi,& quilibet eft in fuo genere adæquatus.

41. Unde ad argumentum conceffa majori, diftinguo minorem : materia, & forma ut unitæ *divifive fumptæ* caufant totum, concedo: ut unitæ *collectivè fumptæ*, nego. Ergo materia,& forma unitæ diftinguuntur realitèr à toto,*divifivè fumptæ*, concedo: *collectivè*, nego.

42. Ob. 3. Multa affirmantur de toto , quæ non dicuntur de partibus fimul fumptis & unitis : ergo totum & partes fimul fumptæ & unitæ diftinguuntur realiter. Cõfequentia patet, quia fi effent idem, ea quæ dicuntur de uno,dicerẽtur de alio. Antedẽs verò prob. quia dicimus, totum conftare ex partibus , & non dicimus , partes conftare ex partibus . Item totum eft id , quod operatur & eft id, quod generatur & corrumpitur; & tamẽ partes non operantur,nec generantur,nec corrumpuntur,ut patet in homine, in quo materia & forma incorruptibiles sũt:Ergo dãda eft tertia entitas, cui hęc omnia conveniunt.

43. Refp. hominem conftare ex animali & rationali , & non dicimus, animal rationale conftare ex animali & rationali, & tamen nullus etiam ex aduerfariis dixit, animal rationale realiter diftingui ab homine : ergo hoc eorum argumentum nullum eft . In forma ergo conceffo antecedente,negatur confequentia,datur n. inter totum & partes diftinctio rationis penes modum fignificandi,quia totum concipimus per modum unius , partes verò per modum plurium quod fufficit ad diverfas locutiones de toto & partibus falvandas . Ad confirmationẽ diftinguo antecedẽs totum dicitur operari,generari,& corrũpi,& nõ partes *feorfim & divifivè fumptę*, cõcedo: *fimul & collectivè fumptæ*,nego. Omnia enim illa, quæ conveniunt toti , cõveniunt etiã partibus fimul sũptis & unitis. Eft tamen notandum, quòd de toto præfcindendo à fubfiftentia, non verificatur, quòd fit id, quod operatur,quoniam actiones funt fuppofitorum . Totum autem includens fubfiftentiam realiter diftinguitur diftinctione includentis , & inclufi ab ipfis partibus unitis cum præcifione fumptis.

DUBIUM QUARTUM

An omnia entia naturalia habeant terminos intrinfecos magnitudinis & parvitatis.

44. PRo tituli intelligentia fciendum eft quatuor communiter terminos affignari à Philofophis,quibus unumquodque ens naturale vel in magnitudine, vel in parvitate circumfcribi poteft : quorum duo funt pro magnitudine , & duo pro parvitate ; & tam refpectu magnitudinis, quam refpectu parvitatis , unus eft

intrinsecus, alter extrinsecus. Terminus intrinsecus magnitudinis est ille, ad quem res pervenire potest, & illum excedere non potest. Terminus verò extrinsecus appellatur illa magnitudo, sub qua res esse non potest, & sub quacumque minori esse potest. Et idem proportionabiliter dicimus de terminis parvitatis. Undè ille erit terminus intrinsecus parvitatis, sub quo res esse potest, non tamen sub quacunque minori. Ille verò extrinsecus, sub quo ob maximã parvitatem res esse non potest, benè tamen sub quacumque majori.

45. Termini magnitudinis vocantur, *maximum quod sic*, & *minimum quod non*. Termini verò parvitatis, *minimum quod sic*, & *maximum quod non*. Primus terminus rerum naturalium, nempe *maximum quod sic*, est terminus intrinsecus magnitudinis; per quod significatur, quòd sit quantitas maxima inter illas, sub quibus res esse, & conservari potest. Secundus, nempe *minimum quod non*, est terminus extrinsecus magnitudinis, quia inter quantitates, sub quibus res secundum magnitudinem esse non potest, illa est omnium minima. Tertius, nempe *minimum quòd sic*, est terminus intrinsecus parvitatis, quoniam inter quantitates, sub quibus res quo ad parvitatem esse valet, illa est minima. Et quartus, nempè *maximum quod non*, est terminus extrinsecus parvitatis, eo quòd inter quantitates parvas, sub quibus propter parvitatem res esse nequit, illa est omnium maxima.

46. His positis, quærimus in præsenti, utrum omnia entia naturalia habeant terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitatis? Dubium excitamus solùm de terminis intrinsecis, brevitatis gratia; ea tamen quæ diximus de illis, applicari possunt terminis extrinsecis.

47. Prima conclusio omnia viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis. Assertio hæc est Aristotelis 4. de generat. animalium c.4. & lib.2. physic. c.4. D. Th. 1. p. q. 7. art. 3. & in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 1. ad 4. & omnium Philosophorum. Probatur quia viventia crescunt virtute intrinseca augmentativa: atqui virtus augmentativa, cum sit finita, & limitata, habet terminum suæ activitatis: ergo viventia ad tantum, & non majus incremẽtum devenire possunt, quanta fuerit prædicta virtus. Confirmatur quia viventia augentur vi caloris naturalis convertentis substãtiam alimenti in substantiã aliti: ergo cum calor naturalis agendo repatiatur, devenit ad tantam debilitatem, ut non possit convertere plus de substãtia alimenti, ac fuit substantia aliti deperdita.

48. Dices. Postquam aliquod vivens v. g. homo, pervenit ad terminum, quem dicimus habere intrinsecum suæ magnitudinis, adhibito sibi alimẽto facilis decoctionis, illud cõverteret in sui substantiam, augeretur, & cresceret: ergo re vera terminus augmenti, quẽ prius habebat, non est intrinsecus terminus suæ magnitudinis, quẽ naturaliter excedere nõ possit.

49. Resp. negando ultimam partẽ antecedentis, scilicet quòd augeretur, & cresceret; nam experientia nobis cõstat in omnibus hominibus, & aliis animalibus, quòd postquam perveniunt ad suum augmentum, non amplius crescunt, quamvis per continuam conversionem alimenti in suã substantiam semper nutriantur. Hæc autem experientia est maximum argumen-

gumentum, quòd illa habeant terminum intrinsecum suæ magnitudinis.

50. Secunda conclusio. Nonviventia verò non habent terminū intrinsecum suæ magnitudinis. Ita Aristoteles 2. de anim. tex. 41. ubi dicit: *ignis quidem accretio in infinitū progreditur, & eo usque fit quo usque fit combustibile.* Et D. Th. ibid lect. 8. *Manifestum est enim* (sunt verba S. Doctoris) *quòd ignis augmentum non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia cōbustibilis inveniatur.* Quos sequuntur Soto 1 physic. q. 4. Masius 6. physic. sect. 2. c. 4. Manca ibidem q. 3. dub. 2. Phylippus à Sanctissima Trinitate 1. 2. suæ summæ philosophiæ q. 27. art. 1. Ioannes à S. Thoma 1. physic. q. 8. art. 2. concl. 2. Lerma eodem lib. q. 20 Mailhat disp. 14. circa finem, & ferè omnes recentiores Thomistæ.

51. Probatur quia ideo viventia habent terminum suę magnitudinis, quia eorū augmentatio provenit ex virtute interna, quæ est finita, & usu minuitur: sed incrementum non viventium aliter fit, nimirum per juxtà positionem, in quo nulla facultas naturalis minuitur, sed potius crescit, nam experimur, quòd ignis quantò fit major, tantò fit activior: ergo in accretione horū nonviventium non datur terminus suæ magnitudinis. ¶ Confirmatur, quia demus ignē in suo termino maximo, si esset possibile, si ei applicetur stuppa, illam comburet; & si aliud combustibile iterum apponatur, etiam illud comburet; & sic de aliis usque in infinitū; atque ita semper fiet major: ergo si præexistens esset maximus, jam daretur major maximo; quod est impossibile: dicendū est igitur nonviventia nō habere terminum suæ magnitudinis.

52. Respondēt Cōplutenses, quod tunc ignis in suo termino existēs, vel non combureret stuppam ei applicatā; vel si combureret, non uniet sibi ignē de nouo genitum ex stuppa, sed fiet alius distinctus ignis, vel si uniet, tantum deperdet ex altera parte, quantum uniet de illo igne.

53. Sed nulla ex his solutionibus satisfacit: non quidem *prima*; quia ignis quantò fuerit major, eò est activior, ut experientia constat: ergo si ignis in minori quātitate potest comburere stuppā sibi applicatā, à fortiori id poterit ignis in suo termino maximo existēs. Neque *secūda*; quia duo corpora homogenea fluida ut aqua, aut rara ut ignis, eo ipso quòd approximentur, inter se continuantur, & per continuationem ex duobus illis individuis fit unum individuū aquæ vel ignis: ergo data aqua quantumvis magna, vel igne quantumvis magno; si illi approximetur alia pars aquæ, vel ignis, continuabitur cum præexistenti, & fiet per continuationē novū distinctum individuū, & majus, quā quodlibet eorum, quæ continuantur. Nec tandem *tertia*; quia si igni maximo applicetur magna quantitas stuppæ vel alterius combustibilis, plus erit id, quod acquiret, quàm quod deperdet, ut cernere licet in igne in minori quantitate existente: ergo merè voluntariè asseritur, & sine ullo fundamento, quòd ignis maximus tantum comburat de stuppa, quantum fuerit deperditum.

54. Contra hanc secundam conclusionem Iandunus lib. 6. physic. q. 16. Ferrara lib. 1. q. 7. ad 4. & 5. Caiet. & Nazar. 1. par. quæst. 7. art. 3. Complut. 6. physic. disp. 27. q. 2. & plures alii Thomistæ sentiunt, etiam non-

nonviventia habere terminum intrinsecum suę magnitudinis, licet talis terminus nobis ignotus sit, quia nunquam vidimus ignem maximum, aut aquam. Probant *primò* hanc suam sententiam auctoritate Arist. 2 de anima tex. 48. ubi sic ait: *eorum omnium, quæ natura constant, est finis tàm magnitudinis, quàm accretionis*. Idem docet D. Th. ibidem lect. 8. & alibi sæpè: sed tàm viventia, quàm nonviventia constant natura: ergo tàm viventia, quàm nonviventia habent terminum suę magnitudinis. *Secundò* quia omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam: sed ad formam substantialem sequuntur accidentia: ergo ad determinatam formam determinata accidentia: unum autem ex accidentibus est quantitas: ergo omne corpus naturale, sive vivens, sive nonvivens, habet determinatam quantitatem, quam excedere non potest. Et *tertiò*, quia etiam in igne accretio & incrementum fit per virtutem activam ignis aggenerantis, & convertentis in se combustibile: & hæc virtus non minus est finita, & limitata in igne, quàm in animali: ergo non minus habebit terminum intrinsecum in illo, quàm in isto.

55 Ad primum respondeo cum Soto, Lerma, & aliis, quòd de nonviventibus quoad ipsorum magnitudinem dupliciter loqui possumus; vel supposito ordine universi, vel attentis naturis ipsorum. Et quidem certum est, quòd supposito ordine universi, nisi hic pervertatur, omnia nonviventia habent terminum magnitudinis, quem excedere non valent, ignis enim non potest ita crescere, ut concavum Lunæ trãscendat, nec aer potest esse major, quàm qui continetur sub orbe ignis; & sic de aliis corporibus, quæ cum omnia suam positionem habeant in universo, attento tali ordine, non possunt ultra crescere. At attentis naturis eorum, augeri semper possunt, & fieri majora & majora citra infinitum, ut ex nostris rationibus patet. Arist. autem & D. Th. loc. cit. loquuntur de illis servato ordine universi, non verò secundum eorum naturam, qualiter de illis hìc nos loquimur.

56 Ad secundum distinguo majorem; Omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam, *specifice*, concedo, determinatam *numerice*, subdistinguo; *quando primo producitur*, concedo, *postquam est productum*, nego. Et concessa minori, eodem modo distinguo consequens: Ad formam substãtialem determinatam *tàm specifice, quàm numerice*, sequuntur accidentia determinata *specifica & numerica*, concedo. Ad formam substantialem determinatam *specifice*, & indeterminatam *numerice*, sequuntur determinata accidentia, subdistinguo *specifica*, concedo, *numerica* nego. Dico igitur, quòd cum accidentia, v. g. quantitas possit duplici modo convenire corpori, aut ut consecuta ex ipsa productione prima corporis, aut ut acquisita, & superveniens, illa propositio, *Ad determinatam formam sequuntur determinata accidentia*, nõ intelligitur per acquisitionem, & incrementum, sed per consecutionem. Et in hoc pari passu currunt viventia, & nonviventia, quia quantitas in eis primùm ad formam consecuta ex ui suæ generationis certa ac determinata esse debet, & si partes de novo aggenerentur, seu producantur, quę-

libet

libet illarum cum determinata quantitate debet produci: licet quia simul postea univntur, ex ui talis unionis illa quantitas fit major. Unde aliud est, quòd ex ui formæ & productionis, siue totius corporis, siue partis cujuslibet determinata quantitas proveniat, aliud quòd unio multarum partium, & quantitatum sine ullo termino fieri possit sicut fit in nonviventibus, & ideo hæc dicuntur non habere terminum suæ magnitudinis.

57. Ad tertium denique respondetur, requiri quidem virtutem activam in igne ad transmutandum combustibilia, sed non eodem modo est in igne, & in viventibus: in igne n. in omni parte est virtus igniendi, & ita crescente igne crescit talis virtus. Cæterum in viventibus virtus augumentativa non est in omnibus partibus, nec crescit, aut advenit nova virtus crescente vivente, sed virtus augumentativa pertinet ad determinatam partem, seu organum, puta ad stomachum, in quem mittitur alimentum, & inde distribuitur ad omnes partes corporis, & cum per augmentum partium non adveniat nova virtus stomachi nutrientis, sed eadem debet omnibus præstare alimentum, talis virtus limitata, & in parte determinata residens, non potest in quemcumque terminum se extendere.

58. Tertia conclusio. Tam viventia quam nonviventia habent terminum intrinsecum suæ parvitatis. Prima pars est communis inter auctores, & videri possunt Caiet. 1. p. quęst. 7. art. 3. Soncinas 5. met. quæst. 3. Iauellus 1. de anima quæst. 17. Complutenses 6. physic. disp. 27. q. 3. Philippus à Sanctissima Trinitate 2. sum. philos. q. 27. art. 2. Ioannes à S. Th. 1. physic. q. 8 art. 3. & alii. Probatur, quia viventia exigunt plura organa, ut suas exercere possint operationes: atqui organa esse non possunt in quacumq; minima quantitate: ergo viventia exigunt aliquam determinatam quantitatem; ita ut sub minori in statu connaturalitatis esse non possint.

59. Secunda verò pars conclusionis est contra Scotum in 2. dist. 2. quæst. 9. Rubeum 1. physic. cap. 4. quæst. 3. Pereiram lib. 10. cap. 23. propos. 7. & alios. Eam tamen expressè docet S. Th. in 4. dist. 12. quęst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ubi dicit, quòd *substantia panis potest corrumpi ex parte qualitatis, ut alteratione: & ex parte quantitatis, quia cum unaquęq; res naturalis habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri divisio, quòd non remanebit species.* Unde concludit 3. part. quæst. 77. art. 4. quòd licèt in Eucharistia non sit substantia panis & vini; tamen Corpus Christi ita est sub speciebus, ut tandiu conservetur, quandiu conservaretur substantia panis, & vini: & quia substantia panis, & vini dupliciter potest corrumpi, alteratione scilicet, & divisione, ideo corpus, & sanguis Christi dupliciter possunt desinere esse sub Eucharistia; primò, quando ita alterantur accidentia, quòd fuisset corrupta substantia panis, & vini, si ibi fuisset. Secundò, si ita pulverizetur quantitas panis, & vini, ac in tam minimas partes dividatur, ut jam non remaneret in eis species, sivè substantia panis, & vini, si esset.

60. Probatur *primò*, quia tam viventia, quam nonviventia, ut ipso-

rum

ma rationalis, cum sit immortalis; sed unio, seu nexus: ergo unio seu nexus est quid realiter distinctum ab illis. Probatur consequentia; quia quod perit remanente alio, distinguitur realiter ab illo: ergo si in corruptione substantiali hominis remanentibus materia & forma, perit unio, seu nexus, unio seu nexus erit quid realiter distinctum ab illis.

15. Ob. 1. Materia & forma præcisè, & secluso quocumq; alio, possunt invicem copulari, & efficere unũ substantiale: ergo superflua erit quęuis realitas præter materiam, & formã ad earum unionẽ: cõsequẽtia patet. Antecedens verò prob., materia essentialiter est potentia, & forma essentialiter est actus, & earum quelibet ingenita propensione propendit in alteram, ut totum conponat, & perficiat: ergo se solæ secluso quocumq; alio invicem copulantur, & unum per se efficiunt. ¶ Resp. negando Antecedens, & ad probationem dico, quòd licet materia essentialiter sit potentia, & forma essentialiter sit actus, & quelibet ipsarum dicat maximam propensionem ad unionem; non propterea sequitur, se ipsis immediatè uniri, quia de essentia ipsarum non est actualis unio, sed unibilitas, & sic requiritur utriusq; causalitas, quæ in prædicto nexu consistit, ut uniantur.

16. Ob. 2. vel modus iste medius inter materiam, & formam unitur illis medio alio modo unionis, vel se ipso: non potest dici primum, aliàs daretur processus in infinitum Si autẽ unitur seipso, ergo idem de ipsis partibus, quæ essentialiter tanquam potentia, & actus substantialis se respiciunt, dicendum erit. ¶ Resp. negãdo consequentiam; nam sicut quantitas, quia facit extensam substantiam, non eget aliquo alio, quo ipsamet extensa sit: & actio, quia est fieri effectus, non eget alio fieri, sed se ipsa ut *quo* exit ab agente: sic & modus iste unionis, quia re vera est nexus, & actuale vinculum partium, non eget alio nexu ut se uniat partibus, non tanquã extremum, sed tanquam extremorũ nexus. Hæc autèm ratio non reperitur in materia, & forma, quæ licèt sint inter se unibiles, non tamen sunt essentialiter ipse nexus.

17. Ob. 3. materia, & forma debent immediatè uniri, ut unum substantiale componere possint: ergo nõ uniuntur media unione distincta, si unirẽtur media unione distincta, nõ unirẽtur immediatè. ¶ Resp negãdo cõsequentiam; & ad probationem dico, mediationem unionis non impedire immediatam connexionem partium, quia unio solùm mediat ut *quo*, idest, ut ratio formalis, qua uniuntur extrema, non ut *quod*. Sicut oculus dicitur immediatè videre colorem, licèt mediet visio, imo hæc necessariò mediare debet, alioqui oculus non videret, cum visio sit ratio formalis, per quam redditur oculus videns.

18. Secunda conclusio, materia, & forma una tantùm unione intèr se uniuntur, quæ prout se tenet ex parte materiæ, dicitur causalitas materię, & pro ut se tenet ex parte formæ, dicitur causalitas formæ. Ita Complut. disp. cit. q. 3. num. 42. & plures alii. Probatur quia unicus modus unionis potest perfectè, & completè unire materiã, & formã: ergo superfluè ponitur duplex. Cõsequẽtia patet, quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora. Antecedens verò probatur, unio ut talis est vinculum duorum: ergo ad duas partes unien-

das

das unica tantùm unio erit sufficiens. ❡ Confirmatur impossibile est, quòd materia intelligatur unita formę, quin eo ipso intelligatur forma unita materiæ: ergo per modum illum unionis, quo materia unitur formæ, manebit forma realitèr unita materiæ; & consequenter altera unio erit superflua.

19. Dices: Dupplex unio non est necessaria, ut partes præcisè copulentur, sed solùm ut materia, & forma sese mutuo causare possint. Hæc n. mutua causalitas, cum sit actualis receptio, & informatio, non potest inter eas reperiri, si unicus tantùm intèr utramque adest nexus. ❡ Sed contra, quia materia, & forma sunt actu causantes ratione unionis: ergo si ut sint unitæ intèr se non requiritur, nisi unicus tantùm nexus, neque ad causalitatem earundem quidpiam aliud desiderabitur. Per hoc enim quòd materia, & forma sint unitæ, forma se communicat, datque suam entitatem materiæ, & materia recipit ac sustētat in se formam: ergo quælibet in suo genere ratione talis unionis exercet suam propriam causalitatem.

20. Dices 2. cuilibet causæ debet correspondere propria causalitas: causalitas autem causarum intrinsecarū materiæ, & formæ est unio: ergo cum sint duæ causæ, duas debent habere uniones. ❡ Resp. nullam esse repugnantiam in hoc, quòd eademmet etitas realis, formaliter tamen diversa, possit esse causalitas diversarū causarum ejusdem ordinis: non n. requiritur tanta distinctio inter causalitates, quanta est inter causas, ut patet in causis efficientibus subordinatis, & earum causalitatibus.

21. Dices 3. materia verè recipit, & non informat; & forma verè informat, & non recipit: ergo actualis receptio, & informatio non sunt re ipsa una, & eadem entitas, sed duplex. ❡ Resp. negando consequentiam, quia hæc unio licèt entitativè sit una, virtualiter tū est duplex; & ideo àb eadē unione potest materia habere hoc quod est recipere, & nō informare, & forma informare, & non recipere.

22. Ex dictis habes, unionem istam recipi tam in materia, quam in forma quia modus unionis ut uniat extrema, debet recipi in ipsis extremis.

23. Dices: una, & eadem forma non potest recipi in duplici subiecto: ergo neque una, & eadem unio in duobus extremis. ❡ Resp. quòd licet prædicta duo extrema realitèr distinguantur, afficiunt tamen unū subiectū totale, & quodlibet ex illis seorsim sumptū est subiectū partiale respectu prædictæ unionis; non est autē novū, quòd eadē forma sit in multiplici subiecto partiali realiter distincto ut in infinitis exemplis videri potest.

24. Tertia conclusio, unio, qua anima rationalis unitur corpori, non est spiritualis, sed materialis, & corporea. Est contra Suarem disp. 15. met. sect. 3. & alios. Prob. efficacitèr, quia in generatione hominis unio attingitur à generante, vt à causa principali: sed generans non potest virtute corporea, qualis est potentia generativa, producere modum aliquem entitativè spiritualem; alioquin effectus excederet uirtutem suæ causæ: ergo talis modus non est spiritualis, sed materialis, & corporeus.

25. Dices: Si hæc unio est materialis, & corporea, nequit unire, & attingere animam, nexus n. proportionari debet cum re nectenda. ❡ Propter hanc difficultatē aliqui dixerunt, unionem hanc esse inhæsivè in mate-

ria,

ria, quia corporea est, terminativè verò in anima rationali, quia attingit illam nõ per inhæsionem, sed adhæsionem, ad similitudinem unionis hypostaticæ, quæ est aliquid in humanitate, ipsiq; inhæret, absque eo quod inhæsivè attingat verbum divinum. ¶ Sed doctrinam hanc ego non approbo, Theologi n. multum laborant, ut explicent, quomodo verbum divinum sine aliqua mutatione fuerit humanitati unitum; si autem talis modus unionis in anima rationali inveniretur, ita ut sine ulla prorsus mutatione sui maneret unita, satis facile posset percipi modus ille ineffabilis unionis. ¶ Confirmatur id, quod tribuitur unioni hypostaticæ, quia modus mirabilis est, & supra omnem intellectum creatum, non debet affirmari de alia unione; nam (ut Concilium Toletanum ait) si haberet exẽplum, non esset singulare: ergo cùm hoc, quod est unire sine mutatione unius extremi, tribuatur ut quid mirabile unioni hypostaticæ; non est hoc unioni animæ rationalis cũ corpore tribuendum. ¶ Confirmatur secundò quia Theologi in solam immutabilitatem Uerbi, & infinitam perfectionem ejus referunt, quòd non sit subiectum unionis hypostaticæ, quo impedimento semoto, nullus dicere dubitaret, quòd unio Uerbum afficeret, & illud immutaret. Ergo cum forma sit capax mutationis, fatendum erit, unionem se tenere ex parte utriusq;, & illas immutare.

26. Relicta igitur solutione ista, ad instantiam respondeo, concedendo unionem illam corpoream, se tenere ex parte utriusq; extremi, & utriq; inhærere, seu utrumq; intrinsecè afficere, non obstante spiritualitate animæ, quia licet hęc entitativè sit spiritualis, est tamen forma corporis, & in re spirituali, quæ simul est forma corporis, benè recipi potest modus aliquis corporeus.

DUBIUM TERTIUM

Utrum totum physicum realiter distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

27. EST certum apud omnes, compositum physicum realitèr distingui à qualibet parte seorsim sumpta, cum supra illam addat aliam. Similiter est certum, realiter distingui à partibus simùl sumptis, non autem vnitis, cum supra illas addat unionem quæ est modus aliquis realiter distinctus ab illis, ut jam ostensum est. Quare tota controuersia est de partibus simul sumptis, & unitis.

28. Partem affirmativam defendit Scotus in 3. dist. 2. q.2, art. 1. sed iste Doctor, quamuis alias subtilis, nõ procedit coherenter; quia ipse tenet, omnia quæ realiter distinguuntur, posse ad invicem separari: ergo cum totum separari nequeat à suis partibus simul sumptis, & unitis, inconsequentèr ad sua principia asserit, illud à suis partibus simùl sumptis, & unitis realiter distingui.

29. Prima conclusio, Totum physicum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Est Arist. 4. physic. tex. 35. & 2. de anima, & 5. met. tex. 31. D. Th. 1. p. q. 11. art. 2. ad 2. & q. 75. ar. 4. in corp. & 4. cont gent. q. 81. plurium Thomistarũ, & ferè omniũ Recentiorum; vt Suar. disp. 36. met. sect. 5. Hurtad disp. 6. physic. sect. 1. Ariaga disp. 5. sect. 1. N. Stephanus Spinula disp. 4. sect. 5. Ouiedo, & alii, quos citat Comptonus disp. 15. sect. 1.

Prob.

30 Prob. efficaci ratione. Quia totum aut distinguitur realiter à materia, & forma simùl sumptis, & unitis, quia includit materiam, & formam vnitas, & aliquid aliud; aut quia est aliqua entitas non includens materiã, & formam, sed tota distincta ab illis simul sumptis, & vnitis: nullum ex his dici potest: ergo totum non distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & unitis. Prob. minor quòad primam partem. Ens coalescens præcisè ex pura potentia, & actu substantiali, est compositum substantiale: atqui materia, & forma simul sumptæ, & unitæ, sunt quid coalescens ex pura potentia, & actu substantiali: ergo sic sumptæ sunt ipsummet compositum substantiale. Prob. eadẽ minor quoad secundã partem. Totum physicum est ens esseñtialitèr constas materia, & forma: ergo non est tertia entitas se tota distincta ab illis. Si .n. esset tertia entitas se tota distincta à partibus, compositum hominis nõ includeret animam rationalem, & consequentèr homo, jam non esset homo.

31. Confirmatur, quia entitas illa hominis, quam volunt adversarij esse distinctam à partibus unitis, vel est simplex, vel composita? Non primum, quia anima rationalis, & corpus necessariò ingrediuntur entitatem, seù essentiam hominis. Si secundũ: ergo si partes illæ vnitæ, quibus prædicta tertia entitas componitur, non distinguuntur ab ipsa tertia entitate, cur materia, & forma unitæ distinguentur à toto substantiali? maxi mè quia assignari non potest quid sit illud aliud superadditum.

32. Secunda conclusio, Totum, & partes simùl sumptæ, & vnitæ distinguuntur ratione ratiocinata. Hæc conclusio solùm eget declaratione: etenim non quævis distinctio rationis ratiocinatæ inter totũ, & partes unitas intercedit; Non est enim similis ei, quæ in homine inter rationalitatẽ, & animalitatem reperitur: Nam cuilibet horum conceptuum correspondet vna quasi formalitas propria, & obiectiva realis, & excludens à suo conceptu alteram, ratione cujus eminentialis distinctio à parte rei intèr utramquè cernitur. Nam certum est, quòd conceptui totius correspondet, etiamsi non expressè conceptus partium unitarum, & è contra.

33. Unde distinctio rationis, quæ inter utrumque intercedit, similis est ei, quæ inter definitum, & definitionem invenitur, ut inter hominem, & animal rationale: tum quia licet quidquid respondet priori conceptui, respondet, & posteriori; diversimode tamen penes explicitam, & implicitam correspondentiam: tum etiam quia quoad modum significandi, & concipiendi habent dissimilitudinem, quatenus prædictas partes unitas, pluribus, & distinctis conceptibus aliquo modo inadæquatis, & cũ aliquali fundamento in re concipimus, secundũ quod collectio illa partium, & unionis veluti postulat concipi per modũ plurium, ipsum verò totum per modum unius; non secus ac in definito, & definitionis partibus contingit.

34. Contra has duas conclusiones sunt aliquæ obiectiones, quarum prima desumitur ex aliquibus testimoniis Arist., nam 5. met. tex. 19. dicit, quòd *bis tria non sunt sex*, & lib. 7. tex. 60. quòd *syllaba ba non fit b &* a & lib. 8. tex. 15. quòd *totum est aliquid præter partes*. Ergo ex ejus sententia totum distinguitur realiter à suis partibus.

35. Resp. quòd Aristoteles in primo

mo loco non loquitur de toto, & partibus, sed de numeris formaliter sumptis, & docet, quòd formaliter bis tria, & ut constituunt speciem ternarii nō sunt sex; quod verissimum est, quia una species numeri formaliter nō est pars alterius, sed solùm materialiter, quatenus claudit unitates, ex quibus quilibet numerus ut ex partibus componitur. Unde locus ille non est ad propositum argumenti. Secundus autē locus intelligitur de partibus absq; unione; sic enim verum est, quod syllaba *ba* non sit prçcisè *b*, & *a*, si præscindamus ab illis unionem ordinis, ratione cujus componunt talem syllabam: nam etiam *ab* habet easdem literas, & tamen est alia diversa syllaba propter diversam unionem. Quod indicavit Aristoteles ibidem dicēs, quod *Syllaba non est compositum, sicut accervus*: idest per solam aggregationem, absque unione, & ordine. Per quod patet ad tertium locum; sensus enim est, totum non esse solam coacervationem partium, sed includere aliquid prçter partes, scilicet unionem.

36. Ob. 2. Quevis causa realis realiter distinguitur à suo effectu: sed materia, & forma ut unitç, sunt causa realis totius: ergo materia, & forma ut unitę, realiter distinguuntur à toto. Prob. minor, materia causat totum recipiendo formam, & forma informando materiam: sed materia non recipit formam, nec forma informat materiam, nisi inquantum uniuntur: ergo materia, & forma inquantum unitę, causant totum.

37. Ad hoc argumentum respondet Magister Lerma lib. 1. physic q. 17. num. 16 quòd, & si partes propriè causant totum, quatenus illud constituunt, & componunt, tamen cum sint causæ intrinsecæ illius, intrinsecè illud cōstituentes, & cōponentes, nō oportet quòd ab illo realiter distinguantur; nam ideo realiter distinguitur à suo effectu causa realis extrinseca, quia illum extra se causat: ergo causæ intrinsecæ cum non causent effectum extra, se sed per communicationē propriæ entitatis, non debent ab illo realiter distingui. Sic etiam respondet Ioannes à S. Th. 1. physic. q. 6. art. 2. ad primum.

38. Hæc tamē solutio duplicet quia causa realis dicit relationem realem ad effectum, & effectus relationem realē ad causam: relatio autem realis est inter extrema realiter distincta: ergo quevis causa realis realiter distinguitur à suo effectu; ac proinde si partes intrinsecę sunt causa realis totius, realiter debent distingui àb illo. ¶ Confirmatur, quia causa realis realiter influit in effectum, & effectus realiter dependet à causa: sed nihil potest realiter in semetipsum influere, aut à semetipso realiter depēdere: ergo omnis causa realis realiter distinguitur à suo effectu.

39. Hac igitur solutione relicta: pro vera noto ex Patribus Complutēsibus 1. physic. disp. *6*. q. 4. num. *61*. partes unitas posse sumi duobus modis, *divisivè*, & *collectivè*: *divisivè* sumuntur, quando una importatur in recto, & altera in obliquo, ut cum dicitur, *materia sustentans formam*, & *forma informans materiam*: collectivè verò, quādo utraque importatur unica collectione in recto, ut cum dicitur, *materia, & forma unitæ.* Si partes sumuntur hoc secundo modo, non sunt causa totius, sed sunt ipsum totum. Solùm igitur sunt causæ totius priori modo, & ratio est, quia materia causat totum per hoc, quòd recipit formam, & forma per hoc quòd informat materiam,

teriam, in qua receptione, & informatione eorum causalitates consistunt. Sic autem sumpta materia, & forma, realiter distinguuntur à toto, quia totum ultra materiam recipientem formam continet formam actuantē materiam, & ultra formam actuantem materiam continet materiam recipiētem formam.

40. Dices: licèt totum comparatum cum materia, aut forma seorsim sumpta, distinguatur realiter à qualibet ex illis, non tamen comparatum cum utraque simul. Resp. quòd totũ consideratum ut effectus, comparari non potest cum utraq; simul, quia materia, & forma sunt causæ diversi generis, habentque diversum modum causandi, & quilibet est in suo genere adæquatus.

41. Unde ad argumentum concessa majori, distinguo minorem: materia, & forma ut unitæ *divisivè sumptæ* causant totum, concedo: ut unitæ *collectivè sumptæ*, nego. Ergo materia, & forma unitæ distinguuntur realitèr à toto, *divisivè sumptæ*, concedo: *collectivè*, nego.

42. Ob. 3. Multa affirmantur de toto, quæ non dicuntur de partibus simul sumptis & unitis: ergo totum & partes simul sumptæ & unitæ, distinguuntur realiter. Cōsequentia patet, quia si essent idem, ea quæ dicuntur de uno, dicerētur de alio. Antedēs verò prob. quia dicimus, totum constare ex partibus, & non dicimus, partes constare ex partibus. Item totum est id, quod operatur & est id, quod generatur & corrumpitur; & tamē partes non operantur, nec generantur, nec corrumpuntur, ut patet in homine, in quo materia & forma incorruptibiles sūt: Ergo dāda est tertia entitas, cui hec omnia conveniunt.

43. Resp. hominem constare ex animali & rationali, & non dicimus, animal rationale constare ex animali & rationali, & tamen nullus etiam ex aduersariis dixit, animal rationale realiter distingui ab homine: ergo hoc eorum argumentum nullum est. In forma ergo concesso antecedente, negatur consequentia, datur n. inter totum & partes distinctio rationis penes modum significandi, quia totum concipimus per modum unius, partes verò per modum plurium quod sufficit ad diversas locutiones de toto & partibus salvandas. Ad confirmationē distinguo antecedēs totum dicitur operari, generari, & corrūpi, & nō partes *seorsim & divisivè sumptę*, cōcedo: *simul & collectivè sumptæ*, nego. Omnia enim illa, quæ conveniunt toti, cōveniunt etiã partibus simul sũptis & unitis. Est tamen notandum, quòd de toto præscindendo à subsistentia, non verificatur, quòd sit id, quod operatur, quoniam actiones sunt suppositorum. Totum autem includens subsistentiam realiter distinguitur distinctione includentis, & inclusi ab ipsis partibus unitis cum præcisione sumptis.

DUBIUM QUARTUM

An omnia entia naturalia habeant terminos intrinsecos magnitudinis & parvitatis.

44. PRo tituli intelligentia sciendum est quatuor communiter terminos assignari à Philosophis, quibus unumquodque ens naturale vel in magnitudine, vel in parvitate circumscribi potest: quorum duo sunt pro magnitudine, & duo pro parvitate; & tam respectu magnitudinis, quam respectu parvitatis, unus est

intrinsecus, alter extrinsecus. Terminus intrinsecus magnitudinis est ille, ad quem res pervenire potest, & illum excedere non potest. Terminus verò extrinsecus appellatur illa magnitudo, sub qua res esse non potest, & sub quacumque minori esse potest. Et idem proportionabiliter dicimus de terminis parvitatis. Unde ille erit terminus intrinsecus parvitatis, sub quo res esse potest, non tamen sub quacunque minori. Ille verò extrinsecus, sub quo ob maximã parvitatem res esse non potest, benè tamen sub quacumque majori.

45. Termini magnitudinis vocantur, *maximum quod sic*, & *minimum quod non*. Termini verò parvitatis, *minimum quod sic*, & *maximum quod non*. Primus terminus rerum naturalium, nempe *maximum quod sic*, est terminus intrinsecus magnitudinis; per quod significatur, quòd sit quantitas maxima inter illas, sub quibus res esse, & conservari potest. Secundus, nempe *minimum quod non*, est terminus extrinsecus magnitudinis, quia inter quantitates, sub quibus res secundum magnitudinem esse non potest, illa est omnium minima. Tertius, nempe *minimum quod sic*, est terminus intrinsecus parvitatis, quoniam inter quantitates, sub quibus res quo ad parvitatem esse valet, illa est minima. Et quartus, nempe *maximum quod non*, est terminus extrinsecus parvitatis, eo quòd inter quantitates parvas, sub quibus propter parvitatem res esse nequit, illa est omnium maxima.

46. His positis, quærimus in præsenti, utrum omnia entia naturalia habeant terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitatis? Dubium excitamus solùm de terminis intrinsecis, brevitatis gratia; ea tamen quæ diximus de illis, applicari possunt terminis extrinsecis.

47. Prima conclusio omnia viventia habent terminum intrinsecum suę magnitudinis. Assertio hæc est Aristotelis 4. de generat. animalium c. 4. & lib. 2. physic. c. 4. D. Th. 1. p. q. 7. art. 3. & in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 1. ad 4. & omnium Philosophorum. Probatur quia viventia crescunt virtute intrinseca augumentativa: atqui virtus augumentativa, cum sit finita, & limitata, habet terminum suæ activitatis: ergo viventia ad tantum, & non majus incremẽtum devenire possunt, quanta fuerit prædicta virtus. Confirmatur quia viventia augentur vi caloris naturalis convertentis substãtiam alimenti in substantiã aliti: ergo cum calor naturalis agendo repatiatur, devenit ad tantam debilitatem, ut non possit convertere plus de substãtia alimenti, ac fuit substantia aliti deperdita.

48. Dices. Postquam aliquod vivens v. g. homo, pervenit ad terminum, quem dicimus habere intrinsecum suæ magnitudinis, adhibito sibi alimẽto facilis decoctionis, illud cõverteret in sui substantiam, augeretur, & cresceret: ergo re vera terminus augumenti, quẽ prius habebat, non est intrinsecus terminus suæ magnitudinis, quẽ naturaliter excedere nõ possit.

49. Resp. negando ultimam partẽ antecedentis, scilicet quòd augeretur, & cresceret; nam experientia nobis cõstat in omnibus hominibus, & aliis animalibus, quòd postquam perveniunt ad suum augumentum, non amplius crescunt, quamvis per continuam conversionem alimenti in suã substantiam semper nutriantur. Hæc autem experientia est maximum argumen-

gumentum, quòd illa habeant terminum intrinsecum suæ magnitudinis.

50. Secunda conclusio. Nonviventia verò non habent terminũ intrinsecum suæ magnitudinis. Ita Aristoteles 2. de anim. tex. 41. ubi dicit: *ignis quidem accretio in infinitũ progreditur, & eò usque fit quo usque fit combustibile.* Et D. Th. ibid lect. 8. *Manifestum est enim* (sunt verba S. Doctoris) *quòd ignis augumentum non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia cõbustibilis inveniatur.* Quos sequuntur Soto 1 physic. q. 4. Masius 6. physic. sect. 2. c. 4. Manca ibidem q. 3. dub. 2. Phylippus à Sanctissima Trinitate 1. 2. suæ summæ philosophiæ q. 27. art. 1. Ioannes à S. Thoma 1. physic. q. 8. art. 2. concl. 2. Lerma eodem lib. q. 20 Mailhat disp. 14. circa finem, & ferè omnes recentiores Thomistæ.

51. Probatur quia ideo viventia habent terminum suę magnitudinis, quia eorũ augumentatio provenit ex virtute interna, quæ est finita, & usu minuitur: sed incrementum non viventium aliter fit, nimirum per juxtà positionem, in quo nulla facultas naturalis minuitur, sed potius crescit; nam experimur, quòd ignis quantò fit major, tantò fit activior: ergo in accretione horũ nonviventium non datur terminus suæ magnitudinis. ¶ Confirmatur, quia demus ignẽ in suo termino maximo, si esset possibile, si ei applicetur stuppa, illam comburet: & si aliud combustibile iterum apponatur, etiam illud comburet; & sic de aliis usque in infinitũ; atque ita semper fiet major: ergo si præexistens esset maximus, jam daretur major maximo; quod est impossibile: dicendũ est igitur nonviventia nõ habere terminum suæ magnitudinis.

52. Respondet Cõplutenses, quod tunc ignis in suo termino existẽs, vel non combureret stuppam ei applicatã; vel si combureret, non uniet sibi ignẽ de nouo genitum ex stuppa, sed fiet alius distinctus ignis, vel si uniet, tantum deperdet ex altera parte, quantum uniet de illo igne.

53. Sed nulla ex his solutionibus satisfacit: non quidem *prima*; quia ignis quantò fuerit major, eò est activior, ut experientia constat: ergo si ignis in minori quãtitate potest comburere stuppã sibi applicatã, à fortiori id poterit ignis in suo termino maximo existẽs. Neque *secũda*; quia duo corpora homogenea fluida ut aqua, aut rara ut ignis, eo ipso quòd approximentur, inter se continuantur, & per continuationem ex duobus illis individuis fit unum individuũ aquæ vel ignis: ergo data aqua quantumvis magna, vel igne quantumvis magno; si illi approximetur alia pars aquæ, vel ignis, continuabitur cum præexistenti, & fiet per continuationẽ novũ distinctum individuũ, & majus, quã quodlibet eorum, quæ continuantur. Nec tandem *tertia*; quia si igni maximo applicetur magna quantitas stuppæ vel alterius combustibilis, plus erit id, quod acquiret, quàm quod deperdet, ut cernere licet in igne in minori quantitate existente: ergo merè voluntariè asseritur, & sine ullo fundamento, quòd ignis maximus tantum comburat de stuppa, quantum fuerit deperditum.

54. Contra hanc secundam conclusionem Iandunus lib. 6. physic. q. 16. Ferrara lib. 1. q. 7. ad 4. & 5. Caiet. & Nazar. 1. par. quæst. 7. art. 3. Complut. 6. physic. disp. 27. q. 2. & plures alii Thomistæ sentiunt, etiam

nonviventia habere terminum intrinsecum suę magnitudinis, licet talis terminus nobis ignotus sit, quia nunquam vidimus ignem maximum, aut aquam. Probant *primò* hanc suam sententiam auctoritate Arist. 2 de anima tex. 48. ubi sic ait: *eorum omnium, quæ natura constant, est finis tàm magnitudinis, quàm accretionis*. Idem docet D. Th. ibidem lect. 8. & alibi sæpè: sed tàm viventia, quàm noviventia constant natura: ergo tàm viventia, quàm nonviventia habent terminum suę magnitudinis. *Secundò* quia omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam: sed ad formam substantialem sequuntur accidentia: ergo ad determinatam formam determinata accidentia: unum autem ex accidentibus est quantitas: ergo omne corpus naturale, sive vivens, sive nonvivens, habet determinatam quantitatem, quam excedere non potest. Et *tertiò*, quia etiam in igne accretio & incrementum fit per virtutem activam ignis aggenerantis, & convertentis in se combustibile: & hæc virtus non minus est finita, & limitata in igne, quàm in animali: ergo non minus habebit terminum intrinsecum in illo, quàm in isto.

55 Ad primum respondeo cum Soto, Lerma, & aliis, quòd de nonviventibus quoad ipsorum magnitudinem dupliciter loqui possumus; vel supposito ordine universi, vel attentis naturis ipsorum. Et quidem certum est, quòd supposito ordine universi, nisi hic pervertatur, omnia nonviventia habent terminum magnitudinis, quem excedere non valent, ignis enim non potest ita crescere, ut concavum Lunæ trãscendat, nec aer potest esse major, quàm qui continetur sub orbe ignis; & sic de aliis corporibus, quæ cum omnia suam positionem habeant in universo, attento tali ordine, non possunt ultra crescere. At attentis naturis eorum, augeri semper possunt, & fieri majora & majora citra infinitum, ut ex nostris rationibus patet. Arist. autem & D. Th. loc. cit. loquuntur de illis servato ordine universi, non verò secundum eorum naturam, qualiter de illis hìc nos loquimur.

56 Ad secundum distinguo majorem: Omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam, *specifice*, concedo, determinatam *numerice*, subdistinguo; *quando primo producitur*, concedo, *postquam est productum*, nego. Et concessa minori, eodem modo distinguo consequens: Ad formam substãtialem determinatam *tàm specifice, quàm numerice*, sequuntur accidentia determinata *specifica & numerica*, concedo. Ad formam substantialem determinatam *specifice*, & indeterminatam *numerice*, sequuntur determinata accidentia, subdistinguo *specifica*, concedo, *numerica* nego. Dico igitur, quòd cum accidentia, v. g. quantitas possit duplici modo convenire corpori, aut ut consecuta ex ipsa productione prima corporis, aut ut acquisita, & superveniens, illa propositio, *Ad determinatam formam sequuntur determinata accidentia*, nõ intelligitur per acquisitionem, & incrementum, sed per consecutionem. Et in hoc pari passu currunt viventia, & nonviventia, quia quantitas in eis primùm ad formam consecuta ex ui suæ generationis certa ac determinata esse debet, & si partes de novo aggenerentur, seu producantur, quę-

libet

libet illarum cum determinata quantitate debet produci: licet quia simul postea univntur, ex ui talis unionis illa quantitas fit major. Unde aliud est, quòd ex ui formæ & productionis, siue totius corporis, siue partis cujuslibet determinata quantitas proveniat, aliud quòd unio multarum partium, & quantitatum sine ullo termino fieri possit sicut fit in nonviventibus, & ideo hæc dicuntur non habere terminum suæ magnitudinis.

57. Ad tertium denique respondetur, requiri quidem virtutem activam in igne ad transmutandum combustibilia, sed non eodem modo est in igne, & in viventibus: in igne n. in omni parte est virtus igniendi, & ita crescente igne crescit talis virtus. Cæterum in viventibus virtus augumentativa non est in omnibus partibus, nec crescit, aut advenit nova virtus crescente vivente, sed virtus augumentativa pertinet ad determinatam partem, seu organum, puta ad stomachum, in quem mittitur alimentum, & inde distribuitur ad omnes partes corporis, & cum per augmentum partium non adveniat nova virtus stomachi nutrientis, sed eadem debet omnibus præstare alimentum, talis virtus limitata, & in parte determinata residens, non potest in quemcumque terminum se extendere.

58. Tertia conclusio. Tam viventia quam nonviventia habent terminum intrinsecum suæ parvitatis. Prima pars est communis inter auctores, & videri possunt Caiet. 1. p. q. 7. art. 3. Soncinas 5. met. quæst. 3. Iauellus 1. de anima quæst. 17. Complutenses 6. physic. disp. 27. q. 3. Philippus à Sanctissima Trinitate 1. 2. sum. philos. q. 27. art. 2. Ioannes à S. Th. 1. physic. q. 8 art. 3. & alii. Probatur, quia viventia exigunt plura organa, ut suas exercere possint operationes: atqui organa esse non possunt in quacumq; minima quantitate: ergo viventia exigunt aliquam determinatam quantitatem; ita ut sub minori in statu connaturalitatis esse non possint.

59. Secunda verò pars conclusionis est contra Scotum in 2. dist. 2. quæst. 9. Rubeum 1. physic. cap. 4. quæst. 3. Pereiram lib. 10. cap. 23. propos. 7. & alios. Eam tamen expressè docet S. Th. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ubi dicit, quòd *substantia panis potest corrumpi ex parte qualitatis, ut alteratione: & ex parte quantitatis, quia cum unaquæq; res naturalis habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri divisio, quòd non remanebit species.* Unde concludit 3. part. quæst. 77. art. 4. quòd licèt in Eucharistia non sit substantia panis & vini; tamen Corpus Christi ita est sub speciebus, ut tandiu conservetur, quandiu conservaretur substantia panis, & vini: & quia substantia panis, & vini dupliciter potest corrumpi, alteratione scilicet, & divisione, ideo corpus, & sanguis Christi dupliciter possunt desinere esse sub Eucharistia; primò, quando ita alterantur accidentia, quòd fuisset corrupta substantia panis, & vini; si ibi fuisset. Secundò, si ita pulverizetur quantitas panis, & vini, ac in tam minimas partes dividatur, ut jam non remaneret in eis species, sivè substantia panis, & vini, si esset.

60. Probatur *primò*, quia tam viventia, quam nonviventia, ut ipsorum

rum formæ introducantur in materia, & ibi conserventur, exigunt determinatas dispositiones: ergo cum una ex illis sit quantitas, exigunt determinatam quantitatem, ut sub minori esse non possint. *Secundò*, quia potest esse adeo exigua materia, ut in illa nequeat forma nonviventis operari, ut in instrumentis artis pingendi cernere licet, quæ possunt esse adeo exigua, ut nullam operationem artificiosam exercere valeant: sed forma non introducitur naturaliter, nisi in eam materiam, ubi potest exercere suas operationes: ergo talis forma requirit determinatam quantitatem, & non minorem, ut in statu connaturalitatis esse possit. Et *tertiò*, quia ideo nonviventia per adversarios carent terminis suæ parvitatis, quia sunt homogenea: sed si ista ratio esset cõvincens, probaret etiam neque viventia habere prædictos terminos, quod ipsimet adversarii negant: ergo. Prob. minor, quia licèt viventia sint etherogenea, tamen quævis pars ossis est ejusdem rationis cũ toto osse, & quævis pars nervi est ejusdem rationis cũ toto nervo; & sic de aliis: sicut quævis pars ignis est ejusdẽ rationis cum toto igne: ergo si nonviventia non habent terminos suæ parvitatis, forma viventis poterit conservari sub minori, & minori parte ossis, nervi, & aliarum partium, etherogenearum, ac proinde nec habere terminos suæ parvitatis.

61. Ob. 1. Demus corpus aliquod minimum v. g. lapidem digitalem, (supponendo quòd quantitas digitalis sit minima, in qua secundũ nostrã sententiam lapis conservari potest) si dividatur ab Angelo, in utraq; parte talis divisionis manebit forma lapidis: ergo talis digitalitas non est quãtitas minima, ut sub minori forma lapidis conservari non possit. Probatur antecedens. Facta illa divisione, nõ introducitur in materia utriusque partis divisæ alia forma substantialis: ergo remanet forma lapidis; aliàs materia esset absque omni forma, quod est impossibile. Probatur antecedens. Quia per eam subitam divisionem nõ introducitur in materia dispositio ad aliquam formam substantialẽ distinctam à forma lapidis: ergo cũ determinata forma substantialis non introducatur, nisi in materia ad illam disposita (alias non esset major ratio, quare una magis quã alia forma substantialis introduceretur) nulla de facto forma substantialis distincta à forma lapidis introducetur in partibus materiæ sic divisæ.

62. Huic argumento aliqui respõdent, quòd in tali casu non permanebit in partibus talis divisionis forma lapidis, sed introducetur in talibus partibus materiæ forma substãtialis magis simbola, & magis similis formæ lapidis, quia licèt ad illam non præcesserint in materia omnes dispositiones requisitæ, præcedunt tamen dispositiones, quæ ante talem divisionem coservabant formam lapidis; & illæ majorem proportionẽ habent cum forma substantiali magis simili formæ lapidis, quam cum alia. ¶ Sed hæc solutio non placet, quia licèt ad formam simbolam formę lapidis precesserint in tali casu aliquæ dispositiones, non tamen omnes requisitæ, ut in eadem solutione cõceditur: nulla autem forma potest naturaliter introduci in materia absque omnibus dispontionibus ad illam requisitis. ¶ Quare melius respondetur cum aliis, in eo casu remanere in partibus illius divisionis formam substantialem lapidis,

pidis, non in statu conservationis,& connaturalitatis, sed parvo tempore via corruptionis usque dum introducerentur omnes dispositiones ad formam substantialem subsequentem requisitæ.

63. Dices: supponamus quòd illud minimum, quòd in argumento intenditur posse dividi, sit illius corporis, quod inter omnia corpora naturalia exigit minorem quantitatem ad sui conservationem, in partibus illius divisionis non potest introduci alia forma substantialis: ergo prima in illis non conservantur parvo tempore aliàs illo transacto materia remaneret sine forma; sed esset in statu connaturalitatis, & debitæ dispositionis.

64. Respondeo, quòd casus iste est metaphysicus, illo tamen supposito, non poterit ab Angelo lapis tunc dividi, tali divisioni resistente ipsa natura, ne detur materia sine forma, sicut etiam ne detur vacuum, descensui gravis aliquando natura resistit. Nec huic obstat, quòd tale minimum esset quantum, ac proinde divisibile in partes. Quia de essentia quanti non est divisibilitas physica per separationem realem partium, sed solum divisibilitas mathematica per designationem unius partis extra aliam; & sic potest dari aliquod quãtum, cui ut tali repugnet divisibilitas physica per separationem realem partium.

65. Ob 2. Agens naturale approximatum passo, prius agit in partem proximam, quàm in remotiorem: ergo si minimum combustibile igni applicetur, tunc prius introducetur forma ignis in prima medietate ejus, quàm in ultima; & rursus, prius in medietate illius primæ medietatis, quam in altera medietate; & sic de aliis in infinitum: ergo non viventia terminum parvitatis nõ habent; aliàs omnia prædicta fieri non possunt, ut patet in forma viventi, quæ non introducitur in minori minimo.

66. Respondetur negando suppositum: non enim introducitur forma ignis, nisi in materia disposita: inter autem dispositiones præcipua est quantitas: unde non introducitur in minori minimo, sed in toto minimo calefacto.

IN LIBRUM SECUNDUM PHYSICORUM

DISPUTATIO SEXTA

De Natura.

SUperiori libro egimus cum Philosopho de principiis entis naturalis in ordine ad constitutionem totius; in hoc secundo libro agimus cũm eodem Phylosopho de eisdem in ordine ad motum; & quia sic habent rationem naturæ (natura enim definitur *principium & causa motus*) ideò prima disputatio,& sexta in ordine, erit de natura.

DUBIUM PRIMUM

Quid sit Natura? & utrum ejus definitio sit essentialis?

1. PRima conclusio natura est *principium, & causa motus, & quietis, ejus in quo est, primò, & per se, & non secundùm accidens*. Ita definitur ab Aristotile hic, quam definitionẽ cuncti Philosophi recipiunt Explicãtur omnes ejus particulæ. Dicitur primò natura, *principia, & causa* quia in aliquibus est principium passivum; & in aliquibus principium acti-

activum : unde ly *principium* significat principium passivum, & ly *causa* principium activum.

2. Dicitur secūdò, *motus, & quietis*, quia respectu horum natura habet rationem principii activi vel passivi. Nota, quòd sensus hujus particulæ non est, naturam esse principium activum, vel passivum utrivsque in omnibus, in quibus est; dantur enim plura entia naturalia, quæ non moventur, qualis est totus terræ globus, & Cælum empyreum : & quædam, quæ ex se nunquam quiescunt, qualia sunt cæteri Cæli : sed quòd quævis quies, & naturalis motus, qui in entibus naturalibus repertus fuerit, a natura procedat; ita tamen ut si aliquod ens naturale moveatur, & quiescat successive, natura in illo sit principium, & causa motus, & quietis : si vero vel solum quiescat, vel solum moveatur, tunc illa quies, & motus, à natura ut à prima radice ortum habeat.

3. Dicitur tertiò, *ejus in quo est*; quorum verborum sensus est, naturam esse principium, & causam motus non cujuscumq; entis, sed tantū illius, in quo ipsa natura est ¶ Ex quo sequitur, naturam esse principium *quo* motus, non verò *quod*; si n. natura est principium, & causa motus illius entis, in qno est ipsa natura, necesse est, ut natura sit in ipso ente, quòd movetur ut *quod*; ac proinde ipsa natura movetur ut *quo*.

4. Ponitur quartò particula illa *primo*; ut denotetur, naturam non esse utcumque principium motus, sed primum, & radicale principium *quo*: & sic excluduntur à ratione naturæ principia proxima motus : Cæterum quia esse principium radicale motus per se convenit naturæ, ideo additur quinta, & ultima particula, *per se, & non secundum accidens*, per quam hoc ipsum denotatur.

5. Dices: Quod primò competit rei, per se competit, nam si competeret ratione alterius, non competeret primò tali rei, sed illi ratione cujus ei competeret : ergo ultima particula *per se, & non secundum accidens*, supposita particula *primo*, in definitione tradita superflua videtur. ¶ Respondetur quòd ly *per se* non dicit convenire utcūque per se naturæ esse principium motus, sed quòd conveniat illi omnino per se: nā sæpe alicui convenit aliquid per se, non tamen omnino per se : sicuti homini per se convenit esse vivens sensibile radicalitèr, non vero omnino per se, idest, non à gradu rationalitatis proprio illius, sed à gradu superiori animalis habet, quòd sit vivens sensibile. Quia ergo natura est principiū radicale motus, prout principium radicale distinguitur à principio proximo, ideo oportuit ponere illā particulam *primo*. Quia vero non utcūq; convenit illi esse principium radicale, sed secundum ultimam differentiā naturæ, ideo addita est illa particula *per se*, quæ quidem conjuncta cum priori significat, illam primitatem, quæ conceditur naturæ, esse primitatem omnino primam. Quare merito utraque particula addita est.

6. Secunda conclusio Præfata naturæ definitio à Phylosopho tradita, est essentialis. Probatur quia illa definitio est essentialis, quæ datur per intima, & essentialia rei definitæ: sed præfata naturæ definitio est hujusmodi : ergo est essentialis. Probatur minor quia ens naturale ut tale, essentialiter importat, ut sit principium radicale *quod* motus : cum idem formali-

maliter fit ens naturale, ac ens mobile: ergo id, per quod constituitur in essentis naturalis, debet necessariò, & essentialiter esse principium radicale *quo* motus: ergo cum constituatur in esse entis naturalis per naturam, ut natura est, non potest non ratio naturæ ut talis importare essentialiter quòd sit principium radicale *quo* motus; àc proinde si per hoc natura definiatur, dabitur talis definitio per intrinseca, & essentialia rei difinitæ.

7. Ob. 1. Definitio, quæ datur per effectus definiti, nequit esse essentialis: atqui hæc est huiusmodi, nam datur per motum, & quietem, quæ sunt effectus naturæ: ergo hæc definitio non est essentialis. Probatur maior, defininitio essentialis datur per intrinseca, & essentialia definiti: atqui effectus cum presupponat rem, cuius sunt effectus, in sua essentia constitutam, non pertinent ad intrinseca, & essentialia illius: ergo definitio, quæ datur per effectus definiti nequit esse essentialis.

8. Respondetur negando minorē; & ad probationem dico, hanc definitionem non dari per motum, & quietem, sed per esse principium radicale utriusque modo explicato; quamuis autèm motus, & quies non pertineant ad intrinseca naturæ ut talis, bene tamen esse principium radicale illorum. Vnde & si motus, & quies sint effectus, & posterius quid, quàm natura; non tamen hoc quod est esse principium, & radicem utriusque.

9. Ob. 2. in natura prius est, esse principium essendi, quam esse principium radicale motus: ergo cum essentia sit primum, quod inuenitur in re, esse principium radicale motus non est essentia naturæ: ac proinde definitio naturæ, quæ per hanc rationem principii datur, non est essentialis.

10. Resp. quòd & si id, quod realitèr est natura, sit etiam principium essendi, attamen hi duo conceptus sunt inter se distincti, quia corpus v.g. animatum ut habet suam essentiam, importat animam ut dat illi esse in se uiuens substantiale: at ut habet naturam, importat eandem animam, non ut dat illi esse in se substantialiter, sed ut tribuit esse principium radicale motuum uitalium. Undè forma secundum conceptum formalissimum naturæ non constituitur essentialiter per esse principium essendi, sed per esse principium radicale operandi; ac proindè hęc definitio est ualde essentialis, quandoquidem datur per id, quod naturæ, tu tali omninò primo, & formaliter conuenit.

DBIUM SECUNDUM.

Quibus conueniat ratio naturæ?

11. Certum est, neque Deo, neque Angelis rationem naturę conuenire, pro ut natura accipitur in presenti, scilicet prout est principium motus physici: motus enim physicus, cuius principium est natura, debet esse sensibilis; eo quòd obiectum physicæ est ens mobile cōcernens materiam sensibilem: Deus autem & Angeli non sunt principiū huiusmodi motus. Difficultas est de materia, forma, anima rationali, & composito, an his conueniat ratiò naturæ.

12. Aliqui negant materiam primam esse naturam: quia materia non est principium actiuum motus, cum sit expers omnis actualitatis; neque

H passi-

passiuum, nam motus cum sit accidens, non recipitur in materia, sed in toto: ergo non est natura. ¶ Communis tamen sententia docet, materiam verè & simpliciter esse naturam; quia motus physicus licet recipiatur in toto composito, ut in subiecto *quod*, recipitur tamen in materia ut in subiecto *quo*: & quia ipsa est primum subiectum, inde est, quod est primum & radicale principium recipiendi prædictum motum, & consequenter est natura, quia natura est principium *quo*, non autem *quod* motus, ut supra diximus. Per quod patet ad argumentum oppositum.

13. Dico secundò etiam formas substantiales esse naturam. His n. cõvenit definitio naturæ: ergo sunt natura. Consequentia patet, quia arguitur à definitione ad definitum. Antecedens verò probatur, formæ substantiales sunt principium, & causa illorum motuum, qui sunt in illo ente naturali, quod constituunt; uegetatiua quidem motus accretionis, & nutritionis: sensitiva verò motus progressiui, cæterarumq; sensationum, quæ verè sunt motus, ut hìc sumitur, quippe sunt mutationes corporeæ, & physicæ, cæteræ verò formæ motus sursum uel deorsum, & quietis naturalis in propriis locis: ergo cum omnes hæ formæ sint principium & causa prædictorum motuũ primò, per se, & non secundum accidens, ut constat, fit inde, ut illis integre conveniat prædicta definitio.

14 Quæres. Utrum ad hoc ut forma sit natura, necessario debeat esse principium actiuum motus? Respondeo negatiue, quia ad hoc ut alicui conveniat ratio aliqua per definitionem significata, satis est, quod si competant omnes particulæ definitionis proprie & in rigore sumptę, ut ex se patet: sed præcise per hoc, quòd formæ substantiali conveniat esse principiũ passiuũ *quo* motus, &c. convenivnt illi omnes particulæ definitionis naturæ proprie, & in rigore sumptæ: ergo præcise per hoc cõueniet illi ratio naturæ. Minor quoad reliquas partes, præter quam ly *principium & causa motus*, satis constat: quo ad hanc verò probatur; nam ratio principii, & causæ motus proprie & in rigore saluatur in principio passivo: materia enim prima ut supra uidimus, est uera natura, & tamen solum est principium passiuũ motus: ergo licet forma substantialis sit principium passiuum, & non actiuum motus, non propterea ei denegabitur ratio naturæ.

15. Confirmatur. Cæli sunt uera entia naturalia, ac proinde eorum formæ sunt ueræ naturæ: & tamen hę formæ nõ sunt principium activum motus; esse n. principium activum motus ejus in quo est, solum convenit formis uiventibus: formæ autem Cælorum non sunt viventes. Ergo ad rationem naturæ non desideratur in formis substantialibus, quòd sint principium activum motus; sed satis erit, quòd sint passivum.

16. Dices: si forma non influit in motum per modum principii activi *quo*, non influit per modum primi principii, primæque radicis: ac proinde neque per modũ naturæ. Assũptum probatur; Primum principium passivum est materia, quia ipsa sola est primum subiectum: ergo ad hoc ut forma sit prima radix motus, debet in alio genere influere, scilicet active.

17. Respondeo, quòd cum principium passivum *quod* motus, sit ipsũ

ens

ens naturale, ut naturale est, necesse est ut à duplici principio *quo* constituatur in esse subiecti: à materia quidem tanquam à primo subiecto; à forma uerò tanquã à dante illi actualitatem necessariam, ut sit subiectum *quod*: unde utraque pertingit ad hoc, ut sit radix recipiendi motum, quãvis diuerso modo.

18. Circa tertiam difficultatem, uidetur, rationem naturæ non convenire animæ rationali ut tali; nam natura est principium motus physici: anima autem rationalis ut talis solũ est principium intellectionis, & uolitionis, quæ non sunt operationes physicæ, cum sint communes Deo, & Angelis.

19 Dicendum tamen est (& est tertia conclusio in ordine) animam rationalem etiam secundum ultimũ gradum, esse naturam. Prob. *primò* quia Aristotiles lib. 3. de anima agit ex professo de anima rationali ut tali ergo cum libri de anima sint præcipua pars naturalis Philosophiæ, anima rationalis quatenus talis est uera natura. *Secundò* quia anima rationalis secundum ultimum gradum rationalitatis uere constituit hominem, estq; vera forma illius, ut definitum est in Concilio Viennensi, & in Lateranensi sub Leone X. atqui homo est ens naturale etiam secundum ultimũ gradum: ergo anima, quæ est forma constitutiua illius, est natura etiam secundum istum gradum. Et *tertiò* quia anima rationalis in statu conivnctionis cum corpore, secundum quam considerationem spectat ad Physicũ (secundum n. statum separationis spectat ad Metaphysicum) est principium intellectionis, & uolitionis in homine, quæ operationes licèt quo ad substantiam sint spirituales, quoad modum tamen sunt physicæ, quia exercentur àb anima iuncta corpori, dependentèr à sensibus, qui corporei sunt, & materiales: ergo respectu illarũ habebit anima rationalis quatenus talis ueram rationem naturæ. Adde, quòd secundum eundem gradum rationalis est etiã principium admirationis, risus, fletus, locutionis: qui quidem motus, cum sint naturales homini ut homo est, & in ipso sint, non possunt non ab anima, ut rationalis est, tanquam à principio *quo*, & radicali dimanare. ¶ Ad rationem dubitandi solutio patet ex dictis.

20. Quæres: an anima in statu separationis sit natura? respondeo affirmatiuè, quia secũdũ se est forma corporis. Non tamen exercet munus naturæ; tum quia non constituit ens naturale; tum etiam quia in illo statu intelligit, & vult sicut Angelus independenter à sensibus.

21. Circa quartam difficultatem conveniunt omnes, compositum sũptum pro supposito, non esse naturam, suppositum n. non operatur ut *quo*, sed ut *quod*. Difficultas est, si sumatur pro forma totali, scilicèt pro humanitate, an ei conveniat ratio naturæ. Affirmant Ioannes à S. Th. in præsenti quæst. 9. art. 2. Lerma quæst. 2. num. 3 & alii Quod probant, quia natura hìc sumitur pro primo principio motus, idest, pro illius radicali principio *quo*, & ut contradistinguitur à principio proximo instrumentali: sed non solum forma substantialis partialis, sed etiàm ipsa forma totalis est principium radicale *quo* motus: ergo est proprie natura. ¶ Negant uerò Cõplutenses 2 physic. disp. 7. quæst. 6. Mailhat disp. 5. sect. 2. Phylippus à Sanctissima Trinitate in sua

sua summa philos. 1. 2. q. 7. art. 6. & alii. Quæ sententia mihi uidetur probabilior; quia natura, ut hic definitur ab Aristotile, non est utcumq; principium radicale *quo* motus, sed omninò primum: forma autem totalis non est principium omninò primum, & radicale motus, cum præsupponat alia principia priora, scilicet materiam, & formam, ex quibus componitur. Confirmatur quia formæ totali convenit esse principiũ activum motus ratione formæ; sicut & principium passivum ratione materiæ, non ratione sui: aliàs eidem rei ratione sui duo opposita conuenirent; quod non est dicendum: ergo forma totalis propriè & rigorosè loquendo, non est natura. Dicitur nihilominus natura, sumpta natura pro quidditate & essentia.

DUBIUM TERTIUM

Utrum natura distinguatur ab arte? Et an ars possit efficere opera naturæ?

22 Prima conclusio, Natura distinguitur realiter ab arte. Tum quia natura est substantia; ars verò, siuè sumatur pro habitu existente in mente artificis, siuè pro forma seù figura existente in artefacto, est accidẽs. Tum etiam quia natura est principiũ, & causa motus quoad substantiam; ars verò nunquam quoad substantiã. An autem ars quoad modum possit esse principium, & causa motus? respondeo affirmativè; Artes enim saltandi, & cantandi, sunt principium modi saltationis, & cantus, licet non substantiæ eorum motuum. Vndè si darentur duo corpora; alterum planum, & alterum sphericum, quæ ex aliquo eminenti loco æquali impetu deiicerentur, licet sphericum uelocius moueretur, quam planum, uelocitas tamen hæc, quæ est modus motus, refunditur non ad naturam, sed ad artem, scilicet ad figuram sfericam, quæ est magis disposita ad scindendum aerem, quam figura quatrata, seù plana.

23. Dices: Potest dari natura, & de facto datur, quæ sit principium tãtùm modi motus, & non substantiæ motus: Anima enim rationalis ut natura est principium intellectionis, & uolitionis, quæ quoad modum tantũ sunt naturales, quoad substantiã uerò sunt spirituales: ergo per hoc natura non distinguitur ab arte. ¶ Resp. negando antecedens, & ad probationem dico, quod anima rationalis licet in statu conjunctionis cum corpore non producat actum spiritualem secundũ suam substantiam præcisè, sicut producit anima separata à corpore, quæ non operatur dependenter à sensibus; producit tamen illum secundum suã substantiam uestitam (ut sic dicam) prædicto modo, ità ut non solum influit in modum, sed etiam in substantiam, & spiritualitatem actus; & consequentèr non est principium solum modi motus, sed etiam substantiæ ipsius.

24 Secunda conclusio, Ars non potest efficere opera naturæ. Et probatur: nam uel illa efficeret principaliter; & hoc non: quia opera naturæ non cõtinẽtur in virtute artis, sed in virtute naturæ: omnis autem causa principalis continere debet in uirtute effectum, quem producere potest. Vel instrumentaliter; & hoc neque, quia si semel ars attingeret instrumentaliter productionem rerum naturalium, id esset, quia natura uteretur ea ut virtute instrumentaria, eo sanè modo, quo

quo utitur calore ad productionem ignis: at natura non utitur, nisi uirtutibus instrumētariis naturalibus ad suos effectus, quia instrumentum debet esse ejusdem ordinis cum causa principali: ergo nullo modo.

25. Tertia conclusio, Ars applicando actiua passiuis, aliquo modo concurrit ad opera naturæ: illi tamen effectus non fiunt ab arte, sed à naturalibus uirtutibus, quæ applicantur. Assertio hæc probatur experientia artis medicinæ, per quam ita benè solent uirtutes naturales lapidum, herbarum, & aliorum humanis corporibus applicari, ut mediis his sanitatem consequantur. Et hac ratione Dæmones, qui occultissimas uirtutes rerum naturaliū perfectissimè cognoscunt, eas debitè materiæ applicando, miros effectus nobis exhibent, sicut fecerunt Magi Pharaonis *Exod.7.* qui opera Demonum Semina quedam, uel aliqua putrefactiua, uirgis illis, de quibus ibi est sermo, occultè applicantium, exhibuerunt ueros Serpentes, ut docent Augustinus, & alii Patres.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De causis in communi.

1. IN hac, & sequentibus disputationibus agemus de causis entis naturalis tum in communi, tum in particulari, prius tamen in communi, ut methodum doctrinę obseruemus; postea verò in particulari. Causa autem multipliciter sumi potest: *Primò* nimis amplè, prout est idem ac principium; qua acceptione Arist. 2. met. c.2. tex. 11. priuationem causam appellauit: *Secundò* nimis strictè, prout solum comprahendit id, quòd uerè efficiendo causat: secundū quam considerationem sola causa efficiens habet rationem causæ. Et *tertiò* medio modo, prout comprehendit quatuor vulgata genera causarum. Et de causa in hac tertia acceptione loquimur in præsenti: Definiturque: *principium influens esse in aliud*, ly *principium*, ponitur loco generis, in quo causa cōuenit cum priuatione, termino *à quo*, & aliis similibus principiis: à quibus secernitur per particulā *influens esse*; priuatio enim, terminus *à quo*, & similia principia non positiuè influunt esse in effectum; benè tamen causa, quælibet in suo genere. Et per particulam *in aliud*, distinguitur à principio actiuo, quod influit in rem, non ei communicando distinctum numero esse, seu naturam. Vndè Pater Æternus licet actiuè influat in Filium, & Pater, & Filius, in Spiritum Sanctū, tamen nec Pater Æternus habet rationem causæ respectu filii, nec uterque respectu Spiritus Sancti, quia idem numero esse, & eadem numero natura, & essentia, quæ est in Patre, est etiam in Filio, & in Spiritu Sancto.

2. Tantū quatuor sunt genera causarum, nempè materialis, formalis, efficientis, & finalis. Ratio est: quia tantum istæ quatuor causæ influunt in ens naturale: materia recipiendo, & substentando formam: forma actuando, & informando materiam: efficiens educendo formam è sinu materiæ, vel (si de rationali sit sermo) eam à Deo creatam uniendo materię, & producendo totum; & finalis mouendo efficiens ad talem operationē, nemo enim operatur, nisi tendens in finem. Cum ergo nullum aliud genus causæ, quod concurrat ad compositum substantiale, assignari possit; quatuor tantum prædicta erunt genera causarum.

3. Quodlibet ex his generibus subdivi-

diuiditur in varias species. In primis enim causa materialis subdiuiditur in *subiectiuam*, & *dispositiuam*. Causa materialis *subiectiua* in *materiam primam*, de qua supra egimus; & *materiam secundam*, quæ est totum compositum prout substernitur accidentibus: Causa uerò materialis *dispositiua* dicuntur accidentia, quibus materia prima præparatur ad formam recipiēdam. ¶ Causa formalis in *intrinsecam*, quæ scilicet intrinsecè afficit, informat, & actuat materiam, totumque constituit; & *extrinsecam*, quæ extrinsecè solum specificat rem, ut idea artificis, uel exemplar domum, obiectum potentiam, aut habitum. ¶ Efficiens in *primam*, quæ est Deus, & *secundam*, sub qua comprehenduntur omnes causę effectiuę creatę: item in *principalem*, & *instrumentalem*. ¶ Finalis denique in finem *ultimum*, & finem *proximum*: in finem *cuius gratia*, & finem *cui*: de quibus omnibus suo ordine dicemus.

4. Quæres primò, An causa sit prior suo effectu? Causa dupliciter accipi potest, uel materialiter pro ipsa re, quæ est causa; & hoc modo aliquæ causę possunt prioritate temporis antecedere effectus, uel formaliter prout est actu causans: & sic sumpta dico, quod non est prior suo effectu prioritate *in quo*, sed *à quo*. Pro cuius intelligentia noto, duplicem esse prioritatem: aliam *in quo*; aliam *à quo*. Illud dicitur prius prioritate *in quo*, quod in illo priori, in quo præsupponitur ad illud, verè est sine illo: & ad hanc prioritatem reducitur prioritas *in quo* secundum rationem: quando nimirum aliqua duo sunt in eodem instanti reali; attamen in illo instanti distinguimus plura instantia rationis, in quorū primo intelligitur existere unum non existente alio. Prioritas uerò *à quo* est, quando unum ab alio procedit, uel causatur.

5. Hoc supposito, probo conclusionem quoad primam partem sic (quo enim ad secundam partem patet, quia omnis effectus procedit à causa, & causatur ab illa) causa est actu causans per hoc, quod actualiter influit: non potest autem actualiter influere, nisi etiam in eo instanti sit effectus, in quem influat: ergo in nullo instanti *in quo* potest intelligi, & esse causa actu causans sine suo effectu; ac proindè nec esse prior illo prioritate *in quo* reali, uel rationis.

6. Quæres secundò, an causa sit perfectior suo effectu? Respondeo cū distinctione. *In modo causandi omnis causa est perfectior suo effectu; in esse uerò entis aliquæ causæ sunt perfectiores, aliæ æque perfectæ, & aliæ imperfectiores*. Prima pars patet ex dictis; quia effectus dependet à qualibet causa: sed id, à quo aliquid dependet, habet modum perfectiorem, quam id, quod ab illo dependet: ergo omnis causa quoad modum est perfectior suo effectu. ¶ Secunda verò pars probatur; quia materia, vtpotè ens in potentia, est imperfectior forma, & toto composito: & dispositiones, quæ ad formam, ut uia ad terminum, & ut imperfectum ad perfectum ordinantur, sunt imperfectiores ipsa forma. Forma verò si comparetur ad materiam, est perfectior illa, imperfectior tamen composito, quod constituit, quia omne constitūtum est perfectius quolibet constituente. Causa autem efficiens si sit principalis, debet esse perfectior, uel saltem æque perfecta cum effectu quia illum propria uirtute attingit, & nemo dat, quod non habet. Si uero sit instrumētalis, est imperfectior effectu ob rationem oppositam, quia scilicet

ſcilicet illum propria uirtute non attingit. Cauſa deniq; finalis interdũ eſt nobilior ſuo effectu, ut cum quis ſtudet propter Deum: interdũ ignobilior, ut cum quis ſtudet propter lucrum: & interdum æqualis perfectionis cum illo, ut cum quis ſtudet præcisè propter ipſam nobilitatem ſtudij. Ergo ineſſe entis aliquæ cauſæ ſunt perfectiores ſuo effectu, aliæ æque perfectæ, & alię imperfectiores illo.

DISPUTATIO OCTAUA

De causis materiali & formali.

1. QVia cauſæ materialis & formalis ità inter ſe connectuntur, ut uix poſſint, niſi ſimul explicari, ideo de utraque in hac diſputatione agemus. Et ſuppoſitis iis, quæ de eis in libro præcedenti diximus, breuiter diſputationem tribus concluſionibus abſoluemus.

2. Prima concluſio. Materia & forma per ſuaſmet entitates, & non per aliquid ipſis ſuperadditum, habent uirtutem cauſandi. Probatur quia materia cauſat recipiendo formam; & forma cauſat actuando, & informando materiam: ſed ut materia poſſit recipere formam, nihil aliud in ea requiritur, quam potentialitas, & capacitas ad talem formam, quæ utiq; potentialitas ab ipſa materia nullatenus realiter diſtinguitur: & ut forma cauſet actuando, & informando materiam nihil aliud requiritur, quam quòd ſit actus; & ipſa forma ſubſtantialis per ſuammet entitatem eſt actus: ergo materia & forma ſubſtantialis per ſuaſmet entitates, & non per aliquid ipſis ſuperadditum, ſunt cauſæ in actu primo, & habent uirtutem cauſandi.

3. Confirmatur ſi materia & forma non per ſuas entitates, ſed per aliquid ipſis ſuperadditum fierent potentes ad cauſandum, uel illud ſuperadditum eſſet ſubſtantia, uel accidens: non ſubſtantia, cum hæc ſit tantum triplex, materia ſcilicet, forma, & compoſitum, nulla verò ex iſtis eſſe poſſet, ut eſt evidens: nec etiam accidens, alias ex materia & forma affectis hujuſmodi accidẽte non eret unum per ſe, ſed per accidens, ut potè coaleſcens ex rebus diverſorum prędicamentorum: ergo illud ſuperadditum eſt omnino fictitium.

4. Secunda concluſio. Cauſalitas materiæ eſt unio ipſius cum forma: & cauſalitas formæ eſt unio ipſius cum materia. Prima pars probatur; Cauſalitas cujuſlibet cauſæ eſt influxus ille, quo in proprio genere cauſandi cauſa actualiter influit in effectum: atqui materia per hoc ſolum influit in formam & compoſitum, quòd uniatur formæ: ergo cauſalitas materiæ nihil aliud eſt, quã unio ipſius cum forma. Probatur minor; Materia non aliter cauſat formam, quam recipiendo illam; nec aliter influit in totum, quam communicando ſeipſam illi per modum partis materialis; atqui id totum præſtat per unionem cum forma; per hoc n. quòd materia uniatur formę, recipit in ſe formam, & conſtituit cõpoſitum per modum partis materialis; ergo. ¶ Eodem modo probatur ſecunda pars concluſionis; quia illa eſt cauſalitas formæ, per quam forma communicat ſe materiæ, & conſtituit compoſitum per modum partis formalis: atqui præcisè per hoc, quòd forma uniatur materiæ, communicat ſe illi, & conſtituit

com-

rum formæ introducantur in materia, & ibi conserventur, exigunt determinatas dispositiones: ergo cum una ex illis sit quantitas, exigunt determinatam quantitatem, ut sub minori esse non possint. *Secundò*, quia potest esse adeo exigua materia, ut in illa nequeat forma nonviventis operari, ut in instrumentis artis pingendi cernere licet, quæ possunt esse adeo exigua, ut nullam operationem artificiosam exercere valeant: sed forma non introducitur naturaliter, nisi in eam materiam, ubi potest exercere suas operationes: ergo talis forma requirit determinatam quantitatem, & non minorem, ut in statu connaturalitatis esse possit. Et *tertiò*, quia ideo nonviventia per adversarios carent terminis suę parvitatis, quia sunt homogenea: sed si ista ratio esset cõvincens, probaret etiam neque viventia habere prædictos terminos, quod ipsimet adversarii negant: ergo. Prob. minor, quia licèt viventia sint etherogenea, tamen quævis pars ossis est ejusdem rationis cũ toto osse, & quævis pars nervi est ejusdem rationis cũ toto nervo; & sic de aliis: sicut quævis pars ignis est ejusdẽ rationis cum toto igne: ergo si nonviventia non habent terminos suæ parvitatis, forma viventis poterit conservari sub minori, & minori parte ossis, nervi, & aliarum partium, etherogenearum, ac proinde nec habere terminos suæ parvitatis.

61. Ob. 1. Demus corpus aliquod minimum v. g. lapidem digitalem, (supponendo quòd quantitas digitalis sit minima, in qua secundũ nostrã sententiam lapis conservari potest) si dividatur ab Angelo, in utraq; parte talis divisionis manebit forma lapidis: ergo talis digitalitas non est quãtitas minima, ut sub minori forma lapidis conservari non possit. Probatur antecedens. Facta illa divisione, nõ introducitur in materia utriusque partis divisæ alia forma substantialis: ergo remanet forma lapidis; aliàs materia esset absque omni forma, quod est impossibile. Probatur antecedens: Quia per eam subitam divisionem nõ introducitur in materia dispositio ad aliquam formam substantialẽ distinctam à forma lapidis: ergo cũ determinata forma substantialis non introducatur, nisi in materia ad illam disposita (alias non esset major ratio, quare una magis quã alia forma substantialis introduceretur) nulla de facto forma substantialis distincta à forma lapidis introducetur in partibus materiæ sic divisæ.

62. Huic argumento aliqui respõdent, quòd in tali casu non permanebit in partibus talis divisionis forma lapidis, sed introducetur in talibus partibus materiæ forma substãtialis magis simbola, & magis similis formæ lapidis, quia licèt ad illam non præcesserint in materia omnes dispositiones requisitæ, præcedunt tamen dispositiones, quæ ante talem divisionem coservabant formam lapidis; & illæ majorem proportionẽ habent cum forma substantiali magis simili formæ lapidis, quam cum alia. ¶ Sed hæc solutio non placet, quia licèt ad formam simbolam formę lapidis prę cesserint in tali casu aliquæ dispositiones, non tamen omnes requisitæ, ut in eadem solutione cõceditur: nulla autem forma potest naturaliter introduci in materia absque omnibus dispositionibus ad illam requisitis. ¶ Quare melius respondetur cum aliis, in eo casu remanere in partibus illius divisionis formam substantialem lapidis,

pidis, non in statu conservationis, & connaturalitatis, sed parvo tempore via corruptionis usque dum introducerentur omnes dispositiones ad formam substantialem subsequentem requisitæ.

63. Dices: supponamus quòd illud minimum, quòd in argumento intenditur posse dividi, sit illius corporis, quod inter omnia corpora naturalia exigit minorem quantitatem ad sui conservationem, in partibus illius divisionis non potest introduci alia forma substantialis: ergo prima in illis non conservantur parvo tempore aliàs illo transacto materia remaneret sine forma; sed esset in statu connaturalitatis, & debitæ dispositionis.

64. Respondeo, quòd casus iste est metaphysicus, illo tamen supposito, non poterit ab Angelo lapis tunc dividi, tali divisioni resistente ipsa natura, ne detur materia sine forma, sicut etiam ne detur vacuum, descensui gravis aliquando natura resistit. Nec huic obstat, quòd tale minimum esset quantum, ac proinde divisibile in partes. Quia de essentia quanti non est divisibilitas physica per separationem realem partium, sed solum divisibilitas mathematica per designationem unius partis extra aliam; & sic potest dari alquod quantum, cui ut tali repugnet divisibilitas physica per separationem realem partium.

65. Ob 2. Agens naturale approximatum passo, prius agit in partem proximam, quàm in remotiorem: ergo si minimum combustibile igni applicetur, tunc prius introducetur forma ignis in prima medietate ejus, quàm in ultima; & rursus, prius in medietate illius primæ medietatis, quam in altera medietate; & sic de aliis in infinitum: ergo non viventia terminum parvitatis nō habent; aliàs omnia prædicta fieri non possunt, ut patet in forma viventi, quæ non introducitur in minori minimo.

66. Respondetur negando suppositum: non enim introducitur forma ignis, nisi in materia disposita: inter autem dispositiones præcipua est quantitas: unde non introducitur in minori minimo, sed in toto minimo calefacto.

IN LIBRUM SECUNDUM PHYSICORUM

DISPUTATIO SEXTA

De Natura.

Superiori libro egimus cum Philosopho de principiis entis naturalis in ordine ad constitutionem totius; in hoc secundo libro agimus cùm eodem Phylosopho de eisdem in ordine ad motum; & quia sic habent rationem naturæ (natura enim definitur *principium & causa motus*) ideò prima disputatio, & sexta in ordine, erit de natura.

DUBIUM PRIMUM

Quid sit Natura? & utrum ejus definitio sit essentialis?

1. Prima conclusio natura est *principium, & causa motus, & quietis, ejus in quo est, primò, & per se, & non secundum accidens*. Ita definitur ab Aristotile hic, quam definitionē cuncti Philosophi recipiunt. Explicātur omnes ejus particulæ. Dicitur primò natura, *principia, & causa* quia in aliquibus est principium passivum; & in aliquibus principium acti-

activum: unde ly *principium* significat principium passivum, & ly *causa* principium activum.

2. Dicitur secùdò, *motus, & quietis*, quia respectu horum natura habet rationem principii activi vel passivi. Nota, quòd sensus hujus particulæ non est, naturam esse principium activum, vel passivum utrivsque in omnibus, in quibus est; dantur enim plura entia naturalia, quæ non moventur, qualis est totus terræ globus, & Cælum empyreum: & quædam, quæ ex se nunquam quiescunt, qualia sunt cæteri Cæli: sed quòd quævis quies, & naturalis motus, qui in entibus naturalibus repertus fuerit, a natura procedat; ita tamen ut si aliquod ens naturale moveatur, & quiescat successive, natura in illo sit principium, & causa motus, & quietis: si vero vel solum quiescat, vel solum moveatur, tunc illa quies, & motus, à natura ut à prima radice ortum habeat.

3. Dicitur tertiò, *ejus in quo est*; quorum verborum sensus est, naturam esse principium, & causam motus non cujuscumq; entis, sed tantũ illius, in quo ipsa natura est ¶ Ex quo sequitur, naturam esse principium *quo* motus, non verò *quod*; si n. natura est principium, & causa motus illius entis, in qno est ipsa natura, necesse est, ut natura sit in ipso ente, quòd movetur ut *quod*; àc proinde ipsa natura movetur ut *quo*.

4. Ponitur quartò particula illa *primo*; ut denotetur, naturam non esse utcumque principium motus, sed primum, & radicale principium *quo*: & sic excluduntur à ratione naturæ principia proxima motus: Cæterum quia esse principium radicale motus per se convenit naturæ, ideo additur quinta, & ultima particula, *per se, & non secundum accidens*, per quam hoc ipsum denotatur.

5. Dices: Quod primò competit rei, per se competit, nam si competeret ratione alterius, non competeret primò tali rei; sed illi ratione cujus ei competeret: ergo ultima particula *per se, & non secundum accidens*, supposita particula *primo*, in definitione tradita superflua videtur. ¶ Respondetur quòd ly *per se* non dicit convenire utcũque per se naturæ esse principium motus, sed quòd conveniat illi omnino per se: nã sępe alicui convenit aliquid per se, non tamen omnino per se: sicuti homini per se convenit esse vivens sensibile radicalitèr, non vero omnino per se, idest, non à gradu rationalitatis proprio illius, sed à gradu superiori animalis habet, quòd sit vivens sensibile. Quia ergo natura est principiũ radicale motus, prout principium radicale distinguitur à principio proximo, ideo oportuit ponere illã particulam *primo*. Quia vero non utcũq; convenit illi esse principium radicale, sed secundum ultimam differentiã naturæ, ideo addita est illa particula *per se*, quæ quidem conjuncta cum priori significat, illam primitatem, quæ conceditur naturæ, esse primitatem omnino primam. Quare merito utraque particula addita est.

6. Secunda conclusio Præfata naturæ definitio à Phylosopho tradita, est essentialis. Probatur quia illa definitio est essentialis, quæ datur per intima, & essentialia rei definitæ: sed præfata naturæ definitio est hujusmodi: ergo est essentialis. Probatur minor quia ens naturale ut tale, essentialiter importat, ut sit principium radicale *quod* motus: cum idem formali-

maliter sit ens naturale, ac ens mobile: ergo id, per quod constituitur in essentis naturalis, debet necessariò, & essentialiter esse principium radicale *quo* motus: ergo cum constituatur in esse entis naturalis per naturam, ut natura est, non potest non ratio naturæ ut talis importare essentialiter quòd sit principium radicale *quo* motus; ac proinde si per hoc natura definiatur, dabitur talis definitio per intrinseca, & essentialia rei difinitæ.

7. Ob. 1. Definitio, quæ datur per effectus definiti, nequit esse essentialis: atqui hæc est huiusmodi, nam datur per motum, & quietem, quæ sunt effectus naturæ: ergo hæc definitio non est essentialis. Probatur maior, defininitio essentialis datur per intrinseca, & essentialia definiti: atqui effectus cum presupponat rem, cuius sunt effectus, in sua essentia constitutam, non pertinent ad intrinseca, & essentialia illius: ergo definitio, quæ datur per effectus definiti nequit esse essentialis.

8. Respondetur negando minorē; & ad probationem dico, hanc definitionem non dari per motum, & quietem, sed per esse principium radicale utrinque modo explicato; quamuis autèm motus, & quies non pertineant ad intrinseca naturæ ut talis, bene tamen esse principium radicale illorum. Vnde & si motus, & quies sint effectus, & posterius quid, quàm natura; non tamen hoc quod est esse principium, & radicem utriusque.

9. Ob. 2. in natura prius est, esse principium essendi, quam esse principium radicale motus: ergo cum essentia sit primum, quod invenitur in re, esse principium radicale motus non est essentia naturæ: ac proinde definitio naturæ, quæ per hanc rationem principii datur, non est essentialis.

10. Resp. quòd & si id, quod realitèr est natura, sit etiam principium essendi, attamen hi duo conceptus sunt inter se distincti, quia corpus v.g. animatum ut habet suam essentiam, importat animam ut dat illi esse in se uiuens substantiale: at ut habet naturam, importat eandem animam, non ut dat illi esse in se substantialiter, sed ut tribuit esse principium radicale motuum uitalium. Undè forma secundum conceptum formalissimum naturæ non constituitur essentialiter per esse principium essendi, sed per esse principium radicale operandi; ac proindè hec definitio est ualde essentialis, quandoquidem datur per id, quod naturæ, tu tali omninò primo, & formaliter conuenit.

DBIUM SECUNDUM

Quibus conueniat ratio naturæ?

11. Certum est, neque Deo, neque Angelis rationem naturę conuenire, pro ut natura accipitur in presenti, scilicet prout est principium motus physici: motus enim physicus, cuius principium est natura, debet esse sensibilis; eo quòd obiectum physicæ est ens mobile cōcernens materiam sensibilem: Deus autem & Angeli non sunt principiū huiusmodi motus. Difficultas est de materia, forma, anima rationali, & composito, an his conueniat ratiò naturæ.

12. Aliqui negant materiam primam esse naturam; quia materia non est principium actiuum motus, cum sit expers omnis actualitatis; neque

passiuum, nam motus cum sit accidens, non recipitur in materia, sed in toto: ergo non est natura. ¶ Communis tamen sententia docet, materiam verè & simpliciter esse naturam; quia motus physicus licet recipiatur in toto composito, ut in subiecto *quod*, recipitur tamen in materia ut in subiecto *quo*: & quia ipsa est primum subiectum, inde est, quod est primum & radicale principium recipiendi prædictum motum, & consequenter est natura, quia natura est principium *quo*, non autem *quod* motus, ut supra diximus. Per quod patet ad argumentum oppositum.

13. Dico secundò etiam formas substantiales esse naturam. His n. cõvenit definitio naturæ: ergo sunt natura. Consequentia patet, quia arguitur à definitione ad definitum. Antecedens verò probatur, formæ substantiales sunt principium, & causa illorum motuum, qui sunt in illo ente naturali, quod constituunt; uegetatiua quidem motus accretionis, & nutritionis: sensitiva verò motus progressiui, cæterarumq; sensationum, quæ verè sunt motus, ut hìc sumitur, quippe sunt mutationes corporeæ, & physicæ, cæteræ verò formæ motus sursum uel deorsum, & quietis naturalis in propriis locis: ergo cum omnes hæ formæ sint principium & causa prædictorum motuũ primò, per se, & non secundum accidens, ut constat, fit inde, ut illis integre conveniat prædicta definitio.

14 Quæres. Utrum ad hoc ut forma sit natura, necessario debeat esse principium actiuum motus? Respondeo negatiue, quia ad hoc ut alicui conveniat ratio aliqua per definitionem significata, satis est, quod ei competant omnes particulæ definitionis proprie & in rigore sumptę, ut ex se patet: sed præcise per hoc, quòd formæ substantiali conveniat esse principiũ passiuũ *quo* motus, &c. convenivnt illi omnes particulæ definitionis naturæ proprie, & in rigore sumptæ: ergo præcise per hoc cõueniet illi ratio naturæ. Minor quoad reliquas partes, præter quam ly *principium & causa motus*, satis constat: quo ad hanc verò probatur; nam ratio principii, & causæ motus proprie & in rigore saluatur in principio passivo: materia enim prima ut supra uidimus, est uera natura, & tamen solum est principium passiuũ motus: ergo licet forma substantialis sit principium passiuum, & non actiuum motus, non propterea ei denegabitur ratio naturæ.

15. Confirmatur. Cæli sunt uera entia naturalia, ac proinde eorum formæ sunt ueræ naturæ: & tamen hę formæ nõ sunt principium activum motus; esse n. principium activum motus ejus in quo est, solum convenit formis uiventibus: formæ autem Cælorum non sunt viventes. Ergo ad rationem naturæ non desideratur in formis substantialibus, quòd sint principium activum motus; sed satis erit, quòd sint pass.vum.

16. Dices: si forma non influit in motum per modum principii activi *quo*, non influit per modum primi principii, primæque radicis: ac proinde neque per modũ naturæ. Assũptum probatur; Primum principium passivum est materia, quia ipsa sola est primum subiectum: ergo ad hoc ut forma sit prima radix motus, debet in alio genere influere, scilicèt active.

17. Respondeo, quòd cum principium passivum *quod* motus, sit ipsũ

ens

-ens naturale, ut naturale est, necesse est ut à duplici principio *quo* constituatur in esse subiecti: à materia quidem tanquam à primo subiecto; à forma uerò tanquã à dante illi actualitatem necessariam, ut sit subiectum *quod*: unde utraque pertingit ad hoc, ut sit radix recipiendi motum, quãvis diuerso modo.

18. Circa tertiam difficultatem, uidetur, rationem naturæ non convenire animæ rationali ut tali; nam natura est principium motus physici: anima autem rationalis ut talis solũ est principium intellectionis, & uolitionis, quæ non sunt operationes physicæ, cum sint communes Deo, & Angelis.

19 Dicendum tamen est (& est tertia conclusio in ordine) animam rationalem etiam secundum ultimũ gradum, esse naturam. Prob. *primò* quia Aristotiles lib. 3. de anima agit ex professo de anima rationali ut tali ergo cum libri de anima sint præcipua pars naturalis Philosophiæ, anima rationalis quatenus talis est uera natura. *Secundò* quia anima rationalis secundum ultimum gradum rationalitatis uere constituit hominem, estq; vera forma illius, ut definitum est in Concilio Viennensi, & in Lateranensi sub Leone X. atqui homo est ens naturale etiam secundum ultimũ gradum: ergo anima, quæ est forma constitutiua illius, est natura etiam secundum istum gradum. Et *tertiò* quia anima rationalis in statu coniunctionis cum corpore, secundum quam considerationem spectat ad Physicũ (secundum n. statum separationis spectat ad Metaphysicum) est principium intellectionis, & uolitionis in homine, quæ operationes licèt quo ad substantiam sint spirituales, quoad modum tamen sunt physicæ, quia exercentur àb anima iuncta corpori, dependentèr à sensibus, qui corporei sunt, & materiales: ergo respectu illarũ habebit anima rationalis quatenus talis ueram rationem naturæ. Adde, quòd secundum eundem gradum rationalis est etiã principium admirationis, risus, fletus, locutionis: qui quidem motus, cum sint naturales homini ut homo est, & in ipso sint, non possunt non ab anima, ut rationalis est, tanquam à principio *quo*, & radicali dimanare. ¶ Ad rationem dubitandi solutio patet ex dictis.

20. Quæres: an anima in statu separationis sit natura? respondeo affirmatiuè, quia secũdũ se est forma corporis. Non tamen exercet munus naturæ; tum quia non constituit ens naturale; tum etiam quia in illo statu intelligit, & vult sicut Angelus independenter à sensibus.

21. Circa quartam difficultatem conveniunt omnes, compositum sũptum pro supposito, non esse naturam, suppositum n. non operatur ut *quo*, sed ut *quod*. Difficultas est, si sumatur pro forma totali, scilicèt pro humanitate, an ei conveniat ratio naturæ. Affirmant Ioannes à S Th. in præsenti quæst. 9. art. 2. Lerma quæst. 2. num. 3 & alii Quod probant, quia natura hìc sumitur pro primo principio motus, idest, pro illius radicali principio *quo*, & ut contradistinguitur à principio proximo instrumentali: sed non solùm forma substantialis partialis, sed etiam ipsa forma totalis est principium radicale *quo* motus: ergo est proprie natura. ¶ Negant uerò Cõplutenses 2 physic. disp. 7. quæst. 6. Mailhat disp. 5. sect. 2. Phylippus à Sanctissima Trinitate in

sua summa philos. 1. 2. q. 7. art. 6. & alii. Quæ sententia mihi uidetur probabilior; quia natura, ut hìc definitur ab Aristotile, non est utcumq; principium radicale *quo* motus, sed omninò primum: forma autem totalis non est principium omninò primum, & radicale motus, cum præsupponat alia principia priora, scilicèt materiam, & formam, ex quibus componitur. Confirmatur quia formæ totali convenit esse principiū activum motus ratione formæ; sicut & principium passivum ratione materiæ, non ratione sui: aliàs eidem rei ratione sui duo opposita conuenirent; quod non est dicendum: ergo forma totalis propriè & rigorosè loquendo, non est natura. Dicitur nihilominus natura, sumpta natura pro quidditate & essentia.

DUBIUM TERTIUM

Vtrum natura distinguatur ab arte? Et an ars possit efficere opera naturæ?

22 PRima conclusio, Natura distinguitur realiter ab arte. Tum quia natura est substantia; ars verò, siuè sumatur pro habitu existente in mente artificis, siuè pro forma seù figura existente in artefacto, est accidēs. Tum etiam quia natura est principiū, & causa motus quoad substantiam; ars verò nunquam quoad substantiā. An autem ars quoad modum possit esse principium, & causa motus? respondeo affirmativè; Artes enim saltandi, & cantandi, sunt principium modi saltationis, & cantus, licet non substantiæ eorum motuum. Vndè si darentur duo corpora; alterum planum, & alterum sphericum, quæ ex aliquo eminenti loco æquali impetu deiicerentur, licet sphericum uelocius moueretur, quam planum, uelocitas tamen hæc, quæ est modus motus, refunditur non ad naturam, sed ad artem, scilicet ad figuram sfericam, quæ est magis disposita ad scindendum aerem, quam figura quatrata, seù plana.

23. Dices: Potest dari natura, & de facto datur, quæ sit principium tātùm modi motus, & non substantiæ motus: Anima enim rationalis ut natura est principium intellectionis, & uolitionis, quæ quoad modum tantū sunt naturales, quoad substantiā uerò sunt spirituales: ergo per hoc natura non distinguitur ab arte. ¶ Resp. negando antecedens, & ad probationem dico; quod anima rationalis licet in statu conjunctionis cum corpore non producat actum spiritualem secundū suam substantiam præcisè, sicut producit anima separata à corpore, quæ non operatur dependenter à sensibus; producit tamen illum secundum suā substantiam uestitam (ut sic dicam) prædicto modo, itàvt non solum influit in modum, sed etiam in substantiam, & spiritualitatem actus; & consequentèr non est principium solum modi motus, sed etiam substantiæ ipsius.

24 Secunda conclusio, Ars non potest efficere opera naturæ. Et probatur nam uel illa efficeret principaliter; & hoc non: quia opera naturæ non cōtinētur in virtute artis, sed in virtute naturæ: omnis autem causa principalis continere debet in uirtute effectum, quem producere potest. Vel instrumentaliter; & hoc neque, quia si semel ars attingeret instrumentaliter productionem rerum naturalium, id esset, quia natura uteretur ea ut virtute instrumentaria, eo sanè modo, quo

quò utitur calore ad productionem ignis: at natura non utitur, nisi uirtutibus instrumētariis naturalibus ad suos effectus, quia instrumentum debet esse ejusdem ordinis cum causa principali: ergo nullo modo.

25. Tertia conclusio, Ars applicando actiua passiuis, aliquo modo concurrit ad opera naturæ: illi tamen effectus non fiunt ab arte, sed à naturalibus uirtutibus, quæ applicantur. Assertio hæc probatur experientia artis medicinæ, per quam ita benè solent uirtutes naturales lapidum, herbarum, & aliorum humanis corporibus applicari, ut mediis his sanitatem consequantur. Et hac ratione Dæmones, qui occultissimas uirtutes rerum naturaliū perfectissimè cognoscunt, eas debitè materiæ applicando, miros effectus nobis exhibent, sicut fecerunt Magi Pharaonis *Exod. 7.* qui opera Demonum Semina quędam, uel aliqua putrefactiua, uirgis illis, de quibus ibi est sermo, occultè applicantium, exhibuerunt ueros Serpentes, ut docent Augustinus, & alii Patres.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De causis in communi.

1. IN hac, & sequentibus disputationibus agemus de causis entis naturalis tum in communi, tum in particulari, prius tamen in communi, ut methodum doctrinę obseruemus; postea verò in particulari. Causa autem multipliciter sumi potest: *Primò* nimis amplè, prout est idem ac principium; qua acceptione Arist. 2. met. c. 2. tex. 11. priuationem causam appellauit. *Secundò* nimis strictè, prout solùm comprehendit id, quòd uerè efficiendo causat: secundū quam considerationem sola causa efficiens habet rationem causæ. Et *tertiò* medio modo, prout comprehendit quatuor vulgata genera causarum. Et de causa in hac tertia acceptione loquimur in præsenti. Definiturque: *principium influens esse in aliud*, ly *principium* ponitur loco generis, in quo causa conuenit cum priuatione, termino *à quo*, & aliis similibus principiis: à quibus secernitur per particulā *influens esse*; priuatio enim, terminus *à quo*, & similia principia non positiuè influunt esse in effectum; benè tamen causa, quælibet in suo genere. Et per particulam *in aliud*, distinguitur à principio actiuo, quod influit in rem, non ei communicando distinctum numero esse, seù naturam. Vndè Pater Æternus licet actiuè influat in Filium, & Pater, & Filius, in Spiritum Sanctū, tamen nec Pater Æternus habet rationem causæ respectu filii, nec uterque respectu Spiritus Sancti, quia idem numero esse, & eadem numero natura, & essentia, quæ est in Patre, est etiam in Filio, & in Spiritu Sancto.

2. Tantū quatuor sunt genera causarum, nempè materialis, formalis, efficientis, & finalis. Ratio est: quia tantum istæ quatuor causæ influunt in ens naturale: materia recipiendo, & substentando formam: forma actuando, & informando materiam: efficiens educendo formam è sinu materiæ, vel (si de rationali sit sermo) eam à Deo creatam uniendo materię, & producendo totum: & finalis mouendo efficiens ad talem operationē, nemo enim operatur, nisi tendens in finem. Cum ergo nullum aliud genus causæ, quod concurrat ad compositum substantiale, assignari possit; quatuor tantum prædicta erunt genera causarum.

3. Quodlibet ex his generibus subdivi-

diuiditur in uarias species. In primis enim causa materialis subdiuiditur in *subiectiuam*, & *dispositiuam*. Causa materialis *subiectiua* in *materiam primam*, de qua supra egimus, & *materiam secundam*, quæ est totum compositum prout substernitur accidentibus: Causa uerò materialis *dispositiua* dicuntur accidentia, quibus materia prima preparatur ad formam recipiẽdam. ¶ Causa formalis in *intrinsecam*, quæ scilicet intrinsecè afficit, informat, & actuat materiam, totumque constituit; & *extrinsecam*, quæ extrinsecè solum specificat rem, ut idea artificis, uel exemplar domum, obiectum potentiam, aut habitum. ¶ Efficiens in *primam*, quæ est Deus, & *secundam*, sub qua comprænduntur omnes causę effectiuę create: item in *principalem*, & *instrumentalem*. ¶ Finalis denique in finem *ultimum*, & finem *proximum*: in finem *cuius gratia*, & finem *cui*: de quibus omnibus suo ordine dicemus.

4. Quæres primò, An causa sit prior suo effectu? Causa dupliciter accipi potest, uel materialiter pro ipsa re, quæ est causa; & hoc modo aliquæ causę possunt prioritate temporis antecedere effectus, uel formaliter prout est actu causans: & sic sumpta dico, quod non est prior suo effectu prioritate *in quo*, sed *à quo*. Pro cuius intelligentia noto, duplicem esse prioritatem: aliam *in quo*; aliam *à quo*. Illud dicitur prius prioritate *in quo*, quod in illo priori, in quo præsupponitur ad illud, verè est sine illo: & ad hanc prioritatem reducitur prioritas *in quo* secundum rationem: quando nimirum aliqua duo sunt in eodem instanti reali; attamen in illo instanti distinguimus plura instantia rationis, in quorũ primo intelligitur existere unum non existente alio. Prioritas uerò *à quo* est, quando unum ab alio procedit, uel causatur.

5. Hoc supposito, probo conclusionem quoad primam partem sic (quo enim ad secundam partem patet, quia omnis effectus procedit à causa, & causatur ab illa) causa est actu causans per hoc, quod actualiter influit: non potest autem actualiter influere, nisi etiam in eo instanti sit effectus, in quem influat: ergo in nullo instanti *in quo* potest intelligi, & esse causa actu causans sine suo effectu; ac proindè nec esse prior illo prioritate *in quo* reali, uel rationis.

6. Quæres secundò, an causa sit perfectior suo effectu? Respondeo cũ distinctione. *In modo causandi omnis causa est perfectior suo effectu; in esse uerò entis aliquæ causæ sunt perfectiores, aliæ æque perfectæ, & aliæ imperfectiores*. Prima pars patet ex dictis; quia effectus dependet à qualibet causa: sed id, à quo aliquid dependet, habet modum perfectiorem, quam id, quod ab illo dependet: ergo omnis causa quoad modum est perfectior suo effectu. ¶ Secunda verò pars probatur; quia materia, vtpotè ens in potentia, est imperfectior forma, & toto composito: & dispositiones, quæ ad formam, ut uia ad terminum, & ut imperfectum ad perfectum ordinantur, sunt imperfectiores ipsa forma. Forma verò si comparetur ad materiam, est perfectior illa, imperfectior tamen composito, quod constituit, quia omne constitũtum est perfectius quolibet constituente. Causa autem efficiens si sit principalis, debet esse perfectior, uel saltem æque perfecta cum effectu quia illum propria uirtute attingit, & nemo dat, quod non habet. Si uerò sit instrumẽtalis, est imperfectior effectu ob rationem oppositam, quia

scilicet

scilicet illum propria uirtute non attingit. Causa deniq; finalis interdū est nobilior suo effectu, ut cum quis studet propter Deum: interdū ignobilior, ut cum quis studet propter lucrum: & interdum æqualis perfectionis cum illo, ut cum quis studet præcisè propter ipsam nobilitatem studij. Ergo in esse entis aliquæ causæ sunt perfectiores suo effectu, aliæ æque perfectæ, & aliæ imperfectiores illo.

DISPUTATIO OCTAUA

De causis materiali & formali.

1. QVia causæ materialis & formalis ità inter se connectuntur, ut uix possint, nisi simul explicari, [illegible] de utraque in hac disputatione agemus. Et suppositis iis, quæ de eis in libro præcedenti diximus, breuiter disputationem tribus conclusionibus absoluemus.

2 Prima conclusio. Materia & forma per suasmet entitates, & non per aliquid ipsis superadditum, habent uirtutem causandi. Probatur quia materia causat recipiendo formam; & forma causat actuando, & informando materiam: sed ut materia possit recipere formam, nihil aliud in ea requiritur, quam potentialitas, & capacitas ad talem formam, quæ utiq; potentialitas ab ipsa materia nullatenus realiter distinguitur: & ut forma causet actuando, & informando materiam nihil aliud requiritur, quam quòd sit actus; & ipsa forma substantialis per suammet entitatem est actus: ergo materia & forma substantialis per suasmet entitates; & non per aliquid ipsis superadditum, sunt causæ in actu primo, & habent uirtutem causandi.

3. Confirmatur si materia & forma non per suas entitates, sed per aliquid ipsis superadditum fierent potentes ad causandum, uel illud superadditum esset substantia, uel accidens: non substantia, cum hæc sit tantum triplex, materia scilicet, forma, & compositum, nulla verò ex istis esse posset, ut est evidens: nec etiam accidens, alias ex materia & forma affectis hujusmodi accidēte non eret unum per se, sed per accidens, ut potè coalescens ex rebus diversorum prædicamentorum: ergo illud superadditum est omnino fictitium.

4. Secunda conclusio. Causalitas materiæ est unio ipsius cum forma: & causalitas formæ est unio ipsius cum materia. Prima pars probatur; Causalitas cujuslibet causæ est influxus ille, quo in proprio genere causandi causa actualiter influit in effectum: atqui materia per hoc solum influit in formam & compositum, quòd uniatur formæ: ergo causalitas materiæ nihil aliud est, quā unio ipsius cum forma. Probatur minor; Materia non aliter causat formam, quam recipiendo illam; nec aliter influit in totum, quam communicando seipsam illi per modum partis materialis: atqui id totum præstat per unionem cum forma; per hoc n. quòd materia uniatur formę, recipit in se formam, & constituit cōpositum per modum partis materialis: ergo. 5 Eodem modo probatur secunda pars conclusionis; quia illa est causalitas formæ, per quam forma communicat se materiæ, & constituit compositum per modum partis formalis: atqui præcisè per hoc, quòd forma uniatur materiæ, communicat se illi, & constituit

com-

compositum per modum partis formalis: ergo prædicta vnio est causalitas formæ. Vtrum autem ista vnio sit quid distinctum à materia, & forma; & an sit vna vel duplex? diximus lib. præc. disp. 5. dub. 2.

5. Tertia conclusio, Effectus materiæ est ipsa forma, vt recepta in materia, & ipsum compositum: effectus verò formæ est ipsa materia ut actuata forma, & ipsum compositū. Prob., quia illud est effectus cujuslibet causæ, quod resultat ex illius causalitate: sed ex causalitate materie resultat forma recepta in materia, & ipsum compositum: ergo totum hoc est adæquatus effectus materię. Rursus ex causalitate forme resultat ipsa materia actuata, & informata per formam, & ipsum compositum: ergo totum hoc est adequatus effectus formæ.

6. Hinc habes, materiam dici causam intrinsecam respectu totius, non autem respectu formæ, similiter formam esse causam intrinsecā respectu compositi; non autem respectu materiæ. Ratio est: quia una non ingreditur constitutionem alterius: & ambæ constituunt totum.

7. Dices: compositum non attingitur totum à qualibet ex his causis seorsim sumpta; ergo absolutè, & simpliciter non potest dici effectus materiæ vel effectus formæ. ¶ Resp. negando consequentiā quia ad hoc ut aliquis effectus alicui causæ absolutè, & simpliciter tribuatur, non est necesse, ut hæc totum illum attingat; homo n. dicitur producere hominē, & tamen nō efficit neque materiam, neque formam, cùm harum quælibet à solo Deo producta fuerit, sed solā unionem: ergo licet neque materia, neque forma causet totum compositum substantiale; nihilominus hoc absolute, & simpliciter dicitur effectus cujuslibet illarum, quia quælibet illud componit, & causat in suo genere causæ.

DISPUTATIO NONA
De causa exemplari.

1. Exemplar seu idea (idem n. in præsenti significant) est *forma quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinatis sibi finem*. Ita definitur à D. August. lib. 19. de civit. Dei cap. 25. & D. Th. de verit. quæst. 3. art. 3. Quam definitionem ut explicemus, sciendum est, triplex esse genus formarum; alia est forma *ex qua*, alia *a qua*, & alia *ad quam*. Forma *ex qua* illa est, quæ intrinsecè totum componit, & ex qua compositum constituitur. Forma verò *à qua* est illa, à qua effectus ut ab agendi principio egreditur. Et forma *ad quā* illa dicitur, ad cujus similitudinem, & imitationem effectus producitur. In præsenti definitione particula illa *forma*, tenet locum generis, & accipitur pro forma abstrahente ab his tribus generibus formarum. Jlla verò dictio, *quam aliquis imitatur*, ponitur loco differentiæ, per quam significatur, ideam esse formam, non *ex qua*, neque *à qua*, sed *ad quam*, ad cujus scilicet similitudinem formatur effectus. Sequitur *ex intentione agentis*, quæ particula etiam ad ejus differentiam spectat; per hanc enim excluduntur formæ, quas effectus casu exprimunt. Unde si aliquis non attendendo ad Petrum v. g. depingeret imaginem aliquā valde illi similem, non ideo Petrus diceretur exemplar illius imaginis. Additur tandem etiam loco differentiæ ly *determinantis sibi finem*, per quam particulam

ticulam excluduntur à ratione ideæ formæ agentium naturaliũ non operantium liberè,sed ex necessitate naturæ, ut cum homo generat hominem, & Leo Leonem; hujusmodi enim generantia veram, & realem formam, quam producunt,intendũt, & verè illam assimilant formæ existenti in ipsis: quia tamen à natura determinatus est Leo ad producendũ formam Leonis, & non aliam, ideo non indiget idea, quæ tantum ponitur ad hoc, ut determinetur, & dirigatur agens ex se indeterminatum, & indifferens.

2. *Dices*:exemplar externum,quod pictor v.g.sibi imitandum proponit, est forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem: & tamen non est idea: hæc n. ut docet S. Th. 1. part. q. 15. debet esse intra mentem artificis: ergo definitio tradita convenit aliis à definito, & consequenter non est bona. ¶Resp.negando antecedens; exẽplar enim externum, v. g. effigies Mercurii ab Apelle confecta, quam alius pictor imitari intendit, non dirigit immediatè artificium, sed solum deservit pictori ad formandum in mẽte propriam ideam, à qua immediatè postea tale artificium à se faciendum, dirigatur.

3. Quæres primò; Cuinam ratio ideæ conveniat? P. Suarez disp 25. met. sect. 1. putat convenire conceptui formali, seu cognitioni obiecti. Cujus fundamentum est:quia munus ideæ, seu interni exemplaris est,dirigere operationem agentis Hoc autẽ munus est cognitionis: cognitio n. rei faciendæ est veluti quoddam lumen, quod præit, ostendens viam, & modum,ac terminum operationis.

4. Sed hæc opinio non placet,quia idea est aliquid intellectum, quod imitandum accipitur: est n. id, ad quod artifex intendens operatur: atqui conceptus formalis non est id, quod attendit artifex ut imitandum, sed id, quo cognoscitur illud, quod imitandum est: ergo conceptus formalis non est idea.

5. Ad Fundamentũ Patris Suarez respondeo,ideam dirigere actionem agentis,quatenus est regula, & mensura,ad cujus similitudinem ideatum fieri debet: hoc autem non competit cognitioni, sed ei, quod imitandum accipitur ab artifice.

6. Durandus verò in 1. dist. 36. quæst.3. num.13.& 14. dicit, ideam esse idem opus, quod faciendum est ad extra, ut prius concipitur ad intra. Eandem sententiam tenet Scotus in 1. dist. 25. q. unic. ubi asserit, easdem creaturas quatenus præconceptas à Deo, esse sui ideas, ad hoc ut efficiantur ad extra.

7. Neque ista opinio placet: quia idea est, cui assimilatur opus; quam imitatur opus, quæ est causa operis: at non dicitur idem simile sibi ipsi, imitari seipsum, causari à seipso: ergo non potest idem opus esse idea sui ipsius,sed debet esse aliquod aliud distinctum obiectum. Unde falsum est quod dicit Scotus, nempe ideas creaturarũ in Deo esse ipsasmet creaturas obiectivè existẽtes in ejus mẽte, quia cum exemplar sit vera & realis causa rei faciendę, si ideæ creaturarum in Deo essent ipsæ creaturę in esse obiectivo; Deus non posset creaturam causare, nisi concausaret ipsa creatura, quod est absurdum.

8. Tertia & vera sententia docet, verbum mentis ab artifice expressũ, esse id, cui convenit ratio ideę: ita D.Th. 1. cont. gent. cap.54. & in 1.

dist. 27. quest. 2. art. 3. ad 4. & 1. p. q. 15. art. 2. ad 2. quem sequuntur Capreolus in 1. dist. 36. quest. 1. Gonzalez 1 part. disp. 47. Ioannes à S. Th. 1. part. q. 15. disp. 1. art. 1. Serra 1. part. q. 15. Gonetus ibidem disp. 6. Manca in presenti q. 10. dub. 2. Maillhat disp. 7 sect. 2. Martinez tom. 1. met. 2. part. contr. 15. art. 1. §. 3. & omnes ejus discipuli. Probatur primò experientia, videmus enim, quòd artifices semper interius proponunt sibi certum quoddam exemplar, & illud diligenter contemplantur, ut opus ad similitudinem, & imitationē ejus efficiant. Deinde ratione: quia hoc exemplar interius, seu verbum mentis ab artifice expressum, habet omnia, quæ ad ideam desiderantur: est n. intra mentem artificis, id quod artifex imitatur, & quid distinctum ab ipso opere faciendo: ergo ei convenit ratio ideæ.

9. Dices: verbum mentis est quid Spirituale & immateriale, opus verò est quid materiale, & corporeū: ergo opus non est simile verbo expresso. Respondeo, quòd opus non debet esse simile ideæ in esse entitativo, sed in esse repræsentativo; sicut sigillum sigillatum non imitatur in eo, quod est entitativè, sed in eo, quod est figurabile.

10. Quæres secundò Ad quod genus causæ pertineat idea? P. Suarez disp. cit. sect. 2. dicit pertinere ad genus causæ efficientis, quia dirigit artificem ad opus faciendum. Sed cōtra: quia causa efficiens est, à qua incipit motus: atqui motus non incipit ab idea: ergo idea non potest pertinere ad genus causæ efficientis. Probatur minor: idea concurrit solùm ut obiectum cognitum, ad cujus imitationē agens aliquid operatur: ergo operatio non procedit seu incipit ab idea, sed ab operante, quia hoc est quod facit opus simile ideæ. Contra autem id, quod adducit P. Suarez habeo manifestam instantiam; nam precepta logicæ dirigunt alias scientias in ordine ad conficiendas proprias demonstrationes, & tamen actus illi scientifici non efficiuntur à logica, sed à propriis scientiis, quarū sunt actus: ergo similiter, &c.

11. Dico igitur, peculiarem, & propriam causalitatem ideæ esse formalem extrinsecam. Ita Aristoteles, qui numerando causas, simul cum formali exemplarem nominavit. Probatur autem ratione: quia idea est exemplar, & mensura ideati, & perfectio operis desumitur ex conformitate ad suum exemplar: ergo idea format ideatum: non format intrinsecè, cum illud non componat: ergo extrinsecè.

12. Dices: Forma est intrinseca rei, cujus est forma: atqui idea non est intrinseca ideato; ergo idea nō est forma ideati. Respondeo, negando majorem: dare enim esse intrinsecè non est proprium formę intrinsecæ, quia forma est, sed quia est intrinseca: & ideo non mirum, quod idea simpliciter sit forma, licèt non det esse intrinsecè, sed extrinsecè.

DISPUTATIO DECIMA.

De causa efficiente in communi.

Causa efficiens definitur ab Arist. in presenti cap. 3. quod sit *id, à quo primo incipit motus:* quam definitionem omnes amplectuntur. Ut autem percipiatur, sciendum est, dupliciter intelligi posse, aliquid esse id, unde primo incipit motus. Primò ordine intentionis, & sic est causa finalis;

nalis; nam ideo agens agit, quia intendit finem, & movetur à fine. Secundò ordine executionis, & ita motus incipit ab efficiente; nam licet quęvis causa sit in suo genere id, unde primo est motus, quia nec materia aliam materiam, nec forma aliã formam pręsupponit; si tamen fiat collatio inter ipsas causas, & earundẽ causalitates, tunc causa efficiens est id, à quo absolutè incipit primo motus. Nam cum materia non possit seipsam movere ad formam, quia nullius est activitatis; nec rursus forma possit seipsam efficere, quia nullum est causa sui ipsius; oportet ut adveniat efficiens, quod materiã moveat ad formam, & formam de potentia materię educat, sicq; resultet totum compositum, quod primo à natura intendebatur. Ex his facilè constat, quam legitima sit prædicta definitio: explicat enim id, in quo potissimè causa efficiens ab aliis distinguitur.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De causa prima efficiente.

SUpponimus nunc esse DEUM, quod in ultimo horum librorum demonstrabimus. Item supponimus, DEUM non habere causam, quia necesse est, sistere in aliquo ente non facto, cum non possit in infinitum procedi. Et solùm dicemus de efficientia hujus primi entis, & de depẽdentia aliorum entium ab ipso: quę triplex esse, aut considerari potest, scilicet in fieri, in conservari, & in operari: & de his tribus dicemus in hac, & sequenti disputatione. Quia vero fieri rerum vel est creatio, vel eductio, & de eductione jam egimus alibi; ideo hic solùm agimus de creatione, & conservatione.

§. I.

De creatione.

1. CReatio definitur à S. Th. 1. p. q. 45. art. 1. *productio rei ex nihilo.* Illa autem particula *ex nihilo* ut distinguat hanc actionem ab aliis, excludit omnem concursum causę materialis, & dependentiam rei, quę creatur ab aliquo subiecto; ita ut idẽ sit dictum *ex nihilo*, quod *ex nullo subiecto*. Atque ita distinguitur hęc actio ab alia, quę est per eductionem de potentia subiecti. Hę namq; duę actiones adęquatè dividunt omnem efficientiam. Et ideo sicut per illam particulam sufficienter distinguitur creatio ab eductione, ita sufficientèr etiam per illam explicatur ratio creationis.

DUBIUM PRIMUM.

An creatio sit possibilis? & num omnia entia sint producta à DEO per creationem? Et quid re ipsa sit creatio?

2. DIco primò, Creationem esse possibilem. Hęc assertio prob. primò ex Sacra Scriptura, in qua non obscurè indicatur, res, antequã crearentur, nihil omnino esset, ex quo fierent. Ut Isaiæ 41. *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est.* Et 2. Mach 7. *Peto nate, ut aspicias ad Cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, ut intelligas, quia ex nihilo fecit illa DEUS.* Deindè ratione: Ut creatio sit possibilis duo necessaria sunt, & sufficiunt: unũ ut in se non repugnet, aliud, ut per aliquam potentiã sit possibilis: nulla autem ostendi potest repugnantia in eo, quod aliquid ex nihilo fiat, nam

 illa

illa particula *ex* non dicit ibi habitudinem materialis causæ, sed termini *à quo*; sic autem nulla est repugnantia, ut id, quod ex se nihil erat, incipiat esse aliquid per effectionem alterius. Quoties verò nõ repugnat hujusmodi effectio, neque repugnabit potentia ad agendum hoc modo: ergo cum talis potentia de facto sit in primo ente; creatio erit possibilis.

3. Quod autem talis potentia de facto sit in primo ente, probatur dupliciter; primò quia in primo ente est formaliter omnis perfectio simpliciter simplex: sed hæc potentia ex proprio obiectivo cõceptu dicit perfectionem simpliciter simplicẽ, quia melius est habere illam, quàm non illam: ergo talis potentia necessariò tribuenda est primo enti. Secundò quia talis potentia necessariò includitur in Omnipotentia, quia Omnipotentia se extendit ad omne possibile, idest, ad omne ex se non repugnans: sed de ratione primi entis est, ut habeat Omnipotentiam: ergo & quod habeat hanc potentiam.

4. Dices: Quod fit ex nihilo, fit per se primò secundũ rationẽ entis: sed repugnat ens in quantũ ens fieri: ergo creatio nõ est possibilis. Major patet. Minor verò probatur; si ens in quantum ens esset factibile, omne ens esset factibile; atqui hoc est planè falsum, nam necesse est dari aliquod ens, quod fieri non possit; alias procederetur in infinitum in producentibus, & productis: quod est impossibile: ergo ens in quantum ens fieri repugnat. Prob. major; quod convenit alicui rationi per se primò, & secundũ quod ipsa, cõvenit omni ei, in quo talis ratio invenitur: atqui rationi entis formalissimè ut tali cõvenit per se primò esse terminũ productionis ex nihilo: ergo omne, in quo reperitur ratio entis, esset factibile.

5. Respondeo brevitèr, quod adducta propositio, *per creationem fit ens in quantum ens*, duplicem sensũ habere potest: unus est, si illud *in quantum* reduplicet rationem abstractissimam entis, & communẽ DEO, & creaturis. Et hic sensus est falsus, nec sequitur ex definitione creationis, ut patet: Alius est, si reduplicet tantum rationem entis creabilis, seu factibilis, & hic est verus sensus, & satis ad rationem creationis, quia reduplicando solum hanc rationem, verificatur quod res fiat ex nihilo. Et sic patet responsio ad argumentum.

6 Dico secundò, Res omnes produci à Deo per creationem. Hęc cõclusio dupliciter intelligi potest: uno modo ita, ut nulla res sit, quam secundum se totam Deus non creet: altero modo ita, ut nulla res sit, quã vel secundum se totam, ut sunt res incorruptibiles, vel secundũ aliquid sui, puta secundum materiam primã, Deus non producat ex nihilo. Priori modo intellecta, est falsa; quia plures res non sunt productæ, nec producuntur à Deo per creationem: de ipso n. homine legimus gens 2. quòd *formavit Deus illum de limo terrę*; & quotidiè una cũ causis secũdis producit res ex subiecto. Et in eo sẽsu non asseritur à nobis, sed in posteriori; quę expresse habetur in Sacra Scriptura; Eccl. 24. *& dixit mihi creator omniũ.* 2 Machab. 1. *Deus omniũ creator.* Ad Ephes. 2. *Qui omnia creavit.* Apoc. 4. *Tu creasti omnia.* Ratio autẽ est: quia si Deus egeret aliquo præsupposito ad producẽdũ, quòd ipse etiã nõ produceret, esset aliquid non productum ab ipso, id scilicet presuppositum; Quod nullo modo est dicendum.

7. Di-

7. Dico tertiò, creatio activè sumpta est actio immanens divini intellectus, & voluntatis. Ita D. Th. 1. p. q. 45 art. 3. & patet ex illo Psal. 32. *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt*. Idest, sola Dei voluntate, & imperio omnia esse facta. Probatur ratione: quia creatio activè sumpta non potest esse actio transiens formaliter: ergo est actio formaliter immanens (inter enim hæc duo membra nullum est medium) Actiones autē Dei immanentes, sunt actus ejus intellectus, & voluntatis: ergo creatio activè sumpta, est actio immanens divini intellectus, & voluntatis. Prob. antecedens, in quo solum est difficultas. Actio transiens formaliter, est accidens: atqui creatio active sumpta non potest esse accidens (Accidens n. requirit subiectū, in quo subiectatur, creatio verò non est circa subiectum, ut ex ejus definitione cōstat) ergo actio creativa non potest esse formaliter transiens.

8. Contra hanc conclusionem sentiunt Hurtadus disp. 12. §. 21. Arriaga disp. 9. sect. 4. num. 40. Comptonus disp. 41. sect. 4. & alii plures, qui sic arguunt. Actus divini intellectus, & voluntatis sunt ab æterno (si n. actus istos Deus haberet in tempore, mutaretur) creatio verò rerum est in tempore: ergo creatio non est actio immanens divini intellectus, & voluntatis. Probatur minor, si creatio fuisset ab æterno, terminus creationis debuisset esse ab æterno; sicut enim implicat, cognitionem Dei esse ab æterno, & obiectum non esse cognitum ab æterno, vel unionem esse ab æterno, & non extrema unita ab æterno, ita implicat, creationem esse ab æterno, quin res creatæ fuerint ab æterno; nō n. minus creatio est actualis tendētia in terminū, quā cognitio in obiectum, vel unio in extrema: sed res sunt in tempore: ergo, &c.

9. Resp. negando minorem; & ad probationem dico, non esse mirum, quòd Dei volitio causativa rerū fuerit ab æterno, & effectus sit in tempore, quia effectus debet sequi ex causa, non aliter nisi ut causa est efficiens illum. Deus autem ab æterno non quomodocumque voluit, atque adeò per actionem intellectus, & voluntatis suæ egit, ut res existerent, sed ut existerent in tempore. Undè sicut actio Dei, non obstante quòd sit immanens, potest attingere effectum ad extra, quia est infinitæ perfectionis; ita ob eandē rationē potest illū attingere eo tēpore, quo Deo illā elicienti placuerit. Nec obstat quòd causa efficiens debeat existere eo tēpore, quo causat; quia voluntas, & volitio æterna Dei semper est, & ita optimè potest esse causa novi effectus in tēpore.

10. Dico quartò, Creatio verò passivè accepta, est ipsa creatura ut dicēs ordinem dependentię ad Creatorem. An autem iste ordo sit trascendentalis, an verò prædicamentalis, realiter à Creatura distinctus? Est diversitas opinionum. Nam aliqui volunt, esse veram relationem de prædicamento *ad aliquid* re ipsa distinctam à Creatura. Alii verò dicunt, esse solum relationem transcendentalem, quę nihil aliud sit, quam ipsa Creatura, ut pendens à Deo, tanquam à causa. Et hæc opinio mihi videtur probabilior, quia si esset relatio prædicamentalis à re distincta, posset de potentia absoluta à Creatura separari: at non potest; semper enim Creatura pendet à Deo, & in ipsū ordinatur. Cōfirmatur quia alias daretur processus in infinitū; cū enim illa ipsa relatio

tio debeat esse Creatura à Deo depẽdens, similiter ipsa fundaret aliam relationem ad Deum, & sic in infinitũ.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrum virtus Creativa ità sit propria Dei, ut Creaturæ communicari non possit?

11. IN hoc dubio ut certum supponimus, de facto nullam creaturam aliquid creasse, solum enim Deum omniũ creatorem Fides agnoscit, ut habetur in sacris litteris, ad Hebr. 3. *qui autem creavit omnia, Deus est.*, Apoc.4. *Tu creasti omnia.* Et definitum est in cap. *firmiter* de sum. Trinit., & Fide Catholica. Ex quo colligimus, nullam creaturam de facto habere potestatem creandi, quia non est verisimile dedisse Deum alicui creaturæ hanc potestatem, & non permittere illi usum ejus. Tota difficultas est: an eam virtutem creaturæ Deus communicare possit.

12. Pro cujus decisione noto, quòd virtus ad creandũ duobus modis intelligi potest, uno ut sit adæquata obiecto creabili. Et de hac evidentissimum est, non posse communicari creaturæ, quia cum habeat obiectum infinitè perfectum syncategorematicè, est simpliciter infinita: virtus autem simpliciter infinita creaturæ repugnat, ut de se patet. Assumptum probatur, quia in illa latitudine obiecti nullum potest assignari tantæ perfectionis, quin aliud majoris perfectionis creari possit, & ita in infinitum: ergo in potentia, quæ sua virtute cõtinet illud obiectũ, requiritur virtus, & perfectio simpliciter infinita: finita enim sufficere nõ potest, alias posset æquari, imò superari ab aliqua parte sui obiecti. Neque satis erit, quòd sit infinita secundum quid, seu in aliquo ordine entium; nam latitudo obiecti nõ clauditur sub aliquo genere, vel ordine rerum, sed absolutè complectitur totam latitudinem entis creabilis. Ergo potentia, quæ totũ illud in sua virtute continet, non potest esse secundũ quid infinita, sed simpliciter, & in tota latitudine entis.

13. Alio modo intelligi potest potentia creandi, ut limitata ad certum numerum rerum creandarum, ut ad creandum hunc, vel illum Angelum, hoc vel illud corpus, vel quid simile. Et de hac procedit præsens dubium, an eam Deus alicui creaturæ communicare possit.

14. Aliqui recentiores affirmant, quorum ratio potissima est; quia ad creandũ hoc ens finitum, puta hunc Angelum, vel hunc lapidem, non est necessaria virtus infinita, sed virtus finita sufficit: atqui virtus finita potest communicari Creaturæ: ergo creaturę potest communicari virtus ad creandũ hoc modo sumpta. Majorem probant: tanta virtus necessaria est in causa, quantam perfectionem producit in effectu: sed in hoc ente finito per creationẽ producto, nõ est perfectio infinita: ergo ad creãdũ hoc ens non est necessaria virtus infinita.

15. Nihilominus contraria sententia tenenda est, quam docent Magister sententiarum in 4. dist. 5. D.Th. 1. p. q.45. art. 5. Scotus in 4 dist. 1. q.1. & Scholastici omnes. Et omissis rationibus, quæ per media valdè extrinseca procedunt, D. Thomas ex proprio obiecto, & modo creationis duas affert, quæ in universum probant, omnem creationem cuilibet Creaturæ repugnare. Priorem habet art. cit. in corpore. Quę sic formari potest: Effectus, seu terminus creationis est proprius causæ universalissi-

falissime, ita ut non possit alteri convenire: ergo, & creatio, & potentia creandi est ita propria primæ causæ, ut non possit alteri communicari. Consequentia est clara, quia illius tantum potest esse actio, & potentia, cujus potest esse effectus. Antecedēs autem prob., quia ens, ut ens est proprius effectus universalissimæ causę: sed proprius effectus, seu terminus creationis est ens, ut ens; quia per creationem (ut diximus) producitur ens in quantum ens: ergo proprius terminus creationis, solius primæ causæ potest esse effectus. Prob. major effectus universaliores in universaliores causas revocādi sunt: ergo, & universalissimus effectus in universalissimam causam: sed ens, ut ens est universalissimus effectus: ergo ens ut ens est proprius effectus universalissimæ causę.

16. Dices: ex hac ratione solum concluditur, non esse communicabilem Creaturę potentiam creandi, quę habeat pro obiecto adæquato ens creabile in tota latitudine entis participabilis; non verò potentiā creandi limitatam, ac determinatam ad aliquod unum particulare ens: quia talis potentia etiam si sit ad creandum non habebit pro obiecto universalissimum effectum, sed determinatum, & particularem, nempè hoc ens.

17. Sed contra. Non potest dari potentia creandi, quę ex se non respiciat ut adęquatum obiectum ens secūdum totalē latitudinē entis participabilis (hujusmodi enim ens intelligendum est, quoties in hac materia dicitur ens in quantum ens:) ergo si hęc potentia creandi Creaturę communicari non potest, repugnat ut ei communicetur aliqua potentia creandi. Probo antecedens; Per omnem creationem fit per se primò ens, non solum in quantum est tale ens, sed in quantum est ens: ergo omnis potentia, à qua est talis actio, respicit ut formale, & adęquatum obiectum ipsum ens, non solum in quantum est tale ens, sed absolutè inquantum est ens; ergo talis potentia necessariò debet esse universalis, & complectens omne ens participabile. Hęc secunda consequentia est clara; quia omnis potentia complectitur omnia, quę sub suo obiecto adęquato, & formali comprehenduntur. Prior sequitur ex antecedente. Antecedens verò probatur; quia effectus dicitur fieri per se primò secundū eam rationem, quę non pręcessit ex parte effectus: unde cum ignis generatur ex aere, non fit per se corpus, neque elementum, fit autem per se ignis. Sed nulla ratio entis supponitur ad creationem, cum sit ex nihilo: ergo in omni creatione fit per se ens, non solum, ut tale, sed simpliciter ut ens.

18. Dices secundò, Si discursus iste est efficax, sequitur, Deum posse creare seipsum: quia quando creatur aliquod ens, non tantum in illo fit per se ratio entis creabilis, sed etiam ratio entis abstractissimi, quia nulla ratio entis pręsupponitur ex parte effectus. ¶ Resp. negando sequelam, nam potentia creandi non attingit abstractissimam rationem entis, sed tantum rationem entis creabilis, quia hæc sola est factibilis; abstractissima autem ratio entis, nec est factibilis, nec in Creatura reperitur, nisi analogicè.

19. Posteriorem verò rationem S. Doctor habet in solutione ad 2. quam sic propono. Potentia creandi debet esse infinita: sed potentia infinita

nita repugnat quòd communicetur creaturæ, quia inter recipiens, & receptum debet dari proportio & nulla creatura est possibilis infinita: ergo potentia creativa creaturæ communicari non potest. Probatur major virtus potentiæ non tantùm attenditur ex re facta, sed etiam ex modo producendi: sed modus producendi ex nihilo indicat infinitam vim in agendo: nam ad producendum aliquid ex potentia remota, requiritur magna virtus, & ex remotiori major: ergo ad producendum ex nulla potentia, seu ex nihilo, requiritur virtus infinita.

20. Hæc ratio fundata est in maxima improportione, quæ est inter ens & nihil. Nam ad agendum ex potentia magis elongata ab actu, requiritur major virtus: ergo qua proportione effectus fiet ex remotiori potẽtia, eadem requiretur major virtus: ergo ubi elongatio actus à potentia est infinita, ibi requiretur, virtus infinita: sed nihil infinitè elongatur ab actu: ergo ad producendum aliquid ex nihilo requiritur virtus infinita.

21. Confirmatur, quia si ad producendum aliquid ex nihilo sufficeret virtus finita, sequeretur æqualem virtutem requiri ad producendũ aliquid ex aliqua materia, & ex nihilo: quod absurdum est. Sequela probatur: supponamus quòd virtus creatrix finita, sit ut quatuor: & virtus producens ex materia remota sit ut duo: virtus necessaria ad producendum ex materia duplo remotiori, erit ut quatuor: ergo erit tanta, quanta est virtus ad creandum.

22. Dices: si quis argueret hoc pacto: Ad videndum obiectum intelligibile mixtum ex actu, & potentia, requiritur lumen intellectuale alicujus perfectionis, & quò plus tale obiectum habet de actu, & minus de potentia, eo perfectius requiritur lumen ad videndum illud: ergo si obiectum est purus actus, nullam habens potentiam, requiritur infinitum lumen. Negant communiter Theologi consequentiam, dicentes sufficere lumen superioris ordinis ad attingendum actum purum. Ergo similiter in argumento adducto: reducere aliquid de potentia in actum, requirit aliquam virtutem: & quò illa potentia magis est elongata ab actu, eo major virtus requiritur in agente: ergo ubi elongatio à potentia est infinita, ibi requiritur virtus infinita. Negabitur consequentia, solùm n. infertur ex hoc argumento, virtutem creativam esse alterius ordinis, ac est virtus eductiva, non autem quòd sit infinita.

23. Respondeo negando paritatẽ, quia proportio solum servatur inter ea, quæ sunt ejusdem ordinis. Unde Theologi ex graduatione inferunt, & bene, solum Deum posse compræhendere attributum suæ omnipotentiæ sic: Ad videndas in Deo aliquas creaturas possibiles requiritur aliquod lumẽ gloriæ: ad videndas plures creaturas possibiles requiritur plus luminis: ergo ad videndas omnes requiritur lumen infinitum: atqui lumen creatum infinitum dari non potest: ergo solus Deus videre potest omnes creaturas possibiles in sua divina essentia, & compræhendere seipsum. Actus autem purus est diversi ordinis, ac sunt obiecta intelligibilia mixta ex actu, & potentia, ideo argumentum ex graduatione desumptum non benè infert consequentiam. Cæterum res omnes producibiles sunt ejusdem ordinis, & sic

ex

ex graduatione illa concluditur intentum.

24. Ex dictis solutum manet fundamentum contrariæ sententiæ, ad quod neganda est major propositio, quia hoc ens non attingitur ut tale ens, sed in quantum ens à creatione. Rursus major, vèl minor efficacia virtutis non debet solùm attendi ex termino, qui fit, sed etiam ex modo, quo fit, qui modus in creatione est infinitus, quia terminus *ad quem* fit independenter à subiecto, & ex termino *a quo* infinitè distante.

25. Quòd autèm hoc ens infinitè distat à nihilo, èvidenter probo sic: Quodlibet ens finitum infinite distat ab ente infinito: (creatura n. est ens finitum, infinite distans à Deo, qui est ens infinitum) sed nihil est infinitum negatiue, quia est negatio entis secūdū totam latitudinem entis factibilis, quæ infinita est: ergo hoc ens, licet sit finitum, infinitè distat à nihilo. ¶ Confirmatur quia Deus, & creatura distant infinite: ergo multo magis ens, & non ens. Ens enim & non ens in nullò conveniunt, Deus verò, & creatura conveniunt analogice in ratione entis: ergo plus distāt ens, & non ens, quam Deus, & creatura: si igitur hæc distant infinite, à fortiori illa distabunt infinite.

DUBIUM TERTIUM

Vtrum creatura assumi possit ut instrumentum ad creandum?

26. Conclusio est negativa, quam docet D. Th. loc. cit. & 2. contra gent. cap. 25. Albertus Magnus in 2. dist. 1. art. 7. Ricardus in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. & fere omnes communiter; licet Magister sententiarum in 4. dist. 5. & pauci alii teneant cōtrarium. Probatur primò, quia instrumentum recipere debet à principali agente virtutem qua elevetur ad effectum ejus attingendum: atqui nulla creatura potest à Deo recipere virtutem ad attigendum effectum creationis: ergo nulla creatura potest assumi à Deo ut instrumentum ad creandū. Probatur minor, virtus creativa, qualiscumque sit, debet esse infinita: cum igitur virtus infinita communicari non possit creaturæ, nulla creatura potest à Deo recipere virtutem ad attingendum effectum creationis.

27. Probatur secundò, quia implicat, quòd creatura possit instrumentaliter producere ens in quantū ens: ergo cum terminus formalis creationis sit ens in quantum ens, implicat quòd creatura elevetur ad hoc, ut sit instrumentum creationis. Probatur ātecedēs: si creatura posset instrumētaliter producere ens in quantū ens, posset instrumentaliter producere seipsam, quia ipsa continetur sub ente ut sic: sicut intellectus seipsum intelligere potest, quia sub ente ut sic, quod est ejus obiectum, continetur: ergo cum implicet, creaturam producere seipsam, etiam implicabit posse producere ēs inquātū ens, quod est terminus formalis creationis.

28. Probatur tertiò, quia creatura sua actione solum agere potest circa subiectum: ergo nulla creatura assumi potest ut instrumentum ad creādum. Probatur consequentia, quod libet instrumentum habet suā actionem, quæ correspondet propriæ virtuti: in creatione autem non datur subiectum, circa quod hæc actio versetur, seu versari possit: ergo creatura assumi non potest ut instrumētum ad creandum.

29. Ob. 1. consecratio Corporis

Christi,& iustificatio impii sunt opera excellentiora opere creationis: sed creatura potest sumi ut instrumentũ ad consecrationem corporis Christi, & iustificationẽ impii, sacerdos enim ut instrumentum,& minister Christi consecrat, & conficit Eucharistiam; & Sacramenta noue legis sunt instrumenta physica nostrę iustificationis: ergo etiam creatura poterit sumi ut instrumentum ad creationem.

30. Respondeo negando consequentiam, quia licet quoad substantiam consecratio Corporis Christi, & iustificatio impii sint opera perfectiora, quàm sit opus creationis; tamen quoad modum fiendi opus creationis est perfectius illis, quia fit ex nullo præsupposito;consecratio verò & iustificatio ex aliquo presupposito.

31. Ob. 2. creatura potest assumi ut instrumentum ad annihilandum: ergo etiam potest assumi ut instrumentum ad creandum. Consequentia patet,quia creatio opponitur annihilationi: & contrariorum eadem est ratio. Antecedẽs verò probatur,in consecratione Corporis Christi annihilatur tota substantia panis, cum nihil illius remaneat:sed ad cõsecrationẽ Sacerdos concurrit,ut minister Christi: ergo creatura potest assumi ut instrumentum ad annihilandum.

32. Respondeo negando antecedens, nam ut docet D. Th. 1. part. q. 104. art. 3. ad 3. annihilatio fit per desitionem ab actione, qua Deus cõseruat res in esse, non autẽ per actionem positivam, cum omnis actio positiva terminetur ad esse: ergo cum de ratione instrumenti sit,quod exerceat actionem circa illud, ad quod instrumentaliter concurrit; non potest dari instrumentum ad annihilandum. Et ad probationem dico, desitionem illam panis in consecratione non esse annihilationem, quia annihilatio est desitio in purum nihil: at panis ille non desinit in purum nihil, sed convertitur in Corpus Christi.

§. II. DE CONSERUATIONE.

DUBIUM TERTIUM.

Vtrum conseruatio sit actio à creatione distincta?

33. SUpponoꝰ ut de fide, creaturas omnes in suo conservari pendere à Deo, quòd colligitur ex illo Sap. 11. *Quomodo possit aliquid permanere, nisi tu voluisses?* & ex aliis scripturæ locis. Duobus autem modis res omnes, ut permaneant in esse, pendent à Deo. Primò permissivo, quia cum Deus res, quas condidit, in nihilum redigere possit, si velit, ut conserventur in esse, necessaria est ejus permissio, quæ consistit in hoc; ut non velit annihilare eas. Secundò positive per actualem influxũ in ipsas quia hoc quod est, creaturam persistere in suo esse, est aliquid in rerum natura: omne autem quod est in rerum natura, est positive à Deo. Difficultas est, utrum iste positivus influxus, quo Deus creaturas conservat, sit distinctus ab illo, quo primò in esse produxit?

34. In hac rẽ sunt duæ sententiæ; Prima asserit, in omni rerum productione, & conseruatione intercecedere duas actiones; unam qua res acquirit esse, aliam qua conseruatur in esse, ex quibus illa præcedit, hæc subsequitur. Ita Henricus quod lib. 1. quæst. 7. & quodlib. 9. quæst. 1. Aureolus apud Capreolum in 2. dist. 1. quęst. 2. art. 2. in argum. cont. 3. concl. Gregorius in eadẽ distinctione quęst. 6. con-

6. concl. 4. & aliqui alii, quorum fundamentum est: quia actio, qua rei confertur esse, est subita, carens duratione: actio verò qua res conconservatur in esse; est permanens, seu persistit: ergo non est eadem. ¶ Confirmatur, quia actiones illæ, quarum una potest esse sine alia, realiter distinguntur: sed creatio potest esse sine conservatione: ergo creatio est actio realiter distincta à conservatione. Probatur minor. Potest Deus creare unum Angelum, & immediate post illum annihilare: tunc autem esset creatio sine conservatione ergo.

35. Secunda verò, & vera sententia docet, conseruationem non esse actionem à creatione secundum rem distinctam, sed tantum secundùm rationem, & penes connotata, nam creatio dicit effectionem rei connotando quòd res antea non fuerit; cōseruatio verò dicit eandem effectionem, connotando quòd res antea iam fuerit. Ità D Th. 1. part. quęst. 104. art. 1. ad 4. & de potent. quæst. 3. art. 3. ad 6. & quæst. 5 art. 1. ad 2. quē sequuntur omnes eius discipuli.

36. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est: quia actio habet unitatem ex termino & principiō: sed productio & conseruatio habent eundem omnino terminū, quia est effectus productus; & idē omninò principium, quod est causa prima: ergo sunt una & eadem actio.

37. Dices: actiones etiam distingui ex temporis diuersitate: creatio autem & conseruatio fiunt diuersis temporibus, illa in primo instanti, hæc in toto tempore subsequenti: Sed contra: idem tempus continuū satis est ut actio sit eadem; alias in uisione beata alia esset actio, quā beatus primò uidet Deum, & qua deindè perseuerat in uisione DEI; in illuminatione aeris alia esset actio, qua Sol, uel lucerna illuminare incipit, & alia, qua cōtinuat & perseuerat in tali illuminatione aeris: At in præsenti instans, quo fit creatio continue coniungitur tēpori subsequenti, quo durat conservatio: ergo creatio, & conservatio quātum est ex hac parte, non sunt duæ, sed una actio.

38. Confirmatur, cōservatio est una actio, prout durat toto tempore post primum instans, & in omnibus instantibus continuatiuis talis temporis: ergo etiam est una actio cum ipsa productione uel creatione, quæ fit in primo instanti. Patet consequentia, quia non est major ratio distinctionis inter primum instans, & tempus immediate subsequens, quam inter quodlibet instans continuativum, & partem temporis, quę post illud succedit.

39. Quòd autem inter creationem, & conservationem intercedat distinctio rationis, ipse diversus modus loquendi ostendit: quia res non dicitur cōservari in primo instanti, quo creatur; neque creari post primum instans reliquo tempore quo conservatur: ergo intervenit aliquod discrimen saltē rationis inter illa duo: quòd non est aliud, nisi supratactum quòd creatio sub hac uoce connotat negationem esse prius habiti: conservatio verò è contrario connotat possessionem ejusdem esse prius habiti. Quòd verò hæc sit tantum diversitas rationis, per se notum uidetur; & facile patet à simili ex ipso termino, nam ipse effectus creatus ut existens in primo instanti, & ut existens in toto tempore subsequenti solùm ratione potest distingui: ergo idem est in actione indivisibili, & ita sunt imposita

diversa nomina, quibus significetur actio sub illis diversis respectibus ac connotationibus.

40 Fundamentum autem prioris sententiæ non indiget solutione. Negatur enim creationem ex necessitate durare tantũ per instans nostri temporis secundum rem loquendo; durat enim quandiu cõservatio permanet: secundùm nomen autem, seu connotationem dicitur solum durare per instans, quia tantum pro illo instanti connotat negationem prioris existẽtiæ. ¶ Ad confirmationem respondetur, idem argumentum fieri posse de conservatione, quæ priori, & posteriori tempori correspondet, quòd scilicet non sit eadem actio. Dico igitur quòd etiam creatio illius Angeli secundùm rem esset conservatio, quia quantum est ex se est potens conservare Angelum tempore subsequenti si Deus sic uellet.

DUBIUM QUINTUM

Vtrum res omnes à solo Deo conserventur?

41. Duobus modis potest una res conservari ab alia, uel per se, uel per accidens. Ea dicuntur cõservare rem per accidens, quæ illam protegunt à contrariis, uel eis resistẽdo, uel ea removendo. Et hoc modo certum est, Deum conservare unam creaturam mediante alia: Deus n. impressit sali uim expellendi, & removendi à carne qualitates illi contrarias, & quæ possunt eam actionibus suis corrumpere. Item impressit virtutem quandam pluribus plantis, & herbis, removendi ab animali qualitates corpori ejus nocivas, & propterea beneficio hujusmodi plantarum, & herbarum animalia suam conservant sanitatem.

42. Conservatio autem per se est duplex; una directa, & immediata, quæ consistit in influxu continuo in esse rei: alia indirecta, & mediata, quæ consistit in influxu in aliquas dispositiones, quæ necessariæ sunt, ut res conservetur in esse. De hac posteriori conservatione nulla est difficultas, cum certum sit, quasdã creaturas conservari per alias; nam Cælum, & Sol continuo suo motu conservant hæc inferiora, producendo in eis qualitates quasdam conservativas ipsorum. Unde solum difficultas est de conservatione per se, directa, & immediata, an sit tantum à Deo, an etiam à causis secundis? Et licet dici possit, quod materia conservetur per formam, & forma conservetur per materiam; tamen prædicta conservatio non est uera, & rigorosa conservatio; nam uera, & rigorosa conservatio est in genere causæ efficientis. His positis.

43. Dico primò; Nulla substantia creata quoad suum esse substantiale pendet ab aliqua causa creata, sed à solo Deo. Ità D. Th. de potent. q 5. art. 1. ad. 7. Capreolus in 2. dist. 1, quæst. 2. art 3. ad 4. contra 3. concl. & alii communiter. Probatur conclusio discurrendo per omnes causas creatas. Et in rebus incorruptibilibus, quæ per creationem fiunt, res est clarissima, quia conservatio harũ rerum fit per eandem actionem perseuerantem, qua creantur: cum igitur creatio sit à Deo, à Deo tantum conservantur. Substantiæ verò corruptibiles, in primis non dependent in conservari à substantiis creatis immaterialibus, nam hæ non efficiunt illas. Item non dependent in conservari à substantiis, à quibus fuerunt gene-

generatæ, quia ut experientia cõstat, filius non dependet à Patre in conservari, & peracta generatione Pater non influit amplius in filium, & ideo mortuo Patre adhuc filius perseverat in esse. Corpora verò Cæleſtia ſolum indirecte, & mediate conſervant corruptibiles ſubſtantias illis ſubiectas, ut num. præc. dictum eſt. Dicendum eſt igitur nullam ſubſtantiam creatã quoad ſuum eſſe ſubſtantiale pendere in conſervari ab aliqua cauſa creata, ſed à ſolo Deo.

44. Dico ſecundò; Aliqua accidentia in ſua conſervatione pendent à ſolo Deo; calor n. productus à ſole, uel ab alio corpore, permanet etiam ceſſante eorũ influxu. Aliqua verò pendent etiam à cauſis creatis, ut experientia conſtat. Nam lumen in ſua conſervatione pendet à ſole, actus uitales à potentiis, & omnis motus à movente. Quamuis autem hæc accidentia pendeant in conſervari immediatè à ſuis cauſis creatis, non proptereà negant dependentiam immediatam à Deo; & ideo dixi *etiam à cauſis creatis*. Ratio autem eſt: quia omnis operatio creaturæ eſt etiam immediatè à Deo: cum igitur conſervatio per creaturam ſit quædam operatio, oportet eſſe etiam immediate à Deo.

45. Cur autem hæc accidentia dependeant in ſuo conſervari à cauſis ſecundis, non verò illæ? multum laborat P. Suarez diſp. 21. met. ſect. 3. à num. 11. uſque ad 17. in reddenda ratione: & ultimo concludit, eam eſſe deſumendam ex intrinſeca natura talium accidentium; quia nimirũ talia ſunt, ut eſſentialiter, uel cõnaturaliter includãt depẽdẽtiã à tali cauſa. Sed hęc ratio non ſatisfacit, & uerã affert D. Th. 1 p. q. 84. art. 1. vide illũ.

DISPUTATIO XII.

De causa secunda principali.

1. Fuit quorundam ueterum ſententia, qui omnem agendi uim rebus creatis denegabant, dicentes, ſolum Deum omnia efficere, ſine cõcurſu alterius cauſæ effectivæ. Quæ ſententia eſt omninò falſa, & ſtulta, vt eã merito D. T. in 2. diſt. 1. q. 1. art. 4. appellat. Opponitur enim primò. Sacræ Scripturæ, nam Geneſ. 1. habetur: *germinet terra herbam uirẽtem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum*. Et luc. 11. *uidete ficulneam, & omnes arbores cum producunt iam ex ſe fructus*. Secundò Doctrinæ Eccleſiæ de noſtra libertate in operando, & de peccatis quæ committimus: nam exercitium libertatis omnino in agendo conſiſtit, quia potentia libera poteſt agere, & non agere, & opera praua ab ipſis peccantibus efficiuntur. Tertiò experientiæ; notum quippe eſt, ignem calefacere, & gignere alium ignem, ſolem illuminare, oculum uidere, & ſic ab ipſis cauſis creatis ſuas operationes exerceri, & effectus produci. Nec niſi ineptiſſime ab adverſariis dicitur, ſolum Deum ad præſentiam harum cauſarum operari. Sic enim tollitur omnis uis experientiæ, & præcluditur uia philoſophandi ab effectibus ad cauſas. Inſuper uana eſſet tanta qualitatum uarietas, tot diſpoſitionũ apparatus, talia organa, & inſtrumenta, quæ non niſi ad operandum ordinata ſunt. Præterea ſequeretur, ex natura rei ignem non magis calefacere, quam infrigidare, aut quidquid aliud, ſiquidem ęque poſſet Deus ad præſentiam ejus quidquid libeat, operari. Et ultimò rationi: nam aut Deus,

qui

qui res condidit, non potuit ex defectu suę virtutis communicare rebus virtutem agendi, cum ex parte creaturarum nulla sit implicantia. Et hoc non est dicendum, alias virtus Dei esset deficiens, & non omni modo possibili infinita. Aut si potuit, & nō uoluit, id derogat bonitati divinæ, ad quam spectabat res perfectas efficere, easque participes reddere suæ virtutis operativæ. Ne igitur in hæc absurda incidamus, dicendum est, res creatas uerè habere uim producendi & uere producere suos effectus.

DUBIUM PRIMUM

Quæ sit uirtus causæ secundæ?

2. SUper hac difficultate quatuor invenio sententias. Prima asserit, sola accidentia esse virtutem principalem causæ creatæ producendi quemcumq; effectum, etiam substantiam. Ita Benedictus Pereyra 8. physic. cap. 11. & duobus sequentibus. Sed hæc sententia reiicitur ab omnibus. Ratio est quia accidentia sunt simpliciter imperfectiora substātia: ergo nō possunt per modū causæ principalis attingere illius productionem: alias effectus excederet virtutē suæ causę. 3. Respondet Pereyra, quòd accidentia solù in esse entis sunt imperfectiora substantia, non autem in esse productivi, & producibilis. ¶ Sed contra est: quia causa efficiens continere debet effectum uel formaliter, uel eminenter, quandoquidem in genere causæ efficientis nemo dat, quod non habet: ergo causa, quæ producit entitativam perfectionem substantię, debet continere illā in seipsa: ac proinde in esse entis esse maioris, uel æqualis perfectionis cum illa ¶ Confirmatur quia alias ex eo, quòd Deus esset causa omnium creaturarum, non proberetur legitime, quòd esset perfectior in ratione entis, quàm omnes illæ. Imo ex responsione Pereyræ fieret, nullum posse dari argumentum efficax ad convincendum eum, qui dixerit, totum mundum potuisse fieri à quadam formica: quia hic etiam posset dicere, quod formica est perfectius quid in ratione productivi omnibus aliis entibus, sicq; & si ipsa in ratione entis sit satis imperfecta, potuisset totum hunc orbem efficere.

4. Secunda sententia per oppositum docet, accidens nō solū respectu substantiæ, sed neque respectu, alterius accidentis sibi similis esse causam principalem, sed tantum instrumentalem. Ita Conimbricenses 2. physic. cap. 7. q. 18. art. 3. assert. 5. ¶ Hec etiam opinio est improbabilis; quia causa principalis dicitur illa, que adequat, aut superat perfectionem sui effectus: atqui unum accidens potest adequare perfectionem alterius, quando est ipsi simile, & sic continere ipsum formaliter per modum causæ uniuocæ, ut calor calorem; uel superare, quando est dissimile, & sic continere illud eminenter per modum causę æquiuocę, sicut lux continet calorem: ergo potest concurrere, & concurrit de facto ut causa principalis ad productionem illius.

5. Tertia sententia est Scoti in 1. disp. 37. quæst. unic. & in 2. dist. 16. q. 1. & in 4 dist. 12. q. 3. Durandi in 2. dist. 1. quæst. 4. & in 4. dist. 12. q. 2. Ochami in 2. q. 23. & aliorum, qui uolunt, solam formam substantialem esse principium producēdi aliam substantiam; accidentia verò nullo modo effectiuè concurrere ad talem producionem, sed tantùm dis-

disponere ad illam. ¶ Sed reiicitur communiter à Thomistis. Nam agens creatum sæpius operatur vbi non adest secundùm suam substantiam, sed solum secundum accidentia, & uirtutes quasdam instrumentales actiuas, quas ex se emittit: ergo non sola substantia est principium productionis alterius substantiæ, verum etiam accidentia. Consequentia patet. Antecedēs verò prob. nã sol e. g. mediis quibusdam occultis qualitatibus & influentiis instrumentaliter concurrentibus producit aurum in uisceribus terræ: Generans mediante semine ut instrumento producit fœtum in uulua mulieris: ignis medio calore in ferrum introducto producit alium ignem: & in Eucharistia accidentia uini consecrati conuertunt aquam in uinum, si in modica quantitate infundatur: & nihilominus substantiæ huiusmodi agentiũ nõ adsunt secũdũ se ubi tales effectus producuntur; neque n. substantia solis est in uisceribus terræ, nec generans adest secũdũ suam substantiam ubi producitur fœtus, nec similiter substantia uini conuersa in sanguinem Christi adest in casu dicto, sed tantum ipsorum uirtutes: ergo.

6. Quarta denique sententia est Thomistarum tenentium, formam substantialem agentis esse uirtutem principalem in productione alterius substantię, non tamen esse immediate operatiuam; sed operari mediis accidentibus tanquam instrumẽtis. Ita S. Th. 1. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1. & 3. p. q. 77. art. 3. ad 2. aliisq; in locis, quem sequuntur omnes eius discipuli.

7. Prima conclusio in productione substantiæ uirtus principalis est forma substantialis agentis; in productione verò accidentis forma accidentalis. Prob. quia unumquodq; agit inquantum est actu tale (nullum n. agens calefacit, nisi sit actu calidum; & ignis si producit ignem, producit illum in quantum est actu ignis) sed agens substantiale est actu tale per formam substantialem; agens verò accidentale per formam accidentalem: ergo forma substantialis in productione substantiæ est uirtus agendi, & forma accidentalis in productione accidentis. Quòd autem talis uirtus sit principalis, prob. illa dicitur uirtus principalis, quę attingit effectum non excedentem propriam perfectionem: sed neq; forma substãtialis respectu productionis substantię, nec forma accidentalis respectu productionis accidentis, attingit effectum excedentem propriã perfectionem: ergo est uirtus principalis.

8. Secunda conclusio. Forma substantialis agentis non est uirtus immediata productionis substantię, sed tantum radicalis. Prob. ratione S. Th. ex p. p. q. 54. art. 3. in creatis esse & operari distinguuntur realiter, cũ esse sit ordinis substantialis, & operari ordinis accidentalis: ergo potentia, quæ per se primò respicit esse, realiter distinguitur à potentia, quæ per se primò respicit operari (potentię enim distinguuntur penes diuersitatem actuum, quos se primò respiciunt) atqui substantia creata per se primò respicit esse, potentia verò immediatè operatiua per se primò respicit operari: ergo substantia creata realiter distinguitur à potentia immediate operatiua, ac proinde non potest esse immediatũ principium productionis, sed tantũ radicale.

9. Di-

9. Dices: Esse & operari se habent tamquam actus primarius & secundarius, cum operari sequatur ad esse: distinctio autem potentiarum sumitur penes actus primarios, non autem penes actum primarium & secundarium. ¶ Sed contra: quia est contra rationem actus secundarii, quòd tribuat specificationem potentiæ (specificatio n. per se primò respicitur à potentia) sed operari tribuit specificationem potentię, nã ideo potẽtia dicitur operatiua, quia respicit operari: ergo operari non potest esse actus secundarius, sed primarius. Nec obstat quòd sequatur ad esse, quia etiam uolitio sequitur ad intellectionem, & nihilominus exigit potentiam realiter distinctam.

10. Tertia conclusio. Virtus proxima, qua una substantia attingit productionem alterius, sunt accidentia. Prob. quia accidentia instituta sunt à natura propter substãtiam; atqui substantia non indiget accidentibus ad hoc ut sit, sed ad hoc ut mediantibus illis operetur: ergo uirtus proxima & immediata substantię sunt accidentia. ¶ Confirmatur quia omnis ratio agẽdi debet esse uel substantia, uel accidens; ergo cum substantia nequeat esse immediatũ principium operationis, ut ostensum est, oportet ut dum aliam substantiam producit, quòd accidentia sint uirtutes proximæ, & potentię immediatè operatiuæ.

11. Ob. 1. Forma accidentalis est immediata potentia respectu sui esse inexistentię, sicut substantia respectu sui esse substantialis: sed illud esse inexistẽtiæ distinguitur realiter ab operatione: ergo forma accidentalis nequit esse immediatum principium operandi.

12. Respondeo negando consequentiam; quia accidentia solum secundariò respiciunt inexistentiam, & nonnisi quatenus est simpliciter necessaria ad operationem eliciendam, nec essent à natura producta, si operationi non inservirent. Hoc autem dici nequit de substantia, quia esse respectu illius semper respicitur primariò, & adhuc esset, etiam si operatio implicaret.

13. Ob. 2. Si substantia creata non esset immediate operativa, aut hoc esset propter perfectionem, aut propter imperfectionem: neutrum dici potest: ergo. Minor probatur, & primò quod non propter perfectionem, quia substantia divina est infinite perfectior creata, & tamen est immediate operativa. Secundò quod non propter imperfectionem, quia accidentia sunt imperfectiora substantiis creatis, & tamen sunt immediate operativa.

14. Respondeo, hoc non provenire præcise ex perfectione, nec ex imperfectione absolute, sed ex medio quodam statu inter summã Dei perfectionem & accidentium imperfectionem, seu (quod idem est) ex perfectione substantiæ creatæ admixta imperfectioni. Ex summa enim perfectione provenit, quòd substantia sit immediate operativa, ex eo scilicet quòd operatio ejus non sit accidens, sed ipsamet Dei substantia, unde, & potentia, quæ illam respicit, debet esse substantia. Ex imperfectione autẽ accidentis oritur, quòd sit immediatum operationis principium, ex eo scilicet quòd possit per se primò respicere operationem accidentalem, & ab ea specificari. Et quia substantia creata non est ita perfecta ut operatio ejus sit substantialis; nec ita

ita imperfecta, ut possit per se primò respicere actum accidentalem, & ab eo specificari: inde est, quòd ex perfectione ipsius media inter substantię divinę infinitam perfectionem, & imperfectionem accidentium, oritur quòd non sit immediatè operativa.

15. Ob. 3. Non repugnat aliquam substantiamità perfectam esse, sicut illud conjunctum ex substātia & accidente: non n. hoc infinitam perfectionem postulat: ergo saltem per divinam potentiā erit possibilis substantia immediatè operativa.

16. Respondeo negando antecedens; habeo n. instantiam manifestā, nam oculus cum specie potest videre colorem, intellectus cum lumine gloriæ videre Deum, substantia cum subsistentia superaddita supponitatur, & conjunctum ex istis non est infinitæ perfectionis; & tamen non potest dari aliquis oculus ita perfectus, qui sine specie videat; intellectus, qui sine lumine glorię sit beatus; substantia, quæ sine subsistentia superaddita propria, vel aliena, subsistat. Similiter ergo neque poterit dari substantia, ita perfecta, quę sine accidentibus operetur, ob rationes adductas; licet conjunctum ex substantia & accidente non sit infinitę perfectionis.

17. Ob. 4. Accidentia sunt simpliciter imperfectiora substantia; ergo non possunt illam producere. Prob. consequentia, quia productivum alterius debet illud continere vel formaliter, vel eminenter; at accidentia nec continent substantiam formaliter, aliàs esset ejusdem perfectionis; neque eminenter, quia quòd sic cōtinet aliud, excedit illud in perfectione: ergo nullo modo possunt substantię productionem attingere.

18. Respondeo negando consequētiā, & ad probationem dico, accidens non continere substantiam formaliter, nec eminenter, quia hęc continentia solum causæ principali competit; sed virtualiter, quia formaliter est virtus substantiæ, & ut talis attingit productionem effectus.

19. Ob. 5. Accidens de se est impotens ad producendam substantiā: id autem quod de se est impotens ad aliquem effectum, si nihil ei addatur, manet sicut antea, ac proinde ita impotens, sicut prius erat: sed accidenti nihil potest addi, si n. ei aliquid addatur, cum id non possit esse substantia, quandoquidem substantia non recipitur in accidenti, necesse erit ut sit accidens: ergo per illud quantumvis multiplicetur, non redditur potens ad productionem substantiæ.

20. Respondeo cum Nugno part. quæst. 77. art. 3. quòd hoc ipso, quòd accidens consideretur ut virtus substantiæ, tunc licet maneat in ratione accidentis, nihilominus maximè accedit ad perfectionem substantiæ, & aliquo modo pertinet ad ordinem illius. Quare non mirum, quòd possit attingere productionem substantię, quia ut ait Pilosophus, *supremum infimi attingit infimum supremi.* Undè cum ista virtus sit supremum infimi, idest accidentis, idcirco attingit infimum supremi, scilicet instrumentaliter productionem substantiæ.

21. Quæres. Quid sit accidens esse virtutē substantiæ? Noto, accidens posse considerari dupliciter: primò secundum se, secundò ut emanat à determinata forma substantiali v. g. calor potest considerari & ut calor est, & ut emanat à tali forma substan-

ſtantiali, puta ignis, animalis, ſeminę. Vt calor eſt, non attingit productionem ignis, carnis, ſanguinis, & lactis; at ut emanat à forma ſubſtantiali ignis producit ignem, ut emanat à ſubſtantia animalis attingit productionem carnis, & ſanguinis, & ut emanat à ſęmina producit lac. Quare eſſe virtutem ſubſtantiæ, aliquid addit, non quidem realiter, ſed uirtualiter diſtinctum ab eodem calore, ratione cujus habet hunc majorem vigorem; quod quidem provenit illi ab eadem ſubſtantia, à qua emanat. Sed quomodo proveniat, difficultas eſt. Aliqui dicunt, derivari à ſubſtantia aliquem influxum in accidens, per quam elevatur, & efficitur virtus ſubſtantiæ. Sed iſte modus dicendi in via D. Th. ſubſtineri non poteſt, quia cum influxus iſte procederet à ſubſtantia, reſpectu illius ſubſtantia iam eſſet immediatè operativa.

22. Dico igitur, ſubſtantiam nihil influere in accidentia, ſed hæc una cum hoc vigore ab ea, ut à radice procedere. Probatur; quia multoties contingit, ut ſubſtantia, à qua accidentia emanarunt, nequeat exibere immediatum aliquē influxum, & nihilominus quòd generatio illa ſubſtantialis ęque bene fiat, ac fiunt alię generationes ſubſtantiales; ut patet in generationibus viventium, in quibus generans, à quo deciſum eſt ſemen, nullum immediatum, & novum influxum exibet in punto generationis, tum quia non eſt præſens; tum quia ſępe non exiſtit: & ęque & bene generatur proles, ſive Pater vivat, ſive non. Ergo ſignum eſt, virtutes accidentales ſubſtantię ità exiſſe à principio elevatas, & confortatas, ut mediis illis abſque nova cōfortatione concurrat ſufficienter ſubſtantia ad talem productionem.

DUBIUM SECUNDUM

Vtrum cauſæ ſecundæ in omni ſua actione dependeant à cauſa prima?

24. PRima concluſio, cauſæ ſecundæ in omni ſua actione indigent concurſu ſimultaneo cauſæ primæ. Eſt communis inter Theologos, uno dempto Durādo, in 2. diſt. 1. q. 5. & diſt. 37. q. 1. cujus ſententia ab omnibus reiicitur. Prob. primò auctoritate Sacræ Scripturæ, Iſaię 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis*. Ioannis 5. *Pater meus uſq; modo operatur, & ego operor*. Lucæ 12. *Si fænum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit*. Actorum 17. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Et licet hæc & ſimilia loca non faciant concluſionem de fide, quia poſſunt utcumque explicari ſine immediato influxu, tamen negari non poteſt, quòd eam reddant probabiliorem.

24. Prob. ſecundò ratione. Omnis actio & effectus cauſæ creatæ, ita ſunt ab ipſa cauſa creata, ut etiam ſint à Deo: ſed concurſus ſimultaneus in hoc conſiſtit, ſcilicet quòd Deus ſimul cum cauſa creata concurrat ad actionem, & productionem effectus: ergo cauſa creata in omni ſua actione indiget concurſu ſimultaneo cauſę primę. Prob. major. Omnis actio & effectus cauſæ createę ſunt entia creata: ſed nulla eſt entitas creata, cujus Deus non ſit uera, & propria cauſa: ergo omnis actio & effectus cauſæ creatę, ita ſunt ab ipſa cauſa, ut etiam ſint à Deo. ¶ Nec ſatisfacit Durandus dicendo, actiones, & effectus cauſarum ſecundarū eſſe

esse ab eis immediatè, & à Deo mediatè. Nam contra est: causa mediata, & remota non est propriè causa: sed Deus dicitur absolutè causa, & creator omnium: ergo non mediatè: sed immediatè concurrit ad productionem cujuscumque entitatis.

25. Prob. tertiò, Modus operandi sequitur modum essendi: sed creatura in essendo dependet à Deo: ergo & in operando. Confirmatur quia nisi Deus immediatè concurrat cum causis secundis, non posset earũ operationes impedire relictis in rerum natura causis,& applicatione illarum; quod tamen falsum esse constat: nam ignem Babylonicũ impedivit Deus, ne ageret in tres pueros & tamen nõ destruxit illum. ❡ Respondet Arriaga proDurando disp.10.physic.sect.1. subsect. 2. nu.10. causas creatas pendere in suis operationibus, ut à conditione sine qua non, à permissione Dei: & ideò eo ipso, quòd Deus non vult causas secundas operari, illæ non operantur. Sed contra: quia intelligi non potest dependentia creaturę à Deo in operando sine immediato influxu Approximatio enim ideò requiritur, quia tollit impedimentum distantię: at permissio divina nullum impedimentum tollit: ergo non requiritur.

26. Ob. 1. Ad producendum effectum sufficit, quod virtus causę sit ęqualis effectui: sed calor producens est ęqualis effectui, scilicet calori producto: ergo non indiget consortio causę primę, ut illũ producat. ❡ Resp. quod cum dicitur, ad agendum sufficere virtutem ęqualem effectui, intelligendum est, non simpliciter, sed in suo ordine causę: nam sicut virtus illa est dependens, ita nonnisi dependenter sufficit, & ideo pręter eam necesse est ut influat prima causa, à qua omnia pendent.

27. Ob. 2. Si causa prima concurrit cum causa secunda, vel utraque est causa partialis, vel causa totalis: nequit Deus esse causa partialis, quia id dicit imperfectionem. Si autẽ utraq; est causa totalis, altera est superflua. ❡ Resp. quod ex parte effectus, non sunt causę partiales, quia non fit pars effectus ab una causa, & pars ab alia, sed totus effectus à singulis producitur. Ex parte verò causę concedi potest, quod utraque sit partialis, quia integram causalitatem effectivam necessariam ad illum effectum neutra illarum totã adhibet, sed ex utriusq; concursu consurgit integra causalitas: & ideo dicuntur partialiter concurrere ex parte causę, quod non est imperfectio in Deo, quia id nõ est ex insufficientia, sed ex ejus bonitate. Vel respondeo secundò & melius, quòd cum illæ duæ causæ sint diversorum ordinum, propriè non dicuntur componere unam causam totalem, sed unaquæq; est causa integra in suo ordine. Ex quo non sequitur quòd altera sit superflua.

28. Ob. 3. Causa prima neque eadem actione, neque diversa potest concurrere cum causa secunda: ergo nullo modo concurrit, probo antecedens; non eadem, quia una, & eadẽ actio non potest procedere à duobus agentibus totalibus. Neq; diversa, quia actiones diversificantur per terminos: at idem esset terminus productus ab utraq; causa: ergo. ❡ Resp. negando antecedens quoad primam partem, & probationem dico, quòd licet una, & eadem actio non possit procedere à duobus agentibus totalibus ejusdem ordinis, benè tamen à primo, & secundo agente, quia pri-

mum, & secundum agens spectant ad diversos ordines, & unum est causa universalis, aliud causa particularis: non autem implicat, quòd eadē actio procedat à diversis causis totalibus diversi ordinis. Itaque eadem actio immediatè est à Deo, & à causa secunda, ut est à Deo, appellatur concursus primæ causæ; ut verò à causa secunda, dicitur concursus causæ secundæ.

29 Ob. 4 Deus non concurrit immediatè, & per se ipsum cum causa materiali, & formali: ergo nec cum efficiente. ¶ Resp. distinguendo antecedens, non concurrit immediatè per modum causæ materialis aut formalis, quasi ipsemet substentet, aut informet, concedo; quia substentatio, & informatio dicunt imperfectionē partis, cujus vices nequit Deus seipso supplere. Per modum causæ efficientis, nego; ipse enim una cum causa secunda effectivè unit materiam cum forma, subindeque facit, ut materia substentet, & forma informet; unde negatur consequentia.

30. Secunda conclusio, Causæ secundæ antecedenter ad actionem, indigent motione causæ primę, qua applicentur ad agendum. Est S. Th. q. 3. de potentia art 7. ad 7. aliisq; in locis, quem sequuntur omnes ejus discipuli, & plures alii etiam ex Patribus Societatis, quos refert Mailhat in præsenti disp. 8. sect. 4.

31. Fundamentum hujus assertionis supponit duo. *Primum*, indeterminationē causę secundæ; ex eo enim quòd quælibet causa secunda potest producere diversos effectus, est indeterminata ad producendum hunc potius, quam illum. *Secundum*, potentialitatem ad operandum; omnis .n. causa secunda prius intelligitur in potentia ad operandum, quàm actu operari; & quando actu operatur, transit de actu primo ad actum secundum.

32. Ex his principiis probatur cōclusio. Omnis causa secunda est indeterminata ad hanc, vel illam actionem in individuo, & est in potentia ad operandum cum non semper actu sit operans: ergo indiget ab aliqua causa reduci in actū, & determinari; siquidem à causa existente in potentia, & indeterminata, non exit effectus in actu, & determinatus. Sed nō potest à seipsa daterminari; quia ipsa est in potentia ad agendum, & indeterminata: quod autem reducitur de potentia ad actum, & determinatur, debet esse in actu: esse autem simul in potentia, & in actu, implicat. Neq; ab alia causa creata, quia omnes causæ creatæ sunt etiam in potentia ad operandum, & indeterminatæ, & indigent simili applicatione, & determinatione, & sic opporteret procedere in infinitum. Neq; à causa increata per concursum simultaneum, quia concursus simultaneus non influit, nisi in effectum, & identificatur cum actione causæ secundæ, & sic nō reddit, sed præsupponit in priori naturæ causam secundam creatam reductam de potentia ad actum, & determinatam ad operandum: ergo à causa increata per motionem præviam, cum nihil aliud restet.

33. Respondent Adversarii, remanere extrinsecam Dei assistentiam, per quam poterit causa secunda determinari, & reduci de potentia ad actum. ¶ Sed contra: quia per solam assistentiam Dei extrinsecam nihil intrinsecè ponitur in creatura: ergo totum intrinsecum hujus causæ creatæ manet immutatum sicut antea; & cum antea esset intrinsecè in poten-

tia,

tia, & indeterminata, etiam post illam extrinsecam assistentiam in eadẽ potentialitate, & indeterminatione intrinseca manebit: ergo à principiis intrinsecis talis causæ non poterit dimanare actio, quantumcumq; ponatur illa extrinseca assistentia. Sed non dicitur causa creata agere, nisi ab ejus intrinseca virtute, & potentia dimanet actio, quia ipsa virtus intrinseca est, quæ dicitur agere: ergo si per illam assistentiam exstrinsecam nihil de illa potentialitate tollitur, non remanet causa illa disposita ad agendum.

34. Ob. 1. Causa efficiens principalis est id, unde primò incipit motus: ergo repugnat, quòd agat ut mota à causa prima, ¶ Respondebo negando consequentiam, quia licèt collata causa secunda efficiente cum prima, non sit id, à quo primo incipit motus, bene tamen si conferatur ordine executionis cum aliis causis aliorum generum; & sic intelligitur particula illa *primò* in dicta definitione, ut supra diximus.

35. Ob. 2. Causa efficiens principalis est completa: ergo non indiget aliquo superaddito ut compleatur. ¶ Respondeo concedendo totum, quia motio ista prævia non est virtus per modum actus primi, sed solum quædam applicatio causæ ad actum secundum; & effectus ejus non est aliud, nisi reddere causam secundam completam applicatam, & determinatam ad operandum.

36. Ob. 3. Causæ secundæ necessariæ, ex natura sua sunt determinatæ ad agendum, ita ut miraculum foret si ignis prope stuppam positus non combureret: ergo istæ non indigent determinatione causæ primæ. Respondeo distinguendo antecedens: causæ secundæ necessariæ ex natura sua sunt determinatæ *quoad speciem operationis, & effectus*, puta ignis ad calefaciendum, ita ut non possit facere contrarium, concedo: *quo ad exercitium*, ita ut non possit suspendere actionem, subdistinguo: *positis omnibus conditionibus ad agendum requisitis*, concedo (& in hoc differt causa naturalis à libera, quæ positis omnibus potest adhuc non agere, aut agere oppositum) *non positis illis*, nego, illa autem prærequisita sunt non solum conditiones extrinsecæ, puta approximatio ad passum, sed maxime ipse influxus prævius causæ primæ, quo debet intrinsece constitui in ratione principii actualis suæ operationis. Ideo autem miraculum foret, si ignis approximatus calefactibili non calefaceret, quia miraculum esset, quòd Deus agenti necessario negaret influxum illum, & concursum, quem titulo connaturalitatis exposcit positis aliis conditionibus.

37. Tertia conclusio. Hæc præmotio in causis liberis non tollit libertatem. Est etiam omnium Thomistarum, & probatur; quia præmotio ista causæ primæ est efficacissima, & universalissima: ergo attingit non solùm substantiam actus, sed etiam modum actus: sed modus operandi causæ liberæ est operari liberè: ergo non solùm attingit, seu efficaciter facit, quòd causæ liberæ operentur, sed etiam quòd operantur liberè. Prima consequentia, in qua est difficultas, probatur; quòd non attingantur omnia, quæ sunt in effectu oritur ex inefficacitate, & limitatione virtutis, seu influxus: ergo si præmotio causæ primæ est efficacissima, & universalissima, non solùm attingit sub-

substantiam actus, verum etiam modum actus. Et confirmatur, quia hic modus operandi libere, à parte rei est aliquid: quidquid autem est à parte rei, & non est Deus, neque peccatum, immediate attingitur à causa prima. Hanc rationem paucis verbis complectitur S. Th. 1. part. quæst. 19. art. 8. & 1. 2. quæst. 10. art. 4. dicens: *divinam voluntatem utpote causam universalissimam, & efficacissimam, mediante sua motione non solum se extendere ad substantiam actus, sed etiam ad modum ipsius, idest, ad hoc quòd fiat libere vel necessario secundum exigentiam causæ.*

38. Ob. 1. De ratione libertatis est indifferentia ad agendum, vel non agendum: sed physica prædeterminatio tollit hanc indifferentiam, siquidem determinat ad unum: ergo tollit libertatem. Pro solutione note duplicem in voluntate nostra reperiri indifferentiam: unam *potentialem* quæ est suspensio ab omni actu; & est quando voluntas est mere indifferēs, & in potentia ad utrumlibet, nec magis inclinata ad amorem v. g. quā ad odium, quæ indifferentia potentialis aufertur à voluntate cum de potentia reducitur ad actum; subindeque non est de ratione libertatis, alias quotiescūq; operaremur in sententia etiam adversariorum amitteremus libertatem. Altera indifferentia est *actualis*, quam habet voluntas dum elicit unum actum cum potentia ad non eliciendum, si velit; & hęc indifferentia est propria libertatis, nec potest auferri, nisi auferatur ipsa libertas. Hoc posito ad objectionem respondeo, distinguendo majorem: *de ratione libertatis est indifferentia merè potentialis*, nego: *actualis in sensu explicato*, concedo. Quamvis autem præmotio priorem illam indifferentiam tollat; determinando voluntatem ad unum, non tamen aufert posteriorem, sed potius causat efficiendo quòd voluntas operetur unum cum potentia ad oppositum:

39. Ob. 2. De ratione causæ liberæ est, quòd seipsam determinet ex vi prioris electionis. Ecclesiast. 5. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quòd placuerit ei, dabitur illi* ergo nō potest determinari à prima. ¶ Respondeo, non esse de ratione causæ liberæ, quòd seipsam determinet indepēdenter à causa prima, quia hoc quòd est, se determinare, est quid creatum à parte rei, & sic non potest non esse à Deo. sed dependenter ab illa. Causam autem secundam liberam determinare se dependenter à causa prima, idem est, ac quòd causa prima faciat, quòd causa secunda liberè per electionem se determinet ad agendum.

40. Ob. 3. Voluntas posita prædeterminatione non potest facere oppositum: ergo posita prædeterminatione non manet libera. Probatur antecedens. Si voluntas præmota posset facere oppositum, posset resistere præmotioni: sed voluntas creata non potest resistere præmotioni, alias hęc non esset efficax. ergo posita præmotione non potest facere oppositum. ¶ Respondeo distinguēdo antecedēs: voluntas posita prædeterminatione non potest facere oppositum, *in sensu composito*, concedo: *in sensu diviso*, nego. Et ad probationem distinguo majorem: si voluntas præmota posset facere oppositum *in sensu composito*, posset resistere præmotioni, concedo: si posset *in sensu diviso tantum*, nego. Sensus autem hujus distinctionis non est, quòd existente

præ-

præmotione in voluntate, aut ea cum voluntate composita, voluntas non possit facere oppositum ei, ad quod præmovetur; illa verò ablata,& veluti à voluntate divisa, possit. Sed quòd stante etiam in voluntate prędeterminatione ad consensum v. g. voluntas habeat potentiam ad dissēsum, non quidem conjungendum cū ipsa prædeterminatione ad consensum, sed absolute, & secundum se spectatum, sicut cum dicimus, *justus potest peccare mortaliter*, hæc propositio in sensu composito est falsa,& in sensu diviso est vera: & tamen in sensu composito non reddit hunc sensum, quòd justus, hoc ipso quòd habet gratiam sanctificantem, est impeccabilis mortaliter, alias gratia sanctificans, non distingueretur à dono confirmationis. Sed sensus tantùm est, quòd justus non possit conjungere cum gratia peccatum mortale, ita ut simul sint in illo peccatū mortale,& gratia. E contra verò in sensu diviso est vera, quia tantùm denotat, quòd justus, etiam si justus sit, potest peccatum mortale absolute, & simpliciter committere, & coniungere illud cum suo libero arbitrio, licet non cum gratia sanctificante.

41. Ut autem doctrina ista plane capiatur, notandum est primò, in libero arbitrio ut tali esse quidem potentiam ad opposita, non tamen esse potentiam ad opposita simul habenda, quia duo actus contrarii, vel contraditorii non sunt compossibiles simul in eodem subiecto: & ideo libertas non definitur, quòd sit potentia ad utrumque, idest, *ad velle, & nolle* simul habenda; sed ad utrumlibet, scilicet ad *velle & nolle* divisive. Ex quo fit, quòd etiam dum quis amat, libe è amet, quia, & si non possit conjūgere, vel simul ponere utrumq; oppositum, scilicet amorem, & ejus cessationem, attamen per amorem non tollitur à uoluntate illa potentia, quam habebat ad cessandum ab amore. ¶ Notandum est secundò, quòd sicut dum quis amat, non habet potētiam ad conjūgendum utrumq; istum actum, scilicet amorem, & cessationem ab amore: ita propter eandem rationem neque habet potentiam ad habendam simul præmotionem ad amandum,& ad carentiam amoris; & sic quando præmovetur ad amandum, non præmovetur ad cessandum ab amore; & è contra. ¶ Ex his patet, quomodo hæc propositio, *voluntatem præmotam, dissentire est possibile*, vera sit juxtà explicationem à nobis datam. Cæterum si sensus prædictę propositionis est ille, qui componit præmotionem cum dissensu mediante copula de possibili; ita ut denotet, esse possibile, quòd sit simul in volūtate præmotio ad amorem una cum odio, vel cessatione ab amando, est falsa, & ideo in isto sensu communiter negatur à Thomistis.

42. Ob. 4. Si voluntas præmota ad consensum posset dissentire, hujusmodi dissensus esset ipsi possibilis: atqui non est ipsi possibilis dissensus: ergo posita prēmotione non potest dissentire. Prob. minor. Possibili posito in actu nullum sequitur impossibile, aut inconveniens: sed si stante præmotione ad cōsensum poneretur dissensus, sequeretur aliquod impossibile, nempe quòd præmotio redderetur inefficax: ergo stante prēmotione ad consensum, non est possibilis dissensus. ¶ Resp. negando minorem; ad cujus probationem distinguo majorem: possibili posito

in actu, nullum sequitur impossibile, *nulla facta suppositione*, concedo: *aliqua facta suppositione*, nego. Sensus est, quòd ex positione possibilis in actu absolutè loquendo nihil absurdi aut impossibilis sequitur: potest tamen sequi absurdum & impossibile, facta aliqua suppositione, nam quando quis amat Deum liberè, retinet potentiam ad non amandum, & per consequens est possibilis carentia amoris; quæ tamen si poneretur in actu in eodem instanti, facta suppositione quòd sit amor, sequeretur magnū inconveniens & impossibile, quòd scilicet simul esset amor, & ejus carentia; sic ergo in proposito, quia divina præmotio est efficax, & infallibiliter infert in eodem instanti reali consensum, maximum inconveniens, & impossibile sequeretur, si ea in voluntate posita, voluntas non operaretur; sequeretur enim præmotionem efficacem (quæ dicitur talis ex eo quòd habet suum effectum) non sortiri hujusmodi effectū; & operationem voluntatis esse, & non esse: esse quidem, quia infallibiliter conjungitur præmotioni; non esse verò ex suppositione quòd volūtas præmota non operaretur. Tota autem ratio hujus doctrinæ, est quia actus ille solùm est possibilis in sensu diviso, unde si poneretur in re, mutaretur sensus divisus in sensum compositum.

43. Dices: Ergo frustra esset illa potentia: quia nunquam reduceretur ad actum. ℣ Respondeo negādo consequentiam, quia potentia, quæ potest ad utrumlibet, satis est, ut non sit frustra, quòd ponat unum ex illis. Et certe hujusmodi argumenta eandem vim habent contra adversarios, quia eodem modo pugnant contra actum oppositum illi, quem actualiter elicit voluntas. Unde sicut ipsi tenentur fateri, voluntatem, quando consentit, habere potentiam ad dissensum, non in sensu composito, quasi possit dissensum conjungere, & in eodem instanti formaliter ponere cum consensu, sed solùm in sensu diviso; ita nos dicimus de dissensu respectu præmotionis ad consensum.

44. Ex dictis intelliges, quomodo possumus resistere præmotioni, & nō resistere. Utrumque enim verificatur secundùm diversas considerationes; nam utrumque dicitur de ipsa præmotione: Hoc secundum à scriptura, Ad Roman. 9. *voluntati ejus quis resistet?* & Esth. 13. *Non est qui possit resistere tuæ voluntati.* Primum verò à Conciliis, Trident. sess. 6. cap. 5. *Quippe qui illam abiicere pòtest.* Et Senosens. in decret. 15. fidei. *Auxilium non est tale, cui resisti non possit.* Verificatur ergo, quòd non possumus resistere præmotioni in sensu composito, & conjungendo dissensum cum illa. Possumus autem resistere in sensu diviso, scilicet quantum ex parte modi, quo per talem præmotionem operamur.

54. Quarta conclusio Deus præmovet voluntatem creatam ad materiale, non verò ad formale peccati. Assertio hæc *quoad secundam partem* est de fide, definita in Concilio Tridentino sess. 6 can. 6. & expresse habetur in scriptura sacra, in qua dicitur, Deum esse justum in suis operibus, & odio habere impium, & impietatem ejus: si autem Deus præmoveret ad formale peccati, vellet positive illud, & sic non esset justus in suis operibus, nec odio haberet impietatem. *Quoad primam verò partem* est communis inter Thomistas, & cam

eam satis doctè ostendunt PP. Salmāticenses tom. 1. tract. 4. disp. 10. dub. 7. contra Suarem, & alios suę societatis. Et patet rationibus factis. Nam nulla entitas physica subterfugit causalitatem causæ primæ: ergo neque materiale peccati. Causa n. prima est universalissima causa: ergo debet sua causalitate extendi ad omne id, quod habet entitatem physicam.

46. Ob. 1. Materiale peccati habet nexum indispēsabilem cum malitia: ergo Deus non potest illud causare, quin etiam causet malitiam. ¶ Resp. negando consequentiam, quia quando obiectum alicujus potentiæ, uel virtutis est identificatum cum alio, quod est extra lineā obiecti talis potentiæ uel virtutis, prædicta potentia siue virtus terminatur ad suum obiectum, non attingēdo illud aliud: Obiectum autem divinæ causalitatis est quidquid est bonum bonitate siue physica, siue morali: Ergo materiale peccati, quod est bonum bonitate physica, licèt sit identificatum cum malitia, attingitur à divina causalitate, absque eo quòd attingatur malitia. Sicut & si una, & eadem claudicatio procedat à tibia curva, & à virtute progressiva animalis; attamen in ratione motus fit à virtute progressiva, rectè tibiam curuam quantum est ex se mouente: at quoad defectum naturalem, quem habet, seu ut est claudicatio, procedit non à virtute progressiva, sed à tibia curva. Item si Pictor juxta regulas artis penicillo defectuoso depingeret, tunc pictura quoad id, quod est perfectionis, & artis in ea, procederet à Pictore; & quoad defectus artis ab ipso penicillo defectuoso, rectè tamen quantū est ex parte pictoris, & juxta regulas artis moto: Ergo idem dicendum est in nostro casu. Et Confirmatur ad hominem; quia in sententia aduersariorum Deus concurrit concursu simultaneo cum creatis ad materiale peccati, & nihilominus non attingit malitiam, licèt habeat indispensabilem nexum cum illa: ergo similiter poterit concurrere concursu prævio non obstante prędicto nexu cum malitia, absque eo quòd concurrat ad malitiam.

47. Ob. 2. Formale peccati est quid positiuum (est n. tendentia positiva uoluntatis ad obiectum dissonum rationi, ut ex D. Th. docent Salmanticenses tom. 4. tract. 13 disp. 6. dub. 3. & alii Thomistæ) & tamen non est causatum à Deo: ergo datur aliquod positiuum, quod subterfugit causalitatem causæ primæ ¶ Respondeo, positiuum illud, in quo consistit malitia peccati, posse considerari, uel quatenus ens est, & sic est à Deo: uel quatenus exprimit deformitatem, nempe tendentiam ad obiectum dissonum rationi; & hoc modo non causatur à Deo sed à voluntate creata provt est potentia defectibilis. Unde nullum datur positiuum, quod secūdum suam entitatem non sit à Deo.

48. Ob. 3 Ratio entis transcendit, & intrinsecè imbibitur in positivo illo ut dicit deformitatem: ergo non stat, Deum sua causalitate attingere positivam illam tendentiam secundùm rationem entis; & non secundùm rationem deformitatis ¶ Resp. quòd etiam ens transcendit uerum, & bonum, & tamen uoluntas attingit ens sub ratione boni, & non sub ratione ueri; & intellectus attingit ens sub ratione ueri, & non sub ratione boni. Satis ergo est, ut Deus attingēs in actu peccati totam rationem entis, non attingat rationem

malitiæ; quamvis ratio illa intrinsecè imbibatur in ista; quòd malitia ut talis non cadat sub obiecto divinæ omnipotentiæ, sub quo tamen continetur quidquid entitatis est.

49. Ob. 4. Formalitas illa malitiæ, si semel est positiva, quantumcumq; præscindatur, & sub quacumq; expressione sumatur, formalissime est ens, & exprimit ens; aliàs nihil exprimeret: ergo eo ipso quòd Deus attingit rationem entis, attingit etiá rationem malitiæ. ¶ Respondeo formalitatem malitiæ, ut stat sub hac præcisione, & conceptu, formalissime non exprimere ens, quamvis aliàs sit ens. Nec tamen propterea secundùm illam formalitatem exprimit nihil: sed exprimit positivam tendentiam ad obiectum dissonum, quæ est modus entis: in quo ipsummet ens per modum prædicati trascendétis intime imbibitur. Unde licèt Deus attingat totam entitatem formalitatis malitiæ, non tamen attingit ipsam malitiam in ratione malitiæ; quia attingit prędictam entitatem ut dicit munus proprium entitatis, seu hoc quod est, habere *esse*, præscindendo à modo habendi illud per modum tendentiæ ad obiectum dissonum. Uide Salmanticenses cit. disp. dub. 4. ubi hanc difficultatem optime expendunt.

DISPUTATIO XIII.

De causa instrumentali.

INstrumentum dicitur id, quo causa principalis utitur ad suum effectum producendum. Estque triplex, naturale, supernaturale, & artificiale. Solùm instruméta naturalia spectant ad physicam considerationem, nihilominus ob connexionem doctrinæ non nihil dicemus de supernaturalibus, & artificialibus.

DUBIUM PRIMUM.

An sit de ratione instrumenti agere ut motum à causa principali?

1. NON loquimur in præsenti de instrumentis, quæ sunt ipsa virtus proxima causæ principalis; solùmque supponunt virtutem radicalem in substantia, qualia sunt calor respectu productionis ignis, & semen respectû generationis animalis: hæc enim præter emanationem ab agente principali, non indigent aliquo superaddito, ut patet ex his, quæ diximus disp. præc. num. 21. Sed loquimur de instruméto physico, quod supponit in agente principali non solùm virtutem radicalem, sed etiam proximam agendi, deseruitque ipsi ad ejus operationem, & physice instrumentaliter ad illius effectum concurrit, ut baculus ad percutiendum, calamus ad scribendum, & similia. De hujusmodi igitur hpysicis instrumentis inquirimus, an ut ad effectum agentis principalis concurrant, indigeant aliqua prævia motione ipsius agentis principalis in ipsis instrumentis recepta, per quam ad sic instrumentaliter concurrendum eleventur?

2. Negant Aliqui extra Scholam S. Th. asserentes, instrumenta ista elevari ad producendum effectum agentis principalis per solam coniunctionem, aut subordinationem ad ipsum principale agens; aut per concursum simultaneum, qui est actio instrumenti provt simul procedit à causa principali. Ita Suarez disp. 17. met. sect. 2. & tom. 1. in 3. part. disp. 31. sect. 5.

3. Con-

3. Conclusio. Instrumenta, de quibus loquimur, ut ad effectum principalis agentis instrumentaliter concurrant, indigent ab ipso principali agente prævia aliqua motione, in ipsis recepta, per quam eleventur. Ita D. Th. 3. part. quæst. 62. art. 1. ubi sic ait: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur à principali agente* & art. 4. dicit: *Instrumentum non operatur, nisi inquantum motum à principali agente*. Unde hæc conclusio est communis inter Thomistas.

4. Pro ratione fundamentali noto primò, instrumentum respicere semper effectum perfectiorem se, seu ultra suam virtutem; ratio est, quia sola causa principalis operatur per virtutem, quæ adæquat effectum: ergo si instrumenta non respicerent effectum excedentem propriam virtutem, non concurrerent ut causa instrumentalis, sed principalis.

5. Noto secundò, omnia instrumenta indigere aliqua elevatione à causa principali: Et probatur, quia instrumenta attingunt effectum, qui excedit propriam virtutem, ut dictũ est: ergo de se sunt impotentia ad attingendum illum: ergo ut reddantur potentia indigent aliqua elevatione à causa principali; si n. non elevarentur, semper manerent impotentia.

6. Noto tertiò, hanc elevationem debere esse præviam, & intrinsecè receptam in instrumento. Primum probo: quia omnis actus secundus præsupponit actum primum: ergo non potest instrumentum in actu secundo producere effectũ causæ principalis, nisi prius in actu primo illum contineat: ergo cum contineat illum in actu primo per elevationem (per hanc n. redditur potens ad productionem illius) talis elevatio debet esse prævia. Ratio verò secundi est: quia effectus debet intrinsece præcontineri in causa: ergo si effectus causæ principalis cõtinetur in instrumento ratione elevationis, hæc debet esse intrinseca in illo.

7. Noto quartò, Instrumenta, quæ sunt virtutes causæ principalis, elevationem istam habere in principio suæ productionis, quia ut elevata emanant à causa principali, ut supra diximus loco citato. Alia verò, de quibus loquimur in præsenti, eam habere solum, quando actualiter sumuntur ad operandum.

8. His positis probatur conclusio. In instrumentis non est sufficiens virtus ad producendum effectum, nisi inquantum per virtutem principalis agentis ad illum elevantur, ut ostensum est: sed instrumenta, de quibus loquimur, elevari non possunt per solam extrinsecam subordinationem ad agens principale; neque per concursum simultaneum ipsius; neque per virtutem aliquam permanentem: ergo per solam actualem motionem (præter n. assignata nullum aliud, nisi prædicta motio excogitari potest) ac proinde ad hoc, ut agant, indigent prædicta motione. *Probatur minor quoad primam partem*. Elevatio instrumenti debet fieri per aliquid intrinsecum, & inherens in ipso instrumento (aliàs instrumentum non redderetur intrinsecè potens ad attingendũ effectum principalis agentis) sed per solam extrinsecam, subordinationem ad agens principale nihil intrinsece inhærens ponitur in instrumento: ergo instrumentum elevari non potest per dictam solam extrin-

trinsecam subordinationem; causa enim non immutata in se, non potest majorem effectum producere, quàm antea, cum careat principio à quo exire possit talis effectus. *Probatur eadem minor quoad secūdam partem.* Nam id, in ordine ad quod instrumentum indiget elevatione, non potest esse ipsa virtus, & elevatio: sed ad eliciendam actionem instrumentalem ut talem, v. g scissionem ut artificiosam, indiget serra elevatione artificis: ergo elevatio non potest esse prædicta actio, ut artificiosa, per quam cooperatur artifex cum instrumento. *Probatur denique tertia pars minoris.* Quia virtus instrumentorum de quibus loquimur, non habet radicem in ipsis instrumentis, cum non oriatur ex eorum naturis: ergo non erit quid permanens in illis, sed solū se habet per modum transeuntis.

9. Hæc ratio maximè urget in instrumētis respectu effectuum supernaturalium, in quibus nulla est virtus activa, quæ possit proxime concurrere cum Deo ad hujusmodi effectus; quia talis virtus si daretur, oporteret quòd sit proportionata ipsi effectui taliter, quòd sine alia supperaddita virtute ab illa exire possit talis effectus; aliàs non erit activa, sed passiva, & solùm capacitas quædam ut constituatur in virtute activi: ergo oportet, quòd habeat positivum ordinem, & proportionē cum tali effectu: ac proinde cum effectus sit supernaturalis, oportet quòd ipsa etiam sit supernaturalis: atqui implicat rebus naturalibus innatam esse virtutem supernaturalem, cum supernaturale dicatur id, quòd excedit totam naturam, estque illi indebitum: ergo.

10. Ob. 1. Uel instrumentum cum virtute intrinseca, quæ ei superadditur, est omnino proportionatum cū effectu, uel adhuc improportionatū, & inferius illo? Si primum, iam erit causa principalis; id n. quod habet virtutem omnino proportionatam, & æqualem cum effectu, est agens principale respectu illius, etiam si talem virtutem ab alio habeat; intellectus n. ut perfusus lumine gloriæ est causa principalis respectu visionis beatificæ, licèt habeat hoc lumen à Deo: & uoluntas est causa principalis respectu actus dilectionis, licèt illum eliciat per auxilium communicatum ab alio. Si verò secundum, ergo ut proportionatum fiat, indigebit alia motione, & sic in infinitum; vel egredietur effectus ab instrumento non proportionato, & sic ruitur fundamentum nostrum.

11. Respondeo, instrumentum cū virtute superaddita esse proportionatum cum effectu proportione ministeriali, non proportione omnimoda, quia sola causa principalis est, quæ debet esse omnino proportionata, id est, æqualis, uel majoris perfectionis cum effectu; non autem causa instrumentalis; quia sola causa principalis communicat effectui totā perfectionem; instrumentum verò solùm est id, quo mediante fit talis communicatio. Unde non sequitur, quòd indigeat ulteriori elevatione, quia cum virtus illa supraddita sit elevatio instrumenti, non est opus alia elevatione, sed sufficienter per eam constituitur potens intra limites causæ instrumentalis. Nec etiam sequitur, quòd sine virtute illa supraddita effectus egredi possit ab instrumēto, quia instrumentum ante illam virtutem non est elevatum, sed elevabile.

12. Ob. 2. Sacramenta, quæ sunt instrumenta physica productiva gratiæ,

tiæ, ut docent Thomistę 3. part. quęst. 62. non recipiunt virtutem, aut motionem aliquam ab agente principali: ergo neque instrumenta naturalia. Consequentia patet: quia ista majorem proportionem habent cum suis effectibus, quàm illa, cum sint ejusdē ordinis cum illis. Antecedens verò probatur, quia uel illa virtus esset corporea, uel spiritualis: non corporea, quia esset ita improportionata cum gratia, ac sunt ipsamet Sacramenta; nec spiritualis, quia accidēs spirituale nequit recipi in subiecto corporeo, quale est Sacramentum; Accidens n. proportionari debet subjecto: ergo si subiectum sit corporeum, debet accidens etiam esse corporeum.

13. Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, virtutem illam in Sacramentis receptam, esse entitative spiritualem, & virtualiter corpoream. Sicut enim non repugnat substantia spiritualis, virtualiter corporea, ut est anima rationalis, ita neque repugnat accidens spirituale, virtualiter corporeum. Et sicut illa recipitur in materia; ita istud recipi potest in subiecto corporeo. ¶ Uel Respondetur secundò cum aliis Thomistis, virtutem illam in Sacramentis receptam esse solùm spiritualem, & nullo modo corpoream; quia quamvis accidens spirituale ex sua natura permanens non possit recipi in subiecto corporeo, bene tamen accidens spirituale, ex natura sua transiēs, uiale, & incompletum, qualis est prędicta virtus, quæ transit cū ipsa operatione, ad quam datur. Sed magis placet prima solutio, quia forma non informat etiam uialiter, nisi communicando, & tribuendo propriam entitatem, consequenter debet esse proportionata subiecto, quod uialiter actuat, & informat: ergo si subiectum est corporeum, accidens uialiter actuans, & informans illud, debet esse corporeum si non formaliter, saltem virtualiter.

14. Ob. 3. Omnes causæ secundę præmouentur à causa prima: ergo etiam causa instrumentalis, cum sit uera causa secunda, & in suo influxu depēdens à Deo: sed præmotio causę primæ est efficax ad movendum causam secundam ad operationem: ergo instrumentum nō indigebit alia motione causæ secundæ principalis, ut concurrat instrumentaliter ad aliquē effectum.

15. Confirmatur, instrumentum, quod immediatè assumitur à Deo ad aliquem effectū, non pręmouetur ab ipso Deo duplici motione, altera generali, qua ut causa prima universalis præmouet quālibet causam secundā ad operandum: & altera particulari, qua ut causa particularis principalis alicuius effect⁹ assumit instrumentū, & pręmouet illud, ut ad talē effectum instrumentaliter concurrat: Non .n. uidetur qualiter talis duplex præmotio Dei in eodem instrumento sit cōpatibilis: Ergo si tale instrumentū cū sola generali Dei motione potest instrumentaliter cōcurrere ad aliquem effectum, cur simili generali Dei motione, & absque alia motione causę principalis, non poterit instrumentaliter concurrere ad alios effectus?

16. Resp. ad argumentū, Negando ultimā consequentiam; quia ut prec. disp. diximus, motio efficax, qua De⁹ quamlibet causam creatam mouet ad operandū, non præbet illi uirtutem aliquam operatiuā; sed quamlibet in suo ordine completè in actu primo constitutā applicat, & determinat ad indiuiduam, & singularē operationē.

In-

Instrumentum verò indiget motione causę principalis, ut per eā constituatur in ratione principii instrumentalis, & sic constitutū in actu primo per talem motionem, indiget alia motione causę primę, qua applicetur ad operandum.

17. Ad confirmationem dico, non esse inconveniens, quod cū Deus ut agens principale particulare absq; aliqua causa secunda principali aliquem producit effectū, & ad illum aliquod assumit instrumentū, duplici motione illud moueat, prius uidelicet ut tale agens principale particulare, ei tribuens uirtutem instrumentariā, per quā constituatur in actu primo, potēs instrumentaliter concurrere ad talem effectū; & deindè altera motione, qua tale instrumentū in actu primo constitutū media prima motione, ut causa uniuersalis applicet ad operandū. Vel si dicatur, unica tunc motione Deū tale instrumentum mouere, talis motio non erit similis motioni, qua causas secundas principales prēmouet ad operandū, quia his, ut diximus, per talē motionem non præbet, sed supponit earū virtutem operatiuam; per motionem autē, quā instrumentū ab ipso Deo ad aliquē effectū immediatè assumptum, prēmouet, si unicā tantum admittamus, & prębet ei virtutem instrumentariam, & illud applicat ad operationem.

18. Ob. 4. Non omnia instrumenta cōcurrunt ad effectus perfectiores seipsis secundùm se sumptis: ergo saltē illa ut ad tales effectus concurrant, non indigent aliqua speciali motione causę principalis, qua constituantur in actu primo in ordine ad tales effectus. Consequentia patet, quia quodlibet uidetur esse cōpletè in actu primo absque noua aliqua ei superaddita uirtute ad effectū, qui illud secūdū se sumptū non excedit in perfectione. Antecedens verò probatur; Nā cum quis utitur malleo ut instrumento ad faciendū clauum, talis malleus nec in esse entis naturalis, nec in esse entis artificialis, est minoris, imò potius majoris perfectionis, quā clauus medio illo faciendus: ergo hoc, & similia instrumenta concurrunt ad effectus nō perfectiores, sed qui sunt ęqualis, vel minoris perfectionis.

19. Resp. omnia in universū instrumenta indigere motione causę principalis, quia licet aliqua illorū (ut solū probat argumentū factum) materialiter, & in esse entis sint æqualis, vel maioris perfectionis cū effectibus, ad quos ut instrumenta assumūtur, semper tamen formaliter ut instrumenta, & ut assumpta à causa principali, sunt minoris perfectionis, quā effectus, ut docet D. Th. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. dicens: *Actio instrumēti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quā principale agens inducit: aliquando autē non, semper tamen pertingit ad aliquid, ultra id, quod cōpetit sibi secundū suam naturam, siuè illud sit ultima forma, siuè dispositio.* Undè licèt malleus in esse entis sit perfectior clauo, tamē in seipso secundū se non cōtinetur clauus ut speciali modo artificioso conficiendus, usq; dum per ipsam motionem artificis ei communicetur uirtus ad talem effectum sic artificiosè attingendum.

DUBIUM SECUNDUM

An sit de ratione instrumenti habere actionem prœuiam, & dispositiuam ad actionem principalis agentis?

20 Circa præsentem difficultatem est multa sententiarum narietas.

tas. Aliqui enim existimant, nō esse necessariū,& indispensabiliter requisitū, ad hoc ut aliquid assumatur ut instrumentū,& ut tale cōcurrat, quòd habeat propriam actionem, distinctā aliquo modo ab actione principalis agentis,& præviam ad illam. Ità Suarez tom. 1. in 3. part. disp 31. sect. 8. & plures suæ societatis; à quibus non recedunt Lorca 3. part. disp. 66. & è Thomistis Nugnus 3. part. quæst. 62. art. 1. difficult. 7. Māca hìc q. 7. dub. 4. & Lerma quæst. 16. concl. 3 dicentes, sufficere solā realē entitatē creaturę, ut assumi possit à Deo ut instrumentum ad effectus supernaturales.

21. Alii verò Thomistæ respectu omnium effectuum requirunt omnino necessariò in instrumento propriā actionem. Discrepant tamen in assignando quomodo actio instrumentalis distinguantur ab actione principalis agentis. Nam aliqui nolunt eam omninò distinctā, ut Ferrata 2. cont. gent. cap. 21. Nazarius 1. part. q. 45. art. 1. & Alvarez 3. part. disp. 66. Alii verò solùm formaliter, ut Cōplutenses in præsenti disp. 12. quæst. 2. Maillhat disp. 8. sect. 5. §. 2. & Ioannes à S. Th. q. 26. art. 4.

22. Rursus ex admittentibus prædictam actionem, aliqui asserunt, eam esse dispositivā ad actionē principalis agentis; Alii verò hoc negant. Quid autē inter hæc probabilius judicem; breviter dicam in sequentibus conclusionibus.

23. Prima conclusio. Ut instrumentum elevetur, requiritur quòd exerceat aliquam propriam actionem, ita quòd si omnino mortuum sit, seu carens omni actione, non poterit elevari. Ita D. Th. 2. cont. gent. cap. 21. art. 6. ubi dicit: *Omne agens instrumētale exequitur actionem principalis agentis, per aliquam actionē propriam, & naturalem sibi*. Et 3. p. q. 62. art. 1. ad 2. ait: *instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis, aliam autem habet actionē propriā, quæ competit sibi secundùm propriam formam; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercēdo actionem propriam: sicut securis scindendo facit lectum*. Et 1. p. q. 45. art. 5. probat, non posse dari instrumentum creationis, ex eo quia instrumentum non participat actionē principalis agētis, nisi inquantum per aliquid sibi proprium operatur ad effectū principalis agentis; Quod esse non potest in creatione, cum creatio sit ex nihilo, circa quod creatura non potest operari.

24. Prob. ratione fundamentali: Quia instrumentum est principium effectivum, à quo uerè egreditur effectus causæ principalis; atqui non esset hujusmodi, si nihil ageret virtute propria, sed virtute tantùm communicata à superiori agente; nam ita se haberet, sicut se habet aqua calefaciens ex calore ignis recepto: calefactio autem causata ab aqua calida, nō procedit ab aqua, sed à solo calore recepto in aqua: ergo. ¶ Cōfirmatur, ideo n. instrumentū dicitur elevari à principali agente, quia elevatur ejus virtus, quæ non erat sufficiens ad attingendum effectum, cum qua elevatione redditur sufficiens: ergo virtus instrumenti ut elevata, est quæ agit, non autem sola virtus communicata superioris agentis.

25. Ob. 1. in serra non datur virtus activa præter virtutem mouentis illā ad scindendum: ergo de ratione instrumenti non est, agere per virtutem propriam elevatam à superiori agente

te, sed per solam virtutem communicatam ab illo. Consequentia patet: Antecedēs verò probatur: quia serra in tantùm scindit, in quantùm est mota ab artifice: ergo nullam aliam virtutem habet, nisi eam motionem communicatam. ¶ Confirmatur quia uel hęc virtus esset quantitas serræ, & hæc non: quia quantitas non est forma activa, sed passiva. Uel gravitas, & hæc non: quia gravitas solummodo est principium motus deorsū; serra autem non scindit ex eo, quòd deorsum moveatur, alioquin si sursū moueretur, non scinderet. Uel deniq; esset durities, sed neque hæc, quia durities non est qualitas activa, sed resistitiva: Ergo cum nihil aliud assignari possit, dicendum est, in serra nō dari aliam virtutem ad scindendum præter illam moventis.

26. Respondeo negando antecedens. Ad probationē dico, quòd serra habet sufficientem virtutem ad scindendum, ob sui tamen impefectionem indiget, ut ab alio applicetur ad hunc effectum: unde respectu scissionis motio artificis non est virtus, sed tantùm applicatio virtutis. ¶ Ad cōfirmationem dico, figuram dentium esse virtutem activam propriā serræ, figura enim, & si non sit activa, producendo ui sua sibi simile, est tamen activa respectu diviosionis, & resolutionis continui: nam ut dicit D.Th. In gladio principium scindendi est acuties.

27. Ob 2 In Sacramentis, quæ cōsistunt in usu, qualis est Baptismus, ipsa actio, seu ablutio aquæ assumitur ut instrumentum ad producendā gratiam; & tamen nō habet aliquā actionem præuiam ab ipsa causat im; quādoquidem actio non est ex se activa alterius actionis: ergo de ratione instrumenti non est habere actionem pręuiam. ¶ Resq. negando consequētiam, nam ut benè notāt Complutēses loc. cit. nu.55. ex Nazario, cum actio dicat ordinem ad principium, à quo exit, eo ipso quod assumitur ut instrumentum, assumitur etiam principium ipsius, ac proindè instrumentum assumptum non erit sola actio, sed principium cū actione, seù principium agens: undè non est necesse ibi inueniri aliam actionem pręuiam, quia cum dicitur, instrumentum habere actionem præuiam, intelligitur, quando eam non inuoluit.

28. Secunda conclusio, Instrumētū respectu actionis præuiæ est causa principalis, nō instrumentalis. Prob. quia eam elicit propria uirtute, licèt aliquādo depēdenter à motione principalis agentis ut applicante: sed elicere actionem propria uirtute, est causę principalis: ergo.

29. Tertia conclusio, Actio ista præuia aliquādo est realiter distincta ab actione instrumentaria, aliquando verò solùm formaliter. *Prima pars* patet in ablutione aquæ, & productione gratiæ: illa n. quę est actio propria baptismi, realiter distinguitur ab ista, quæ est actio instrumentaria. *Secunda* verò in scissione, quæ ut sic cōsiderata, est propria actio securis, supra quam scissio ut artificiosa, quę est actio instrumentaria uirtute principalis agentis elicita, addit dumtaxat formalitatem artificiosæ.

30. Dices: Eadem actio nō potest esse præuia ad seipsā: ergo actio pręuia instrumenti nunquā potest identificari cum actione instrumentaria. ¶ Resp., eandem actionem secundum unam rationem spectatam posse esse præuiam ad seipsam secundùm aliam rationem consideratam, & sic scissio

ut

ut talis est præuia quodammodo ad seipsam ut artificiosam. Vndè concesso antecedente in sensu formali, negatur consequentia.

31. Quarta conclusio, Quando instrumentum assumitur ab agente naturali in ordine ad producendum aliquem effectum, secundùm id, quod est sibi proprium, debet dispositiuè operari ad talem effectum. Probatur quia aliàs frustra essent determinata instrumēta ad determinatos effectus. Si n. calor ex natura sua nō disponit ad producendum ignem; quare igitur magis assumitur calor tanquam instrumentum, quam frigus? quia ergo propria actio caloris, quę est calefactio, ex natura sua disponit ad productionem ignis: & propria actio calami, quæ est productio lineæ, ex natura sua disponit ad producendum literam, idcircò calor assumitur tanquam instrumentum ad producendū ignem, & calamus ad producendam literam.

32. Quinta conclusio, Instrumentum assumptū à Deo in ordine ad supernaturales effectus, secundùm id, quod est sibi proprium, nō operatur aliquid, quod dispositiuè se habeat ad talem effectum. Prob. quia dispositio debet habere aliquam proportionem cum effectu, ad quem disponit; aliàs non esset maior ratio, quarè calor sit dispositio ad ignem, & non frigus: sed res naturales nullam habent proportionem cum rebus supernaturalibus; ergo res naturales, quæ assumūtur à Deo ut instrumenta ad effectus supernaturales, secundùm id, quod est sibi proprium, nō operantur aliquid, quod dispositiuè se habeat ad illos. ¶ Confirmatur quia quantò excellentior est causa principalis, tantò minor requiritur dispositio ex parte instrumenti; ut patet in naturalibus, quoniam calamo minus præparato faciet unus meliorem literam, quàm alius: ergo causa principalis infinitæ uirtutis, quæ est Deus, nulla indiget dispositione ex parte instrumenti ad producendum effectum supernaturalem.

33. Ex dictis patet discrimen, quod uersatur inter Deū, & agentia creata, non consistere in hoc, quòd instrumenta Dei non requirant actionem præuiam; sed in hoc, quòd cū agentia creata sint limitatę uirtutis, indè est ut hoc ipso, quod indigeant instrumentis, indigent determinatis instrumentis propter actiones præuias eorum, accōmodatas ad effectū principalem. Cæterum Deus quocumq; instrumento uti potest ad effectū à se intentum, quia nullum instrumentū uirtute propria habet aliquid præuiū determinatum magis ad unum, quam ad alterum supernaturalem effectū.

34 Dices: Si instrumentum per id, quod est sibi propriū, nihil operatur in ordine ad effectus supernaturales: ergo ad hujusmodi effectus id, quod effectivè concurrit, est sola uirtus supernaturalis communicata à Deo, & nō uirtus propria instrumēti. ¶ Resp. quòd licèt instrumentū respectu effectus supernaturalis operetur solū per uirtutem diuinam à Deo cōmunicatam, non tamen est purū subiectum, quia radicaliter per uirtutem obediētialem activè influit in talem effectū. Ob istam enim rationem uisio beata activè non solū tribuitur lumini gloriæ, sed etiam intellectui; & calefactio solùm activè tribuitur calori, & non aquæ: quamuis tota vis, per quā intellectus uidet Deū, sit ipsum lumen gloriæ, sicut tota uis, per quam aqua calida calefacit, sit calor in ipsa receptus.

tus. Id autē quod dicimus de his causis principalibus, proportione seruata applicare possumus causis instrumētalibus. Ratio autem quare purū subiectum radicaliter non influat, benè tamen instrumentum, est, quia istud est activum, illud verò non.

35. Dices secundò, Ideò D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. negat, posse dari instrumentū creationis, quia instrumentū debet operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, quod in instrumento creationis non inuenitur, quia nullum præsupponit subiectū: ergo per D. Thomā de ratione instrumēti universaliter est, secundùm id, quod est sibi proprium, disponere ad effectū principalis agentis. ¶ Resp. quòd D. Th. non dixit, requiri ad instrumentum, quòd operetur aliquam dispositionem ad effectum principalis agētis, sed quòd dispositiuè operatur. In quo multi hallucinantur, ut benè obseruat Ioannes à S. Tho. loc. cit. §. *ad secundam instantiam respondetur.* putantes, idē esse, operari dispositivè, & operari dispositionem. Dico igitur instrumentum operari dispositivè ad actionem principalis agentis, quatenus per præuiam actionem fit capax, ut participet actionē Dei, seù (quod idem est) ut eleuetur, & eliciat actionem instrumentariam, & excellentiorem in uirtute Dei.

DISPVTATIO XIIII.
De Causa Finali.

DUBIUM PRIMUM.
Quid sit Finis.

1. Finis est *id, cuius gratia cætera fiunt*. Ita Arist. in hoc lib. cap. 3. tex. 31. quam definitionem omnes amplectuntur. Pro qua nota, quòd in fine duplex ratio, alia primaria, alia secundaria, invenitur: primaria ratio finis est, quòd sit propter se appetibilis; secundaria verò quòd sit propter quem alia desiderantur. Aristoteles autem in prædicta definitione per secundariam rationem, tanquam nobis notiorem, naturam finis explicuit.

2. Hinc habes, finem secundùm affectum operātis præstare iis, quę sunt ad finem; quia operans finem expetit, & amat propter se, media verò propter finem; propter quod autem unūquodque tale, & illud magis. ¶ Dixi *secundum affectum operantis*, quia si loquamur de perfectione entitatiua, media multoties prēstant ipsi fini; Deus n. ordinauit Incarnationem ad redemptionem generis humani, quę est minus perfecta unione hypostatica. Et iustus applicat aliquando orationes, & sacrificium, ut medium ad salutem corporalem amici, longè inferiorem excellentia sacrificij, & orationis. Neq; hoc est incōveniens, quia non est contra rationem boni amare illud secundùm perfectionem, quam continet: ergo si bonum prestantius habet, ut ejus positio conducat ad assecutionem boni honesti minus prēstantis, nulla ei fit iniuria, si expetatur prout cōducens ad illius assecutionē.

3. Dices, esse contra rectum ordinē, ut res minùs perfecta plùs ametur, quàm magis perfecta, quia amabilitas in excellentia perfectionis fundatur: ergo si finis plùs amatur, quā mediū, res perfectior amari nō potest ut medium ad rem minùs perfectam.

4. Sed hęc obiectio patitur manifestam instantiam: nam qui detestatur peccatum propter pęnas inferni, magis detestatur pęnas illas, quàm peccatū, quod est detestabilius pęna ęterna: & nihilominus laudabiliter

opera-

operatur, ut dicit Triden. sess. 6. can. 8. & sess. 14. cap. 4. ergo similiter poterit quis rectè amare quod est perfectius, in ordine ad assequendum id, quod non est tantę perfectionis, licèt plus amet minùs perfectum, quàm magis perfectum. Patet consequentia ex paritate rationis, quia utrobiq; eadem est ratio.

5. Ad obiectionem autem dico, rē prestantiorem altera mereri quidem de se, ut magis ametur, quàm minùs perfecta, nón tamen necessariò exigere hunc majorem amorē, ita ut peccet, uel faciat contra dictamen rationis, qui eam non magis amat, quia liberum unicuiq; est, posse cum indifferentia amare minus honestum relicto honestiori: undè si proponeretur alicui, quam nā ex duabus uirtutibus inequalibus uellet, & hic eligeret uirtutem minus perfectā, non peccaret, quamuis postponeret perfectam minus perfecte, alioquin esset damnandus, qui sciens se posse in uirginitate manere, uellet potius bonum coniugatum, quàm Virginitatis.

6. Queres primò, *Cuinam competat ratio finis?* Aliqui uolunt competere fini *cui*, & non fini *cujus*, quia finis strictè sumptus debet esse id, in quo ultimò sistit intentio agentis: atqui hec ultimò sistit in fine *cui*, non autē in fine *cujus*, nam finis *cujus* intenditur ab agente propter finem *cui*, & nō è contra: sanitas enim appetitur propter hominem, & non homo propter sanitatem: ergo finis *cui*, non autem finis *cujus*, est uerus & rigorosus finis.

7. Contraria tamen sententia tenēda est: nam intentio agentis nec in fine *cui*, separato à fine *cujus*, nec in fine *cujus*, separato à fine *cui*, sistit, sed in utroq; simul, quia agens non intēdit salutem secundùm se, sed in homine, seu ut est afficiens & perficiēs hominem; hoc autem coniunctum ex fine *cujus*, & fine *cui*, licèt sit finis totaliter intentus ab agente, constat tamē ex duplici ratione partiali quarum una est perfectio finis intenta, altera subiectum recipiens talem perfectionem. Nec ualet, quòd una ordinetur ad aliam, ut non sit finis, quia non ordinatur ut medium, sed ut perfectiuum ad suū perfectibile, quæ ordinatio non obest veræ & rigorosę rationi finis.

8. Secunda conclusio. Ratio finis propriè dicti convenit non solùm finibus ultimis, uerùm etiam intermediis. Et probatur quia ita se habet finis in practicis, sicut principium in speculativis: sed in speculativis ratio formalis principii nō solùm salvatur in primis principiis simpliciter, sed etiam in aliis intermediis: ergo ratio finis non solū solvatur in ultimo fine simpliciter, sed etiam in finibus intermediis. Probatur minor; nam ex hoc principio, *homo est rationalis*, infertur quòd sit admirativus; & ex hoc quòd *est admirativus*, infertur quòd sit risibilis; Ecce quod est cōclusio respectu primi, & præcedentis discursus, est principiū respectu subsequentis. Ergo non solùm primum principium est verum principium, & infert conclusionem, sed etiam quod est secundum & tertium. Ex quo planè deducitur, quòd non solùm finis ultimus, sed etiā intermedij sunt ueri fines, & mouent ad electionem mediorum.

9. Confirmatur, quia in caussis efficientibus subordinatio unius ad aliā in efficiendo, non tollit quò minùs illa, quę subordinata est, exerceat propriè rationem causę efficientis, ut

 patet

patet in causa secunda principali, quæ non agit, nisi cum subordinatione, & dependentia à causa prima: ergo neque obstabit similis subordinatio inter fines, ut is, qui alteri subordinatur in finalizzando, veram rationẽ finis exerceat. Unde sicut in causis secundis efficientibus esse *id à quo primò incipit motus*, non intelligitur absolutè, & simpliciter, sed in suo ordine; sic esse *id, cuius gratia cætera fiunt*, in causis finalibus intermediis, debet intelligi, non de omnibus, sed respective, & in suo ordine.

10. Quæres secũdò *An intermedia, quæ delectabilitatẽ, aut honestatem aliquam non exprimunt, respectu anteriorum mediorum exerceant rationem finis?* Intermedia sunt in duplici differentia, alia exprimunt aliquam honestatem, uel delectabilitatẽ, ratione cujus possunt per se appeti: alia verò præcisa utilitate ad aliud, nullam habent appetibilitatẽ, ut est potio amara medicinæ quæ præcisa utilitate ad assequẽdam sanitatem, nihil honesti, uel delectabilis habet, ratione cuius appeti possit. Et de his quærimus in præsenti, an respectu anteriorum mediorum exerceant rationem finis.

11. PP. Salmanticenses tom. 2. tract. 8. disp. 3. dub. 2. num. 22. affirmativè respondent, quorum ratio est: quia ad ueram, & formalem rationem finis sufficit, ut aliquid fiat gratia ipsius, seu propter illum appetatur: sed hoc habent intermedia, de quibus loquimur: ergo convenit illis uera ratio finis. Maior patet ex dictis. Minor verò probatur, quia collectio herbarum fit, & appetitur propter conficiendã potionem: & potio propter purgationem: purgatio propter extenuationem humorum: & sic de aliis: ergo, &c.

12. Negativa tamen sententia, quã tenent Martinez 1. 2. quæst. 1. art. 4. dub. 2. Montesinus disp. 2. quæst. 1. num. 24. & alii, magis nobis placet; Tum quia uidetur esse Aristotelis, & S. Thomę: nam Aristoteles lib. 1. magnorum moralium cap. 2. dicit: *Bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodũ sanitas quidẽ finis, et sanitatis causa* scilicet medicina, *neutiquam finis est*. Et 3. Ethic. c. 2. postquam divisit bonum in honestũ (quod absolute bonum appellat) iucundum seu delectabile, & utile, subdit: *quare fit, ut amabilia sint ipsum bonum, & iucundum ut fines* ubi sub ratione finis noluit comprahendere utilia, in quibus aliqua ratio honesti, uel delectabilis non reperitur, ut sunt intermedia, de quibus loquimur. Quod etiam docet S. Th. 1. Ethic. lect. 9. & 1. p. q. 5. art. 6. ad 2. his verbis: *Utilia dicuntur, quę non habent in se unde desiderantur, sed desiderantur ut sunt conducentia in alterum sicut sumptio medicinæ amaræ.* Tum etiam, quia est magis conformis rationi; ut enim aliquid exerceat rationem finis, debet in se habere aliquam bonitatem honestam uel delectabilẽ, ratione cujus appetatur propter se: nã bonitas utilis non propter se, sed propter aliud desideratur: ergo si intermedia, de quibus loquimur, nullam bonitatem honestam, uel delectabilem in se habẽt, sed tantũ bonitatem utilẽ, non possunt respectu anteriorum mediorum exercere rationem finis.

13. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondeo, quòd licet unum intermediũ moueat ad appetendum aliud, ut attenuatio humorum ad sumendam potionem, non tamen id præstat ratione sui, aut in virtute propria, sed ratione, & in virtute

tute finis principalis intenti, scilicèt sanitatis. Et ideo non tàm dicendū est causa, ut aliud fiat propter ipsum, quàm ut fiat propter principalem finem: unde propriè loquendo prædictum intermedium non se habet ut finis, sed ut medium. Sicut cum agens principale ad eundem effectum præstandum assumit plura instrumenta, & medio uno mouet aliud, ut cum medio ligno movet securim ad scindendum, non id circo aliquod ex prędictis instrumētis efficitur causa principalis, uel amittit rationem instrumenti, quia licèt unum moueat aliud, non id præstat in virtute propria, sed in virtute agētis principalis. Ita ergo proportione seruata philosophandū est de intermediis, in quibus nulla propria honestas, uel delectabilitas reperitur.

DUBIUM TERTUIM.

Vtrum finis sit causa realis? & per quid constituatur in actu primo ad causandum?

14. PRima conclusio Finis est uera causa realis. Est communis inter Philosophos. Et probatur quia omne illud, à quo uerè, & realiter pendet effectus, dicitur uera, & realis causa illius: sed unumquodque uerè & realiter pendet à fine; nam unumquodq; uerè pendet ab illo cuius gratia fieri dicitur, maxime ea, quæ fiunt ab agentibus, quæ non casu, & temere, sed gratia alicuius finis intenti petunt agere: ergo finis est uera causa realis effectus.

15. Ob. 1. De ratione causæ realis est, quòd influat realiter in effectum: atqui finis non est huiusmodi: ergo non est causa realis. Probatur minor, Quod non est à parte rei, nō potest realiter influere in effectum: sed finis non semper est à parte rei, quādo mouet, & allicit agens ad operandum, ut constat in infirmo sumente potionem propter sanitatem: ergo. ¶ Respondeo negando minorem; & ad probationem distinguo majorem: quod non est à parte rei, non potest realiter influere per ueram actionem à se elicitam, concedo: quod non est à parte rei, existit tamē in apprehensione, nequit influere mouendo, & alliciendo, nego: hoc autem posterius competit fini, & est eius causalitas, ut patebit ex dicendis.

16. Ob. 2. Causa realis dicit relationem realem ad effectum: atqui finis hoc non habet, quia dum causat, non est existens: ergo finis non est causa realis. ¶ Respondeo primò, negando majorem uniuersaliter intellectam, Deus n. est uera causa efficiens creaturarū, ad eas tamen realiter prædicamentaliter non refertur. Tunc igitur causa realis dicit ordinem prędicamentalem ad effectum, quando utrumq; extremum est existens, & adsunt cæterę conditiones. ¶ Resp. secundò, admissa majore, nego minorem; finis n. dum mouet, & allicit affectum, uerè, & realiter existit existentia ad suam causalitatem exercendam requisita, nimirum intentionali.

17. Secunda conclusio. Sola bonitas est virtus, per quam finis finalizzat, seu constituitur in actu primo ad finalizzandum. Ita D. Th. 1.2.q.1. art. 1. & lib. 3. cont. gent. c. 2. & 3. quem sequūtur omnes eius discipuli, aliique multi. Probatur ratione: illa est virtus causæ finalis per quam finis finalizzat seu allicit uoluntatem, & eam trahit ad sui amórem: atqui solùmmodo bonum allicit, & trahit uolun-

uoluntatẽ ad sui amorẽ: ergo sola bonitas est id, per quod finis finalizzat. Prob. minor, malũ ut malũ nõ potest uoluntati proponi ut conueniens: atqui nihil potest uoluntatem allicere, & eam ad sui amorem trahere, nisi id, quod ei ut conueniens proponitur: ergo solum bonum est id, quod allicit uoluntatem, & eam ad sui amorem trahit. ¶ Confirmatur non minus repugnat malum ut malum intẽtioni, quam iuutile ut inutile electioni: sed impossibile est, quòd uoluntas eligat aliquid ut medium, quod nullo pacto conducit ad consecutionem finis: ergo similiter impossibile est, quòd feratur in aliquid ut in finem, quod in se malum est, & disconueniens ipsi uoluntati. ¶ Confirmatur secundò: quia uoluntas sequitur ductum intellectus: sed intellectus nõ potest iudicare, malum ut malum habere unde ametur; & iuutile ut inutile habere unde eligatur; aliàs iudicaret assentiendo falso, quod implicat: ergo uoluntas non potest uelle id, quod malum est, neque eligere id, quòd est inutile.

18. Contrariam sententiam tenet Scotus in 1. dist. 1. q. 4. & in 2. dist. 43. q. 2. Cuius fundamentum est: quia damnati, & qui se occidunt, appetunt non esse: sed non esse non habet rationem boni: ergo non solùm bonũ, sed etiam malum potest habere rationem finis. ¶ Resp. quòd licèt non esse re uera sit malum, nihilominus à damnatis, & ab eis, qui se occidunt, apprehenditur ut bonum, & ut bonum illud appetunt, quatenus scilicet non esse habet annexam carentiam propriarum miseriarum, in quibus sunt: & iudicant melius esse non habere esse, quàm pati illas miserias: unde id, quod finalizat non est malũ ut malum, sed malum sub ratione boni.

19. Tertia conclusio. Bonum, quod est virtus causæ finalis, seu id, per quod finis finalizat, debet esse uerũ, & non fictum. Et probatur, quia finis est causa realis, ut ostensum est: ergo id, per quod finalizat, debet esse aliquid reale, quia influxus realis nõ nisi ab aliquo reali oriri potest: sed boni ficta non est quid reale: ergo non potest habere rationem finis.

20. Dices: D. Th. 1. 2. q. 8. art. 1. dicit: *Ad hoc, quòd uoluntas in aliquid tendat, non requiritur quòd sit bonum in rei ueritate, sed quòd apprehendatur in ratione boni: & propter hoc Philosophus dicit in 2. physic. quòd finis est bonum, uel apparens bonum*: Ergo in sententia S. Th. non solùm uerum bonum, sed etiam bonum apparens potest habere rationem finis. ¶ Respondeo notando prius, quòd bonum uerum dicit duo, nempe realem bonitatem, & quòd talis realis bonitas re uera sit in subiecto. Bonum verò apparens è contra dicit, uel bonitatem fictam, uel bonitatem realem in subiecto, in quo re uera talis bonitas nõ est. Hoc posito dico, quòd in hoc posteriori sensu S. Thomas cum Philosopho dixit, uoluntatem tendere posse in bonum apparens, quod nos non negamus, quia tunc fictio non est in bonitate, quæ mouet, sed in applicatione bonitatis ad rem, in qua re uera bonitas nõ reperitur. Nostra autem cõclusio intelligitur de bonitate ficta primo modo, ut patet ex eius probatione.

21. Quarta conclusio Bonum ut mouère possit voluntatẽm, debet esse cognitum ab intellectu. Est S. Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. ubi dicit: *rem prorsus ignotam amare omni-*

omnino nullus potest. Probatur ratione: quia uoluntas nihil est aliud, quàm inclinatio in bonum sibi conveniens: ergo ut bonum prosequi possit, debet ipsi proponi ut conveniens: atqui hoc fieri non potest, nisi à potentia cognoscitiva (ipsa n. uoluntas est potētia cæca, & non cognoscit quod sit sibi conveniens, uel disconveniens) ergo bonum ut moueat uoluntatem, debet esse cognitum ab intellectu.

22. Qua autem cognitione cognosci debeat, ut moueat uoluntatem? Discrepant Auctores. Aliqui enim uolunt, sufficere puram apprehensionem; Alii verò asserunt, requiri iudicium; Alii denique dicunt, simplicem appehensionem aliquando sufficere, aliquando verò non, sed requiri iudicium, ut uoluntas operetur. Et hi melius loquuntur; cum quibus dico, ad actum uoluntatis, in quo voluntas agit propter finem, requiri iudicium ex parte intellectus: ad actus verò, in quibus uoluntas non agit, sed agitur, sufficere solam apprehentionem obiecti convenientis sine iudicio. Hoc secundum probatur hac ratione; sola apprehensio boni convenientis, aut disconvenientis, quæ fit per sensum, sufficit in nobis, & in brutis, ut appetitus amet, aut odio habeat id, quod proponitur, ut in omnibus manifestum est: ergo sufficiet etiam sola simplex apprehensio obiecti per intellectum, ut uoluntas illud amet, aut odio habeat: neque n. minus potens est obiectum intelligibile simpliciter apprehensum per intellectum, ut alliciat uoluntatem, quàm obiectum sensibile, ut per simplicem etiam apprehensionem attrahat appetitum. ¶ Primum verò probatur; quia agere se in finē, seu agere propter finem, nihil est aliud, quàm quòd uoluntas feratur non tantum in finem conuenientem, sed etiam in ipsam conuenientiam finis: nam ideo bruta aguntur in finem, & non se agunt in finem, nec propter finem operantur, quia licèt cognoscant rē, quę est finis, esse conuenientem, tamen non cognoscunt cōuenientiam ipsam. Ergo debet intellectus cognoscere non tantùm finem convenientem, sed etiam convenientiam finis: atqui hæc sine iudicio cognosci non potest: ergo. Uide ea, quæ dicemus infra dubio ultimo.

23. Quinta conclusio, Quamuis bonum debeat esse cognitum, seù apprehensum, ut moueat uoluntatem, tamen ratio formalis finalizzandi nō est apprehēsio bonitatis, sed bonitas ipsa apprehensa. Ità cōmuniter Discipuli D.Th. Caiet. 1.2 q.1. art.1. Ferrara 1. cont. gent. c.44. §. *sciendum secundo*. Sotus 2. physic. q. 3. §. *causa finalis*. Compl. disp.14.q.4. Ioannes à S.Th. q.13. art.1. Manca q.9.dub.3. Lerma q. 18. & alii, uno uel altero excepto. Prob. ratione: quia illa est ratio formalis finalizandi, per quam finis allicit uoluntatem & eam ad sui amorem trahit, ut diximus; sed hęc est bonitas realis ipsius finis, nō verò ejus apprehensio (quod n. allicit uoluntatem infirmi, & ad sui amorem trahit, est sanitas ipsa, non apprehensio sanitatis: neq; propter sanitatem, ut apprehensam sumit potionem amarā, sed propter illam secundū suū esse reale) ergo bonitas finis, non ejus apprehensio, est ratio formalis finalizandi. ¶ Confirmatur, quia finis formaliter finalizat per id, per quod cum obtinetur, satiat appetitum: atqui hoc non cōuenit fini secundū esse intentionale, sed secundùm esse reale, quia secundùm esse intentionale, potius acuit desi-

desiderium, quā compleat: ergo esse reale, non esse intentionale, est id per quod finis finalizat.

24. Dices cùm Medina & aliis, bonitatē realē finis esse rationē formalem *qua* uoluntatem mouet, apprehēsionem verò esse rationem formalem *sub qua* mouet, & finalizat. ¶ Sed contra est. *Primò*, quia D.Th. q.22. de verit. art. 4. ad 1. dicit, diuersitatem apprehensionum non directè, sed ex consequenti indicare distinctionem uirium appetitiuarum: sed si apprehensio esset ratio *sub qua* obiecti uirivm appetitivarum, nō ex consequenti, sed directè diversitas apprehensionum conduceret adhoc, ut tales uires distinguerētur, quia diversitas cujvscumq; potentiæ directè ex diversitate rationis formalis *sub qua* sui objecti desumitur: ergo in sentētia S. Th apprehensio non est ratio formalis *sub qua* finis movet, & finalizat. ¶ *Secundò*, quia illa est ratio formalis *sub qua* finis mouet, quę est ratio formalis *sub qua* obiecti uoluntatis; huiusmodi autē est bonitas, fertur n. uoluntas in suum obiectū sub formali ratione boni, ut omnes cōcedunt: ergo cognitio non potest esse ratio formalis *sub qua* finis mouet, & finalizat. Cōfirmatur; quia ratio formalis *sub qua* determinativa boni, & appetibilis, debet esse intra eandē lineam appetibilitatis: sicut lux, quæ est ratio formalis *sub qua* determinativa coloris, est in eadem linea uisibilitatis: apprehensio autē pertinet ad lienā manifestativī, & cognoscibilis: ergo nō potest esse ratio formalis *sub qua* determinativa boni. ¶ Et *tertiò*, quia si apprehēsio finis esset ratio formalis *sub qua* ille terminat, & mouet appetitū, sequeretvr Charitatem uię & patriæ esse formaliter distinctas: Consequens autem adversari uidetur Apostolo 1.Corinth.13. dicenti, quòd charitas nunquam excidit, neq; euacuabitur: quòd quidem nō esset uerū, si eadē formaliter, quæ est in uia, non maneret in patria, sed alius formaliter distinctus ei succederet amor. Sicuti quia non eadē formaliter in uia, & in patria manet cognitio fidei, sed alia distincta succedit, fides excidit, & euacuatur: ergo apprehensio non est ratio formalis *sub qua* finis, seù bonū movet uoluntatē. Sequela prob. quia uariata tatione formali *sub qua* alicui obiecti, ipsū obiectum formaliter uariatur: ac proindè actus ad ipsum sub tali ratione formali terminatus, necesse est quòd formaliter sit distinct⁹: ergo si ratio formalis *sub qua* obiecti uoluntatis esset apprehensio, illa formaliter nariata, sicut uariatur apprehensio, & cognitio, qua in uia, & in patria cognoscitur Deus, & uoluniati proponitur, ipsi etiam actus amoris, & charitatis uię, & patriæ formaliter distinguerentur.

27. Contrariam sententiā defendit inter alios Mag. Medina 1.2.q.1.ar.1. Cujus pręcipvum fundamentum est: quia plures actus eiusdē potentię appetitivæ uersantes circa idē obiectū, diversificantur formaliter per solam diversam apprehensionem: sed diversitas formalis actus oritur à diversitate formali obiecti: ergo apprehensio in fine non erit conditio, sed ratio formalis illivs. Prob. minor, idemmet bonum apprehensum, ut pręsens causat gaudium; & apprehensum, ut absens, causat desiderium: rursus idemmet malum apprehensum, ut præsens, causat tristitiam; & apprehensum, ut absens, causat timorem: atqui hi sunt actus formaliter diversi: ergo plures actus ejusdē potentiæ appetitivę uersantes

ſantes circa idem objectum, diverſificantur formaliter per ſolam diverſitatem apprehenſionum. ¶ Confirmatur, objectum in ſe honeſtũ, ſi apprehendatur, ut inhoneſtum, actus, qui circa tale objectum verſatur, erit inhoneſtus: è contra verò objectũ inhoneſtũ ſi ut honeſtũ invincibiliter exiſtimetur, tunc actus verſans circa illud erit moraliter honeſtus: ergo apprehenſio, non autem bonitas variat ſpeciem actuum appetitus.

28. Reſpondeo ad argumentum negando majorem, quia licèt apprehenſio illa diverſa, quatenus diverſũ applicat objectum, ſit cauſa & radix diverſitatis talium actuum, tamen illi non per talem diverſam apprehẽſionem, ſed per diverſum objectum apprehenſum formaliter diverſificãtur: Nam cum objectum appetitus non ſit bonum traſcendentale, ſed ut relatum ad ipſũ appetitum per modũ illi convenientis; & diverſam convenientiam ad appetitum habeat bonũ pręſẽs, & abſens: quãvis illud in eſſe boni trãſcẽdẽtalis ſit idẽ, in eſſe boni relati eſt diverſũ. Undè cũ potentia apprehenſiva idẽ bonũ ut abſens, vel ut pręſens appetitui proponit, non ſolũ eſt diverſa propoſitio & apprehenſio, ſed etiam diverſum bonum relatum propoſitum & apprehẽſum: & ex tali illius diverſitate, non autẽ ex diverſa apprehenſione prædicti actus appetitus formalitèr diverſificantur. Et idem dico de malo, quod cùm ſit objectum fugę appetitus nõ abſolutè ut malum, ſed ut malum ad ipſum appetitum per modum ei diſconvenientis relatũ, & diverſam diſconvenientiam habet malũ pręſens, ac abſens, cum idem abſolutè malũ ut pręſens, vel ut abſens appetitui proponitur; non ſolũ diverſa intervenit propoſitio; ſed etiã diverſa malitia relativè in obiecto propoſito, à qua diverſi formalitèr actus triſtitię & timoris formalitèr diverſificantur.

29. Ad confirmationem conceſſo antecedente, diſtinguo cõſequens: & ſi ſenſus ſit, quòd aprehenſio pręſtet per ſe primò talem diſtinctionẽ ſpecificam, nego: ſi verò ſenſus ſit, quòd illam pręſtet tantùm ut applicans diverſum objectum formale, cõcedo. Dico itaq; quòd prædicta cognitio concurrit per modum applicantis & proponentis voluntati bonitatem objecti: ac proinde ſi diverſam bonitatem applicat, & proponit voluntati, variat rationem formalem finalizandi: unde cum quis invincibiliter ignorat, aliquẽ actum eſſe peccaminoſum, & illum ob honeſtũ finẽ exercet, tunc talis actus erit bonus, nõ formaliſſimè ratione apprehenſionis, ſed quia mediãte illa proponitur operanti diverſa ratio boni, quæ formaliter actum illud ſpecificat.

DUBIUM TERTIUM

Quænam ſit cauſalitas finis?

30. Omnes conveniunt, cauſalitatẽ finis vocandam eſſe motionẽ metaphoricã, quod colligitur ex Ariſt. 1. de generat. c. 7. tex. 55. Difficultas eſt, quid ſit verè, & propriè illud, quod metaphoricè vocatur motio in cauſalitate finis? & ſupponimus, quòd ſit vera, & realis cauſalitas, quia eſt cauſalitas veræ, & realis cauſæ, licèt ſit metaphoricè motio. Sicut enim Chriſtus dicitur leo metaphoricè propter fortitudinem, nõ quia ſit in eo metaphoricè fortitudo, ſed eſt metaphoricè leonina, verè tamen divina. Et pratus metaphoricè dicitur ridens propter amenitatem, non quia in illo non

P ſit

sit vera, & propria amenitas, sed quia amenitas metaphoricè est risus ita similiter causalitas finis metaphoricè dicitur motio, sed non metaphoricè est causalitas.

31. Hoc posito, Circa præsentem difficultatem est triplex opinio. Prima asserit, motionem hanc metaphoricam, in qua causalitas finis consistit, nihil aliud esse, nisi actionem ipsam agentis quatenus est propter finem. Verùm hæc opinio non videtur probabilis; quia ideo voluntas efficiēter elicit talem actum, quia ad illius elicientiam est mota, & excitata à fine: ergo priùs intelligitur, finē exercuisse suam causalitatem erga voluntatem, quàm quòd talis actus eliciatur à voluntate: ac proindè causalitas in illo consistere non potest.

32. Secunda verò opinio dicit, motionem hanc metaphoricā consistere in ostensione illa, per quam finis suā bonitatem præsentem exhibet volūtati. Sed neq; ista opinio placet: quia ostensio bonitatis solùm pertinet ad actum primum, & per eam finis non constituitur in actu secundo causans: atqui causalitas constituit causam in actu secundo causantem: ergo ostensio bonitatis non potest esse causalitas finis.

33. Tertia deniq; opinio docet, hāc causalitatem consistere in allicientia, & excitatione voluntatis à bonitate finis. Ita tenet inter alios Magister Lerma hìc q. 19. Quæ sententia mihi videtur probabilior. Et prob. quia illud est causalitas cujuslibet causæ, quod supponit illā in actu primo cōpletè constitutam ad causandum, & mediat inter ipsam sic constitutam, & illius effectum: sed excitatio ista, & motio voluntatis à fine, mediat inter ipsum finem in actu primo constitutum ad causandum, & illius effectū: ergo est causalitas ipsius finis. Maior est certa, & admittitur ab omnibus; actio n. quæ est causalitas causæ efficientis, supponit illam constitutam in actu primo, & præcedit illius effectū, mediatq; inter utrūque. Minor verò prob., quia causa finalis constituitur in actu primo ad causandum per suā bonitatem, & applicatur per apprehensionē; sed utrumq; istud hęc motio, & excitatio voluntatis à fine supponit: ideo n. finis movet voluntatē, quia habet bonitatem, & applicatur per aprehensionem intellectus: ergo talis motio, & excitatio voluntatis supponit finem in actu primo cōstitutum ad causandum, imo & applicatum ut causet. Quod autem talis motio ipsum effectum finis præcedat (quod est altera pars minoris) probatur. Quia primus effectus finis est actus voluntatis, quo voluntas appetit ipsum finem: sed hunc talis motio, & excitatio præcedit; ideo n. voluntas appetit finem, quia ad illum appetendum est mota, & excitata ab ipso fine: ergo talis motio voluntatis præcedit effectum finis.

34. Confirmatur quia non potest negari, quòd præter ipsum actum voluntatis, quo appetit finem, intelligatur aliqua motio, & excitatio voluntatis ad talem actum eliciendum, quia ad illius elicientiam est mota, & excitata: Etiam non potest negari, quòd talis motio pertineat ad causā finalem: sed non pertinet ad actum primum causandi, cum omnino cōpletum illum supponat: nec pertinet ad effectum ipsius causæ finalis, nisi lato modo, qualiter causalitas cujuscumque causæ potest aliqualiter dici effectus illius: ergo pertinet ad causā finalem tanquam causalitas illius.

35. Pro

35. Pro majori intelligentia hujus sententiæ noto, quòd hæc allicientia, & excitatio non consistit in impressione alicujus esse intentionalis ab ipso fine in voluntate, antecedenter ad omnem ejus actum, ratione cuius voluntas postea aliquid propter finẽ operatur; ut vult Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 12. §. *alterum argumentum*. Et ratio est: quia impressio hujus esse intentionalis si daretur, esset à fine in genere causæ efficientis, & non finalis; nam ab aliquo deberet efficienter procedere: nõ à voluntate, quia illa impressio antecedit omnem ejus actum: ergo à fine; ac proinde non potest esse causalitas finis. Sed propter simpathiam, quæ est inter voluntatem, & bonum conveniens, eo ipso quòd aliqua bonitas ut conveniens ab intellectu ipsi voluntati proponitur, ipsa voluntas excitatur, & movetur ad illam appetendam: & hæc moralis excitatio, est in qua consistit causalitas finis. Itaq; bonitas efficienter cognita pertinet ad actum primum, actualis verò attractio, quæ in posteriori naturæ requitur, pertinet ad actum secundũ. Et priùs intelligitur bonitas proposita ut conveniens, quàm, ut moraliter trahens voluntatem ad se.

36. Dices: Non potest dari causalitas alicujus causę absque eo quòd detur effectus illius: sed potest dari motio, & excitatio voluntatis à fine, absque eo quòd detur aliquis effectus actus scilicet voluntatis: ergo in tali motione causalitas finis cõsistere nõ potest. Major patet; minor verò probatur; quia adhuc posita tali motione & excitatione volũtatis à fine, potest Deus suspendere suum concursum, ne voluntas exeat in actum amoris: in tali autem casu daretur motio finis sine effectu in voluntate. ¶ Resp. quòd semper ac adest motio, & excitatio voluntatis à fine, voluntas aliquem actum efficacem, vel inefficacem habet circa finem, ut experientia quisque agnoscere potest: & si nullũ elicit, est quia re vera finis, quantumvis ex se voluntati propositus, potẽs sit illam movere, defacto tamen propter ipsius voluntatis indispositionẽ, & duritiem, aut illius ad aliud objectũ contrariam inclinationem, nullatenus illam mouet, aut excitat. Unde concessa maiori, negatur minor naturaliter loquendo; & adprobationẽ posito casu illo supernaturali dico, quod immediatus effectus causalitatis finis non est actus voluntatis, sed motio passiva ipsius voluntatis; hic autem semper datur, nam implicat in terminis, quòd bonitas finis excitet, & moveat voluntatem, & quòd hæc non sit mota, & excitata ab illa. Alias objectiones invenies apud Lermam, quas optimè solvit.

DUBIUM QUARTUM

Quos actus voluntatis finalizet finis?

37. Aliqui dicunt, solùm actus, qui versantur circa media, finalizari à fine. Alii è contra sentiũt, non solùm actus, qui versantur circa media, sed etiam qui versantur circa finem, esse effectus finis. Ut autem dirversitas ista sententiarum intelligatur, & punctus difficultatis percipiatur, sciendum est, sex actus elici à voluntate, tres versantes circa finẽ, & sunt volitio seu amor, intentio, & fruitio: & tres versantes circa media, & sunt electio, consensus, & usus. Dicit ergo prima sententia, solũ actus illos immediatè versãtes circa media, esse propter finem, & non alios. Ita

tenent Ferrara 1. cont. gent. c. 75. Zumel 1. part quæst.5.art. 4. disp. 2. Bannez 1.part.q. 80. art.2. Soccin.5. met. q.2 .& alii. Probant *primò*,quia D. Th. in 3. dist.27.q.1. art.1.dicit, amorem esse principiũ omniũ actionum, quæ fiunt propter finem: ergo ipse amor non est propter finẽ, aliàs esset principium sui ipsius. *Secundò*, quia finis est *id, cuius gratia cætera fiunt:* particula autem illa *cujus gratia* idem significat, ac *cujus amore:*& ita denotat, illa solùm fieri propter finem, seu gratia finis, quæ fiunt ex amore ipsius finis: atque adeo, quæ prædictum amorem præsupponunt: ergo idem amor non fit gratia finis, neque propter finem. Et *tertiò*,quia fruitio versatur circa finem jam consequutum: ergo nequit esse effectus finis, seu propter finem; causalitas n. finis consistit in motione, & attractione: essequuto verò fine, cessat omnis motio, & animus quiescit.

38. Secunda verò sententia docet, omnes prædictos sex volũtatis actus esse effectus finis, seu propter finem. Ita Capreolus in 1. dist. 1.q. 1. ad 5. contra concl.5. Alvares 1. 2.disp. 2. Montesinus disp. 1. q.6. Curiel art. 1. dub. 2. §. 4. Martinez art. 2. dub. 1. conclusione 6. Serra art. 1.dub.2. Joannes à S. Th 2. physic. q. 13. art. 3. Suarez disp. 23. met. sect. 3. Salmanticenses tom. 3.tract.3. disp.2.dub.2. Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 2. tract. 1. disp. 2. dub. 3. Gabriel à S. Vincenzo 1.2.disp.1.dub.6. Complutenses 2. physic. disp.14. nu. 44. & plures alii. Cui sententiæ me subscribo. ¶ Ratio fundamentalis est: quia omnes actus alicujus potentiæ procedere debent ab illa secundùm rationem formalem sui objecti: atqui objectum formale volũtatis est finis: ergo omnes actus à voluntate eliciti debẽt esse propter finẽ. Maior patet, quia nulla potẽtia operari potest extra suum objectum formale. Minor verò probatur,quia quælibet potentia per se primò respicit suum objectum formale, à quo sumit suam specificationem, & essentiam: atqui voluntas per se primò respicit finem; Media n. non respicit, nisi ratione finis: ergo finis est obiectum formale voluntatis. Hanc rationem expresse habet S. Th. 1. 2. q. 1. art. 1. in corp. ubi sic ait. *manifestum est, quod omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundùm rationem sui objecti: objectum autem voluntatis est finis.*

39. Dices: si hæc ratio esset efficax, concluderet etiam actiones indeliberatas voluntatis esse propter finem: nam etiã hujusmodi actiones debent ab illa exerceri secundùm rationem sui objecti. ¶ Respondeo, negando antecedens, quia finis formaliter ut finis, solùm est objectum voluntatis humano modo operantis; actiones autem indeliberatæ non procedunt à voluntate humano modo operante, & ideo non sunt propter finem.

40. Restat ut respondeamus argumentis primæ sententiæ. Et ad *primùm* dico, quòd in illo loco D. Th. loquitur de ordine actionũ, quæ fiunt propter finem, & asserit quòd prima sit simplex amor, quæ est principium & causa, ut cæteræ omnes propter finem exerceãtur, eo quod finis ad illas non movet, nisi ut prius amatus. In quo nullatenus negat, quòd ipse amor etiam sit propter finem. ¶ Ad *secundum* respondetur, prędictam definitionem traditam fuisse ab Aristotnon per id, quod est primariũ in fine, sed per id, quod in illo est secundariũ,

ut

ut supra nôtavimus. Primaria autē ratio finis est, quòd sit appetibilis propter se, seu propter suam bonitatem: & etiā amor tendit in finē propter bonitatem ipsius finis (voluntas n. movetur à bonitate finis ad illum volēdum, seu amandū) quare ex vi prædictę definitionis nō potest concludi, actus, quibus immediatè finis appetitur, nō esse ejus effectus. ¶ Ad *tertiū* denique negatur consequentia, & ad probationem dico, assecuto fine, cessare motum desiderii, & quiescere animū ab hoc motu, non tamen ab actu, & motu perfecto, qui est fruitio, vel complacentia de fine iam adepto.

41. Queres: Utrum finis exerceat suam causalitatem circa actus imperatos? Actus imperati sunt illi, qui ab aliis potentiis ex imperio voluntatis exercentur; quærimus ergo in præsenti, utrum finis circa hos actus exerceat suam causalitatem? Negant aliqui, quia potentiæ, à quibus actus isti eliciuntur, non habent pro objecto finem sub ratione finis; quia finis sub ratione finis solùm est objectum voluntatis: ergo non possunt esse propter finem.

42. Sed contraria sententia tenenda est: quia objectum uoluntatis humano modo operantis, est finis secūdùm quòd exercet rationem finis, ut diximus: ergo repugnat, aliquē actū humanum ab illa, sive elicitivè, sive imperativè procedere, & nō in ordine ad finem; & ex motione ipsius finis.

43. Ad rationem in contrariū dico, nos hic loqui de predictis actibus nō ut præcisè elicitis à propriis potentiis, sed ut imperantur à voluntate, & ut stant formaliter sub ejus motione: secundùm quam rationem eundem finem, & sub eadem ratione respiciūt, ac ipsa uoluntas.

DUBIUM ULTIMUM.

An finis finalizet operationes agentium nonrationalium?

44. Agentia nōrationalia alia omni prorsus cognitione carent, alia verò cognitione sensitiva potiūtur. In præsenti de his tantùm loquimur, & non de prioribus, cum certū sit, agentia, quæ cognitionem nō habent, non agere propter finem, quia finis nō movet nisi ut cognitus. Unde agentia illa quando operantur, moventur in finem ab auctore naturę, vel ab aliquo alio agente intellectuali cognoscente illum.

45. P. Arriaga hìc disp. 8. sect. 6. & 1. part. disp. 46. sect. 4. n. 45. P. Requesenius 1. 2. lib. 1. disp. 1. sect. 10. & pauci alii sentiunt, finem exercere suā causalitatem circa operationes horū agentium. Fundamentum ipsorū est: quia hæc agentia cognoscunt, & appetunt finem ut finem: ergo nulla est ratio, quare in suis operationibus nō moveantur à fine, & agant propter finem. Consequentia patet, & antecedens probatur tripliciter. *Primò*, quia bruta cognoscunt, & appetunt bonū delectabile formaliter sub ratione boni delectabilis: atqui bonum delectabile habet rationē finis: ergo cognoscunt, & appetunt finem, ut finem. *Secundò*, quia bruta appetunt prædictū bonū propter se, & non propter aliud: ergo appetunt illud tanquā finem formaliter. Et *tertiò*, quia bonum delectabile, quod est objectum appetitus Brutorum, aliquam erga illum exercet causalitatē: sed talis causalitas non videtur esse alia, nisi causalitas finis: ergo.

46. Confirmatur, quia Bruta intendunt unum propter aliud: sed hoc est

est agere propter finem: ergo bruta verè agunt propter finē. Major prob. Avis dum colligit paleas ad constructionem nidi, cogitat non solùm de paleis, sed etiam de nidi constructione: & canis dum famę, ac siti veluti oppressus, viso cibo, aut fonte, movetur ad utrumque, non solū cogitat de motu, sed etiam de pane, & aqua ad extinguendam sitim, ac sedādam famem; aliter nec canis moveretur, nec irundo colligeret paleas: ergo si canis præter illum motum, & irundo præter collectionem paleasū apprehēdunt aliquid aliud consequēdum per talia media, rectè dicuntur appetere unum propter aliud, & agere propter finem.

47. Idem dicendum est de formica, quæ cognoscit alimentum esse necessarium, & cognoscit futuram egestatem, & ad eam depellendam illud in sua horrea congregat: ergo verè vult unum propter aliud, & agit propter finem. Quæ omnia docere videtur S. Th 1. part. q. 78. art. 4. ubi dicit: *Necessarium est animali, ut quærat aliqua, vel fugiat, nō solùm quia sunt convenientia, vel non convenientia ad sensum, sed etiam propter aliquas commoditates, & utilitates: sicut avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum*.

54. Nec valet si dicas: Bruta in casibus adductis moveri propter delectationē illius motus, non verò propter nidum conficiendū, vel consequēdum cibum, aut potum. Nam cōtra est: quia D. Th. in verbis adductis dicit, animal non solùm appetere delectabile, sed etiam utile. Deinde non apparet, qua ratione dici possit, canem extenuatum ob famis, & sitis incommoda, moveri ob solam delectationē motus ad ascendendum in mōtem per locum arduum, & asperum, cum talis motus potius molestiam, quàm delectationem afferat: dicendum est igitur in eo casu canem moveri ex desiderio consequendi aquā, vel panem; atque adeo appetere motum, ut medium, panem verò, & aquàm, ut finem.

55. Sed his non obstantibus communis sententia docet, sola agentia intellectualia, non autem bruta animalia, movere se in finē, sed hæc moveri ab authore naturæ: undè circà operationes istorum finis nō exercet suam causalitatem. Ita Medina 1. 2. q. 1. art. 2. dub. 2. Curiel. ibidem §. 3. Salmaticenses tract. 8. disp. 2. dub. 7. Lezana tom. 2. tract. 1. disp. 1. q. 9. noster Stephanus Spinula hic disp. 8. sect. 4. & omnes ferè communiter. Ratio est; quia agens intellectuale cognoscit objectum sibi esse conveniēs, & quare sibi conveniat, ideoque cognoscit finem, & medium formaliter ut talia: brutum verò licèt cognoscat hordeum, vel aquam sibi esse convenientem, quia delectabile est objectū appetitus sensitivi, nō tamen cognoscit, quare sibi conveniat, quia ad hoc cognoscendum necessariū est cognoscere ordinem, & habitudinem, quam cibus, vel potus habent ad sustentandam vitam, & ad sedandam famem, vel sitim: cognoscere autem hunc ordinē superat cognitionem sensitivā, & exposcit intellectivam, ob idq; 1. met. dicitur, *ordinare proprium est sapientis, & intelligentis*. Ex quo fit, quod brutū tendat in finem, ut medium non ex propria directione, sicut agens intellectuale, quia non cognoscit ea formaliter ut talia, sed ex instinctu naturæ, & ex directione Dei moventis ad illa. Quemadmodum sagitta proiecta à sagittario tendit in

scopum

scopum nullo modo sibi cognitũ, sed solum à sagittario; & servus vadit ad faciendum aliquid, quod dominus ei pręcipit, ignorans finem, quem intendit dominus ejus.

56. Undè ad fundamentum cõtrariæ sententiæ negatur antecedens; & ad primam probationem dico, bruta cognoscere quidem bonum delectabile per modũ convenientis ad proprium appetitum, non tamen sub ratione finis. Et licèt bonum delectabile re ipsa sit finis, formalissimè tamẽ loquendo ratio boni nõ est ratio finis; quia bonum, & finis definiuntur diversis definitionibus: bonum n. definitur, quòd sit *perfectivum appetitus per modum convenientis*; finis verò quòd sit, *cujus gratia aliquid fit*, aut quòd sit *appetibilis propter se, & alia propter ipsum*: Ergo important rationes formales aliquo modo distinctas, nam definitio explicat essentiam, & formalitatem rei, & sic ubi sunt diversæ definitiones, necessariò reperiri debent diversæ formalitates.

57. Ad secundam respondeo, Bruta non appetere bonũ delectabile propter se rigorosè loquendo; quia ly *propter* dicit ponderationem meritorum objecti, et quod *appeti propter se*, idem est, ac appeti gratia sui, & propter merita propria; quod ostensum est, non posse brutis convenire; potest tamen dici, bruta appetere prędictum bonum propter se, quatenus non ordinant illud ad aliud, sed sistit ibi eorum appetitus.

58. Ad tertiam denique dico, causalitatem, quam bonum delectabile exercet erga appetitum brutorum, pertinere ad genus causæ formalis extrinsecæ, ad quod pertinet causalitas objecti, quod non attingit rationem finis; quamvis talis causalitas nõ nihil habeat causalitatis finis, eo quòd exerceatur alliciendo, & attrahendo, & idcirco ad genus causæ finalis reduci potest. Cæterum quandiu prædicta allicientia, & motio non fundatur in meritis objecti expensis, & penetratis, non pertingit ad causalitatem finis propriè, & formaliter, sed solùm materialiter, & reductivè.

59. Ad Confirmationem respondetur negando majorem, & ad probationem dico cum Salmãticensibus loc. cit. num. 96. motum, collectionem palearum, & conservationem alimenti, appeti à prædictis brutis per modum boni delectabilis: quatenus ex eis, & ex bono delectabili, ad quod deserviunt, constituitur unum integrum appetibile, quod objicitur appetitui brutorum per modũ unius objecti simplicis, absque ordinatione unius ad aliud. Ipsa n. brutorum æstimativa determinata est à natura ad apprehendendũ simul per modũ objecti simplicis bonum delectabile, & id sine quo haberi nõ potest tale bonum: & ideo potest eorum appetitus etiã per modũ naturæ super utrumq; ferri, sine eo, quod ordinem unius ad aliud bruta percipiant: atque adeo sine eo, quòd apprehendant, vel appetant aliquid per modum medii, & aliquid per modum finis.

60. Unde solutio ibi data est optima; & ad primam impugnationem dico, quod D. Th non appellat prędicta objecta *commoditates, & utilitates*, quia ut sic formaliter à brutis appetantur; sed quia non afferunt delectabilitatem, quę percipiatur à sensibus externis; & quia sunt rationes insensatæ, quæ à sola estimativa, & memoria percipiuntur. Unde non distinguit hujusmodi commoditates, & utilitates à delectabili in tota sua lati-

tu-

titudine, sed solùm à delectabili secundùm sensum externum, ut legēti literam illius articuli manifestū erit.

61. Ad secundam impugnationem respondeo, quòd licèt motus ad mōtem secundùm se sumptus, non iucūditatem, sed molestiā Cani estenuato afferat, tamen ut est consequutio cibi uel potus, delectabilitatem dicit, licèt non distinctam à delectabilitate cibi, & potus, quam ille nō sensu externo, sed estimatiua percipit.

DISPUTATIO XV.

De causis adinuicem comparatis.

DUBIUM PRIMUM

Quaenam ex quatuor causis sit perfectior in causando?

1. CONsulto posita est in titulo particula illa *in causando*, quia hic non loquimur de causis in esse entis, seu quoad perfectionem entitatiuam, sed in esse causae, & quoad perfectionem causatiuam, secundùm quam solam rationem quaerimus, an una sit perfectior altera, & quaenam illa sit?

2. Prima conclusio, Causae extrinsecae, scilicet finalis, & efficiens, sunt perfectiores in causādo causis intrinsecis. Probatur; causa in ratione causę dicitur perfectior à perfectiori modo causandi, seu influendi in effectum: atqui perfectiori modo influunt in effectum causa finalis, & efficiens, quàm materialis, & formalis; hae n. influunt per modum partium componentiū, subindeque entium incompletorum, secus verò illę. Unde modus causandi finis, & efficientis, quia non dicit imperfectionem, Deo competere potest, minime verò modus causandi materiae & formae.

3. Secunda conclusio, Forma in ratione causae est perfectior materia. Probatur quia habet nobiliorem modum causandi, cū nobilius sit influere per modum actus, & informando, quàm per modum purae potentię recipiendo, & sustentando.

4. Tertia conclusio, Finis in ratione causę est perfectio efficiente. Prob. quia major, uel minor perfectio in ratione causę (ut dixi) petitur à perfectiori, uel imperfectiori modo causandi: atqui perfectior est modus causandi finis, quàm efficientis: ergo in ratione causae finis est perfectior efficiente. Probatur minor, causalitas, seu modus influendi in effectū eo est nobilior, quo independentior: atqui causalitas finalis est independentior causalitate efficientis, nam hęc necessariò praesupponit causalitatem finis, ab eaq; necessariò dependet, & non è contra: ergo modus causandi finis est perfectior modo causandi causae efficientis.

5. Dices: causalitas Materiae est prior causalitate formae, & non propterea forma in ratione causae est imperfectior materia: ergo licèt prior sit causalitas finis, quàm causalitas efficientis, non ob id erit perfectior ipse finis? Resp. negando consequentiā, quia licèt forma, & eius causalitas sit posterior materia, non tamen habet ab ipsa materia quòd formalizet; efficiens verò habet à motione finis quòd agat; & sic est dispar ratio.

6. Ex dictis infertur, Causam finalem esse primam, quę influit in effectum, secundam, causam efficientem; tertiam, causam materialem; & quartam, causam formalem. Nam causa finalis immota ab alia causa, mouet agens ad agendum; & hoc sic motum à fine, disponit materiam, & mediante

diante eductione, aut actione unitiua facit, ut materia sustentet, & forma informet.

7. Quæres. A quibus causis magis pendeat effectus? Aliqui uolunt, magis pendere à causis materiali, & formali; quàm ab efficiente, & finali? Quorum ratio est: quia res magis pēdet ab eo, quod est illi intrinsecum, quàm ab eo quod est illi extrinsecū: Materia autem, & forma sunt causæ intrinsecę, efficiens verò, & finis extrinsecæ. ¶ Alii è contra dicunt, effectum magis pendere à causis efficiente, & finali, quàm à materia, & forma, quia tunc effectus magis pendet ab eo, quod est intrinsecum, quàm ab illo quod est extrinsecum, quando extrinsecum non causat prædictum effectum, & quidquid est intrinsecū in illo. Finis autem, & efficiens sunt causę tàm totius rei, quàm ipsius materiæ, & formæ, quę sunt ipsi intrinseca. ¶ Ego verò existimo, totum in esse effectus non magis pendere ab vna, quàm ab alia causa, quia secundū istam rationem habent intrinsecam, & essentialem dependentiā ab omnibus causis, & si cuiusuis influxus desit, deerit etiam totum in ratione effectus.

DUBIUM SECUNDUM

Vtrum causæ sint sibi invicem causæ?

8. Ratio videtur pro parte negatiua; quia ut dicitur in libris de causis, *quod est causa causę, est causa causati*: ergo si materia est causa formæ, & forma causa materiæ, materia erit causa sui ipsius, quod implicat. Confirmatur quia causa est prior effectu, & effectus posterior causa: ergo non potest id, quod est effectus, esse causa suę causę, alioquin respectu eiusdē esset simul prius, & posterius.

9. Nihilominus communis sententia docet, causas non in eodem, sed in diuerso genere, esse sibi inuicem causas. Ita Arist. 2. physic. tex. 30. & 5 met. tex. 2. quem omnes sequuntur. Prima pars probatur; quia causę eiusdem generis debent habere easdē conditiones ad causandum v.g forma actualitatem, materia potentialitatē, efficiens esse, &c. vt autem in eodem genere essent effectus, non deberent habere illas; id n. quod causatur à materia habet rationem actus recepti, uel compositi, & non potentiæ: & quod causatur à forma, non habet rationem actus, sed potentiæ informatæ; & quod causatur ab agente, non presupponitur existens, sed tunc ab agente producitur; & sic de aliis: ergo implicat, quòd causæ eiusdem generis se inuicem causent.

10. Circa secundam partem difficultant Auctores, an inter omnes causas diuersi generis detur, uel dari possit ista mutua causalitas? Affirmāt aliqui, negant alii, difficultatem soluo per sequentes conclusiones.

11. Prima conclusio Materia, & forma sunt sibi inuicem causæ. Est communis, & quoad formas substantiales materiales facilè probatur; nam formæ istæ fiunt ex materia, & in ea substentantur: ergo uerè causantur ab illa. E conuerso forma est causa materiæ in suo genere, quia illam informat, & actuat: ergo materia, & formæ istæ sunt sibi inuicem causæ. ¶ Quoad formam verò substantialē subsistentem etiam probatur, nam licèt hæc non fiat ex materia, causatur tamen à materia secundùm receptionem: est autem causa materiæ eodem modo, quo aliæ formæ substantiales: ergo inter eam, & materiam

riam datur mutua causalitas.

12. Secunda conclusio Finis, & efficiens sunt sibi inuicem causæ. Est etiam communis; & probatur, quia finis movet, & excitat efficiens ad agendum; & eadem res, quæ movet efficiens ad agendum, est terminus actionis illius: ergo finis, & efficiens sunt sibi invicem causæ; Finis quoad causalitatem efficientis, efficiens verò quoad esse finis. Quando autem bonum amatur, seu desideratur, non ut fiat, sed ut possideatur, ipsa consecutio vel possessio finis fit ab agēte, quia hæc tantùm intenditur ab illo, & est finis illius *cujus gratia*, & propter quem fit operatio.

13. Tertia conclusio, Finis, & materia possunt se invicē causare. Prob. quia forma non tantùm est finis generationis, sed etiam ipsius materiæ, quia materia natura sua est propter formam tanquam propter finem, & simul etiam est propter compositum, quia hęc duo non repugnant, sed subordinata sunt: ergo materia est effectus formæ, & compositi in genere causæ finalis. Sed eadem materia est causa materialis formę, & compositi: Ergo est reciprocatio inter has duas causas in ratione causę, & causati.

14. Quarta conclusio, Forma, & finis nūquam possunt esse sibi inuicē causę. Ratio est: nam vel consideratur forma, ut est finis generationis; velut ordinatur ad operationē, ut ad finem. Priori modo forma, & finis coincidūt in idē numero, & ideò non potest illa forma esse causa formalis illius finis, quia non potest esse causa formalis sui ipsius. Si autē forma cōsiderantur, ut ordinetur ad operationē ut ad finē, etiā non potest illa mutua causalitas intercedere, quia una forma non potest esse causa formalis alterius quatenus forma est: si n. cōtingat, unā formā aliā accidentali informari, necesse est, ut ea, quæ informatur, exerceat sub ea ratione causalitatem materialem: Ergo in nullo casu forma, & finis possunt se invicem causare.

15. Quinta conclusio, Causa efficiens non potest habere mutuā causalitatem cum materia uel forma, sed solùm cum causa finali, ut explicuimus. Sensus conclusionis est, quòd si aliqua causa verè, & propriè efficiat aliquam formam, non potest ab illa causari in genere causæ formalis; & è converso si aliqua forma formaliter constituit aliquam rem, non potest ab illa effectivè fieri. Et quoad has duas partes nulla est difficultas in cōclusione posita. Et ratio est: quia causa efficiens supponitur absolutè existens ad efficiendū: ergo non potest formaliter constitui per formam, quā efficit. Patet consequentia, quia nulla res potest esse absolutè existens, nisi prius sit constituta per formam: ergo si causa efficiens præsupponitur existens ad efficiendum, præsupponitur iam constituta per formam, ac proinde non potest formaliter constitui per eā, quam efficit. ¶ Confirmatur quia forma est principium agendi: ergo forma, que est terminus actionis, non potest esse causa formalis ipsiusmet agentis.

16. Simili modo intelligenda est cōclusio comparando efficientem causā ad materialem. Et quidem si sermo est tantùm de materia prima, est res euidentissima, quia materia prima nō potest fieri, nisi per creationē; creare autem soli Deo competit: ergo impossibile est, ut quidquid ex tali mana causatur, sit causa efficiens ipsius materię. Extendendo tamen conclusionem (ut reuera intelligenda est) ad

ad omnem causam materialem, seù subiectivam, ratio generalis est, quia causa efficiẽs supponitur simpliciter, & absolutè existens ad agendũ: ergo si indiget aliqua causa, uel causalitate materiali ut sit, talis causa supponitur ante omnem efficientiam ejus; ac proindè nõ potest talis res esse causa efficiens suæ materiæ.

17. Contra hanc secundam partem conclusionis obicies primò in generatione substantiali ultima dispositio emanat efficienter à forma, ad quã disponit. Et D.Th. 1.p.q. 76. art. 6. dicit, animam rationalẽ esse principium accidentiũ, quæ præcedunt ut dispositiones ad unionẽ animæ: ergo causæ efficiens, & materialis possunt se ad invicem causare. ¶ Resp. negando antecedens, nempè dispositionem ultimam, quæ disponit materiã, esse effectivè à forma; si enim esset effectivè à forma, non disponeret subiectum ad introductionem formæ, sed eam supponeret introductã in subiecto, cum non nisi in subiecto esset causa efficiens illius. Nec D.Th. docet contrarium, quia ibi non agit de prioritate ex natura rei, sed de prioritate logica, seù rationis. Distinguit n. in anima plures gradus, scilicet, ut actuat in esse entis, & in esse corporis, & in esse uiventis, & in esse animalis, & in esse hominis: quo posito dicit, sicut priùs ratione concipitur, animã constituere ens, & corpus u. g. quàm uivens; ità etiam priùs ratione intelligi oriri accidentia propria corporis, quàm accidentia propria uiventis; & rursus materiam prout affectam illis accidentibus propriis corporis, intelligi quasi dispositam ratione nostra ad formam substantialem, prout datura est effectum formalẽ uiventis; & rursus prout affectã accidentibus uiventis intelligi dispositam ad formã animalis; & sic de cæteris. Hæc autem doctrina non obstat nostrę conclusioni, ut patet.

18. Ob: 2. Quãdo introducitur una forma, & altera expellitur, forma introducta est causa efficiens expulsionis formæ expulsæ: & forma expulsa est causa dispositiva introductionis formę introductę; quę ad genus causæ materialis spectat: ergo intra genus causæ materialis, & genus efficiẽtis datur mutua causalitas. ¶ Resp., negando primam partẽ antecedentis; forma n. introducta non expellit alterã effectivè, sed formaliter. Si autẽ sermo sit de forma activè introducẽte aliam, respectu illius expulsio formæ nullam habet causalitatem, sed tantùm est effectus secundarius illius actionis.

19. Ob: 3. Ventus est causa efficiẽs aperitionis fenestrę, & aperitio fenestræ est causa materialis dispositiua introitus illivs: ergo sunt ad invicẽ causæ. ¶ Resp. quòd si fingamus, fenestrã aperiri ab externo uento impellente, & introeunte, sic apperitio quidem est effectivè ab aere impellente: tamen ille aer ut impellens, & efficiẽs nullo modo est effectus ipsius aperitionis in genere causę materialis quia aer impellens non efficit illum motum fenestrę, ut introductus iã in locum ejus, sed ut imprimens illi impetum, quod facit prius tempore, uel instanti, quàm in locum fenestrę introducatur, & quàm fenestra ipsa à loco suo moveatur, & ità respectu illius efficientię nulla est causalitas materialis in ejus effectu. Quod si consideretur aer, ut iam occupans locũ fenestræ, quæ aperitur, sic non est causa effectiua aperitionis, sed formalis, per formalem nimirũ incompossibilitatẽ

illorum duorum corporum in eodem spatio. Et secundùm hanc rationem mutua causalitas inter apertionē fenestræ,& introductionem aeris, pertinet ad materialem,& formalem, non ad efficientem.

20. Restat, ut respondeamus ad rationē in principio positam pro parte negatiua. Dico ergo axioma illud, *quod est causa causæ est causa causati*, intelligi de causis ejusdem generis,nō diversi. Et si aliquis peteret, quare ualeat in causis ejusdem generis,& nō in causis diversi generis? Respondeo rationem esse, quia in diversis generibus hoc ipso quòd mutatur modus causandi,mutatur etiam ratio essendi quæ in causa supponitur ad effectū. Et consequenter quod est causa suæ causæ, non est causa ejus secundùm id, quod habet à sua causa, sed secūdùm aliud, ut quamvis finis sit causa sui efficientis, non est causa ejus secūdùm esse existentię, quod ab illo habet, sed ut appræhensum. At verò si in eodē genere causæ duo se mutuo efficerent, unum causaret aliud secūdùm illudmet esse, quod ab illo habet,& è converso,& ideo uirtute causaret seipsum. ¶ Ad Confirmationem respondetur, nihil obesse, quod idem sit prius, & posterius secundùm diversas rationes.

DUBIUM TERTIUM.

Vtrum idem effectus procedere possit à pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ejusdem ordinis?

21. Loquimur hic de causis totalibus, idest, quarum quælibet habet sufficiētem uirtutem ad aliquē effectum, & illam cum altera causa non attemperat; si n. utraque causa nō uteretur tota sua uirtute, nulla est difficultas, quòd idem effectus procedere possit à pluribus causis, ut patet in duobus hominibus portātibus eundem lapidem, quem quilibet solus portare poterit. Vndè causa totalis illa dicitur, cui ità correspondet effectus, ut sine consortio alterius ab ipsa eodē modo fieret. E contra causa partialis ea est,sine qua idem effectus eodem modo non fieret.

22. Similiter loquimur de causis totalibus ejusdem generis,quia certum est, quemlibet effectum posse procedere, & de facto procedit à pluribus causis totalibus diversi generis; ad producendum enim ignem u. g. quatuor causæ concurrunt, efficiens, finalis, materialis, formalis, & quælibet ex his in suo genere totaliter: cum efficiens præstet adequatè id, quod ad rationem causandi efficienter requiritur; Materialis verò totaliter id, quod requiritur ad rationem causandi materialiter, & sic de cæteris. Difficultas ergo est de causis totalibus ejusdem generis; An scilicèt duplex forma substantialis possit simul informare eandem numero materiam? An duplex materia possit simul recipere eandem numero formam? An operans respectu ejusdem operationis possit habere duplicem finem? Et an duo agentia possint simul producere eundem numero effectum?

23. Posuimus etiam in titulo particulam illam *ejusdem ordinis*, quia nulli dubium est, posse eundem effectum procedere à pluribus causis totalibus ejusdem generis, sed diversi ordinis, & patet in genere causæ efficientis, ubi idē numero effectus procedit à causa prima, & secunda; à causis universalibus, & particularibus. His positis.

De-

Deciditur quæstio quoad causas intrinsecas.

24. Dico primò, Non esse nec naturaliter, nec supernaturaliter possibile, duas formas substantiales informare simul eandem numerò materiã. Assertio hæc quoad primam partem est communis;& eã satis indicat corruptio formę præexistentis, quando de nouo aduenit alia:si n. duæ formę substantiales essent naturaliter compossibiles in eadem materia,non esset ratio, ob quam una expelleret aliam. Quoad secũdam verò partem negatur à Suarez tom. 1. met. disp. 15. sect. 10. & aliis suæ societatis; eam tamen tenent omnes Thomistæ, & expressè docet S. Th. 1. part. q. 76. art. 3. & 4. Item opusc. 33, & quodlib. 1. art. 3. ubi sic ait: *impossibile est, in uno, & eodem esse plures formas substantiales*.

25. Hanc secundam conclusionis partem Complutenses disp. 4. physic. quæst. 6. probant sic: implicat non sequi effectum, posita causa, eiusq; causalitate: ergo implicat poni formã, quæ est causa; eiusque causalitatem, scilicet informationem materię,& nõ sequi ipsius effectum: atqui effectus formę substantialis est expulsio cujuslibet alterius formæ substantialis ab eadem materia: ergo implicat, quòd ponatur noua forma substantialis in materia,& quòd præexistens non expellatur.

26. Nec refert (inquiunt) si dicas, expulsionem formę præexistentis nõ esse effectum primarium, sed secundarium, qui impediri potest à Deo. Nam contra est: quia licèt quandoq; Deus impediuerit, & possit semper impedire effectus secundarios positiuos; tamen non potest impedire effectus secundarios priuatiuos, cum sint ita intimi, & ita connexi cũ primariis, ut primarii dari non possint, nisi illi consequantur; ut patet in forma cadaueris, quæ non potest dare effectum suum primarium cadaueris subiecto, nisi sequatur effectus ipsius secundarius, scilicet expulsio formæ viventis: atqui expulsio formæ præexistentis, est adeo connexa cum effectu formali primario fomæ aduenientis, ut sine tali expulsione talis effectus formalis à forma adueniente tribui non possit: ergo. Minorem citati Auctores probant ex eo, quia quælibet forma substantialis est actus primus materiæ, non potest autem rationem actus primi exercere, nisi expellatur alia forma substãtialis, quę in materia pręexistebat; cũ non possit id, quod est primũ in aliqua ratione, non inuoluere, ut nihil reperiatur, quod ipsum in tali ratione, uel pręcedat, uel comitetur: unde sicut materia, quia primum subiectum est, nõ admittit aliquod secum, quòd simul cum ipsa subiectat, uel ante se substantialem formam subiectet: ita quia forma substantialis est actus primus informatiuus materiæ, nõ potest admittere secum aliquod, quod simul cum ipsa, uel ante se materiam informet.

27. Uerùm rationem istam parùm efficacem existimo, & facilè solui potest ab aduersariis. Nam licèt uerissimum sit, forma informante, debere necessariò dari effectum primarium, & secundarium, posito quòd sine secundario effectus primarius non posset haberi: tamen adducta ratio non probat, sine expulsione formæ substantialis præexistentis, non posse haberi effectum formalem primarium formæ aduenientis. Nam forma substantialis ideo dicitur actus primus,

quia

quia immediate actuat materiam, cũ formæ accidentales in sentẽtia S. Th. non in materia subiectentur, sed in totó constituto ex materia, & forma; Aduersarii autem non uolunt, materiam ut actuatã una forma subiectare aliam formam, ab eaq; informari; sed solùm uolunt, materiam, quæ actuatur una forma, posse actuari alia forma, adeo ut utraq; forma, seu singulę ex iis formis actuent immediatè eandem materiam; & sic optimè saluant, quòd exercere possint erga illam, rationem actus primi.

28. Dices in fauorem Complutensium. Materia actuata per priorẽ formam, adæquatè, & secundùm se totam, est informata ab illa, ita ut nulla pars materiæ sit, quæ à forma illa nõ informetur; aliàs daretur aliqua pars materiæ sine forma; quod implicat: ergo forma de nouo adueniens non reciperetur immediatè in materia, sed in toto composito, seu in ea ut actuata priori forma, ac proinde non exerceret erga materiã rationẽ actus primi. ¶ Resp. negando utramque cõsequentiam; & habeo instantiam manifestam, nam locus adæquatè replentur ab uno corpore, & hoc non obstante per diuinam potentiam simul repleri potest ab alio corpore; ergo similiter licèt materia sit adæquatè actuata ab una forma, non propterea per diuinam potentiam non poterit etiam immediatè actuari ab alia.

29 Secundò alii probant; quia forma substantialis tribuit materiæ esse simpliciter; hoc autem præstare non posset, si non subsequeretur expulsio formæ præexistentis, siquidem materia illud iam haberet per informationem prioris formæ; unde à forma subsequente, seu de nouo adueniente solùm haberet tale uel tale esse, & sic non esset forma substantialis, sed accidentalis. ¶ Etiam hæc secunda ratio uidetur inefficax, quia hoc quod est, tribuere esse simpliciter materię, iam haberetur à qualibet earum formarum, quæ materiam actuarent; nã cum quælibet illarũ actuaret immediatè materiam, non verò materiam ut actuatam ab alia, quælibet tribueret materię esse simpliciter, per quod sine addito dici posset esse; in tantùm n. forma accidentalis dat esse tale, seu secundùm quid, in quantùm aduenit subiecto iam habenti esse: nulla autẽ ex eis formis aduenit materiæ, ut habenti iam esse, sed materię ut sic; & idcirco talis materia haberet esse simpliciter ab una forma, & etiam esse simpliciter ab alia forma: non verò haberet esse simpliciter ab una, & esse tale, seu secundùm quid ab alia.

30. Tertiò alii sic discurrunt: Forma est una numero, quia subiectatur in una numero materia; unde Aristoteles 5. met. cap. 6. tex. 12. dixit: *Ea sunt unum numerò, quorum materia est una; ea verò diuersa, quorum materia est diuersa*. Ergo implicat, quòd duę numero formę sint in una numero materia. Sed neq; ista ratio urget, nam si Deus separaret unam formam substantialem à sua materia, à qua sumit indiuiduationem, & eam poneret in alia materia actuata ab alia forma; in eo casu essent duę numero formæ in eadem materia; nam prior forma haberet suam unitatem numericam per ordinem ad materiã à qua fuit separata: & altera haberet suam per ordinem ad materiam, quã actualiter informat; ergo ex præciso capite indiuiduationis non repugnat, quòd supernaturaliter duæ formæ substantiales possint esse in eadem materia.

36. Quar-

31. Quartò deniq; ab aliis probatur, quia si eadem materia duabus formis informaretur, posset pati simul contraria, ut si formæ, quibus informaretur, essent cum diuersis, & contrariis propensionibus; ponamus enim quòd informaretur forma canis, & forma ouis; si ei lupus occurreret, in eo casu eadē materia fugeret à lupo, & simul lupum persequeretur; nam ouis ex naturali inclinatione fugit à lupo, & canis ex naturę instinctu lupum persequitur: Atqui hęc sunt impossibilia simul: ergo etiam est impossibile, ut eadem materia informetur à duabus formis simul. ¶ Hæc ratio in primis non est à priori. Deinde facilè soluitur; nā dici potest ab aduersariis, quòd in eo casu uiso lupo sequeretur fuga, si virtus motiua sit major in forma ouis, quàm in forma canis; sequeretur verò persequutio, si virtus motiua sit perfectior in forma canis, quàm in forma ouis: à quacumq; autem harum formarū motus proueniat, semper proueniet debilior: idq; quia altera forma, utpotè inclinans in motum contrarium, illum retardabit.

32. His igitur reiectis, vera ratio conclusionis est; quia in una numero materia tantùm est capacitas ad unā formam; si n. esset capacitas ad plures formas, etiam esset capacitas ad infinitas, cum non sit major ratio de duabus, quàm de tribus, & de quocumq; alio numero. Forma autem non potest recipi in materia, si in ea non est capacitas: ergo duę formę nō possunt esse simul in eadem materia. Et confirmatur; quia si duæ formę essent simul in eadem materia, uel ex eis resultarent duo distincta composita, uel unum? non primum, quia obstat vnitas materię: neque secundum, quia obstat pluralitas formarū: ergo duę formę in una numero materia esse non possunt.

33. Dices: Materia quantùm est ex se, habet potentiam ad recipiendas omnes formas; quę potentia non destruitur per receptionem unius: ergo ut informata una forma, est capax alterius: & sic prima ratio non sufficienter probat. ¶ Resp. negando consequentiam, nam cum dicitur, materiam habere potentiam ad omnes formas substantiales, sensus est, materiam cum omnibus formis substātialibus, non simul, sed seorsim, uniri posse ad faciendum unū per se. Quod autem hic sit legitimus sensus probatur; tum quia si materia haberet potentiā ad omnes formas simul recipiendas, cum talis potentia esset illi connaturalis, posset naturaliter illas simul recipere; quod nullus usq; modo docuit. Tum etiam, quia materia est potētia ad formam, ut simul cum illa constituat unum compositum substantiale: hoc autem consequitur materia à singulis formis, si successiuè eas singillatim recipiat, non verò si simul.

34. Dico secundò, neque esse possibile, unam formam substantialem informare simul duas numero materias. Assertio hæc (quæ eodem modo intelligenda est, ac præcedens) est etiam communis inter Thomistas. Et probatur duabus rationibus adductis pro præcedenti conclusione: nā sicut in materia est tantùm capacitas ad recipiendū unam formam, sic & in forma est tantū capacitas ad actuandū unam materiam; & sicut ex duabus formis, & una materia nō potest fieri neque unum, neq; duplex compositum substantiale; sic nec ex duabus materiis, & una forma: ergo si ob has ratio-

rationes duæ formæ non possunt esse simul in eadem materia, propter easdem neq; duę materiæ possunt simul recipere eandem formam.

35. Dices: Eadem anima aliquando informauit plures partes corporis discontinuas, atq; adeò duas portiones materiæ, ut accidit in morte S. Dionysii Areopagitæ, qui dicitur suis manibus gestasse per duo milliaria caput à suo corpore abscissum; neq; n. credendum est, corpus non animatum fecisse motum illum, aut caput gestasse non uiuum, sed mortuum. ¶ Resp. concedendo historiam, nempè corpus S. Dionysii post abscisсionem capitis gestasse suis manibus caput per duo milliaria; at undè habetur, caput gestatum, & corpus gestans ab eadem anima, qua priùs, cum hæc uniebantur in uno corpore, tunc informata fuisse? Dico igitur quod motus ille fuit factus ab Angelo.

Deciditur quæstio quoad causas efficientes.

36. Dico tertiò, Non posse eundē effectum produci naturaliter à duobus agentibus, seù à duabus causis totalibus efficientibus ejusdem ordinis. Assertionem istam omnes communiter tenent, uno uel altero excepto. Prob. quia natura sicut non deficit in necessariis, ità non abundat in superfluis: at duæ causæ efficientes totales respectu ejusdem effectus altera illarum est superflua; siquidem ab una effectus sufficienter habet esse: ergo ambæ non possunt naturaliter concurrere ad producendum eundem effectum.

37. Dico quartò, Neq; de potentia absoluta Dei produci posse eundem effectum à duabus causis creatis totalibus ejusdem ordinis. Ità omnes Thomistæ, quorū aliqui sic conclusionem probant. In sententia S. Th. implicat, duo accidentia solo numero distincta posse esse in eodē subjecto, eo quòd accidentia suam individuationem sumant à subjecto: ergo implicat, ut idem effectus producatur à duobus agentibus, totaliter à singulis. Hæc enim duo agentia nonnisi per duas actiones totales effectū producerent: cū ergo actio subjectetur in passo, duæ actiones solo numero distinctæ subjectarentur in eodē subjecto, in effectu scilicèt producto. ¶ Verùm ratio ista nō uidetur efficax, tum quia non est omnino certum in uia D. Th. quod actio subjectetur in passo, cum plures ex ejus discipulis doceant contrarium. Tum etiā quia ex adversariis non desunt, qui admittentes actionem subjectari in passo, negent assumptū; posito enim (inquiunt) quod duæ causæ unum effectum producerent, & singulæ totaliter, nonnisi unica actione agerent.

45. Quarè hac relicta ratione, aliter conclusionem probo. Causa efficiens id solum producere potest, quod in sua uirtute continetur: sed nullus effectus cōtentus in uirtute unius causæ creatæ, continetur in uirtute alterius causę creatæ: ergo implicat, quòd duę causę createæ, singulę adęquatè, producant eundem numerò effectū. Prob. minor; omnis uirtus causę createæ est finita, & limitata: ergo effectus cōtentus in uirtute unius causę createæ, non continetur in uirtute alterius causę createæ.

42. Confirmatur, effectus secundùm speciem, à causa determinata secundū speciē produci potest; & nō à qualibet specie contenta sub eodem genere, ut docet Aristoteles 5. physic. tex. 43. ergo similiter effectus secundùm numerum à determinato individuo,

viduo, & non à quolibet contento sub eadem specie produci poterit. Non n. est major ratio, cur ratione diversarum differentiarũ constituentium diversas species sub uno genere, possit haberi, ut productio unius effectus specifici non conveniat omnibus speciebus; & ratione diversarum rationum individualium, constituentium diversa individua sub una specie, non possit haberi, ut productio unius effectus numerici non conveniat omnibus individuis.

43. Dices: Virtus actiua, qua homo, seù leo, producit hunc hominẽ, seù hunc leonem, non est in producente qua hic homo, seù qua hic leo est, sed qua homo, seù qua leo est: hæc autem ratio *homo*, seù *leo*, est in quocumq; homine, seù in quocumq; leone: ergo quicumque homo, seù quicumq; leo, producere potest hũc hominem, seù hunc leonem. ℣ Resp. hanc instantiam plùs probare, quàm intendit; probat n. idem posse producere seipsum, cũ ipsemet sit unus homo, seù unus leo producibilis ab illa uirtute actiua, quæ est in ipso, qua homo, seù qua leo simpliciter est. Hoc autem admitti non potest, ubi n. operatio implicat, necesse est etiã ut implicet uirtus operatiua: cum igitur nõ potest aliquid habere operationem productiuã sui ipsius, quia hæc exigit essentialiter distinctionẽ realẽ inter producens, & productũ, neq; potest habere potentiam, seù virtutem producendi seipsum. Dico igitur, quòd sicut in quolibet homine, seù in quolibet leone, essentia hominis, seù essentia leonis, non est in tota sua amplitudine, sed limitata per rationem propriam individuationis, à qua afficitur; ità & uirtus actiua hominis, seù leonis est in quolibet homine, seù leone, & ideò talis uirtus non potest, nisi determinatos effectus, illos nimirùm, qui sunt intra ipsius seriem, producere.

44. Dices 2 Potentia actiua nõ potest alium effectum producere, nisi illum, quẽ respicit tanquàm sui specificatiuum: atqui hæc numero potentia v. g. calefactiua, specificatur à calore ut sic, nõ autem ab hoc numero calore; ergo hæc numero potentia calefactiua potest producere quemcumq; calorem. Prob. minor, quia si hæc numero causa calefactiua non specificaretur à calore ut sic, sed ab hoc numero calore, talis causa calefactiua non poterit producere nisi hunc numero calorem, omnis namq; alius calor esset extra obiectum specificatiuum illius: atqui hoc est contra experientiã, uidemus enim plures numero calores promanare ab uno igne: ergo. ℣ Resp. breuiter, causam calefactiuam non attingere hunc numero calorem præcisè quia calor est, uel quia hic numero calor est, sed quia est calor sub tali serie calorum. Ex quo fit, ut hæc numero potentia calefactiua, neq; unum solũ calorem possit efficere, neque possit omnes calores attingere, sed solùm illos, qui in hac calorum serie continentur: & hi tantùm calores, & nõ alii, seù numerus iste determinatus tot calorum, & nõ aliorum, est obiectum specificatiuum hujus numero potentiæ actiuæ, seù quod essentialiter respicitur ab hac numero potentia actiua.

45. Dico quintò, Posse eundem numero effectum efficienter causari à duplici causa totali, una creata, & altera increata. Ità tenent è Thomistis Didacus Nugnez. 3. par. q. 75. art. 4. difficult. 1. concl. vlt. Franciscus

R Man-

Manca hic q. 8. dub.4. concl. 2., & Ioannes à S. Th. q.10. art.5. conclus. vlt. Prob. primò. Idem Corpus Christi existens in Cælo generatum ex Virgine, de nouo producitur à Deo medio Ministro in Sacramento Eucharistiæ: ergo potest idem numero effectus efficienter causari à duplici causa totali, una creata, & altera increata. Prob. antecedens; Non potest aliquid incipere esse ubi priùs nō erat, nisi uel ibi adducatur, uel de nouo producatur: Ergo Corpus Christi non potest incipere esse sub speciebus Sacramentalibus, nisi alterutro ex his duobus modis. Sed nō incipit esse in Sacramento Eucharistię per adductionem: ergo per nouam productionem. Minor subsumpta prob. Accessus ad terminū *ad quem* fit per recessū à termino *a quo:* ergo nō potest aliquid adduci ab uno loco in alium, nisi deserendo priorem locum: sed Corpus Christi incipiens esse in Sacramento Eucharistiæ, non desinit esse in Cælo: ergo non incipit esse in Sacramento Eucharistiæ per adductionem; sed per nouā productionem. Nec valet dicere, quòd Corpus Christi ibi ponatur per conversionem, nā conversio est species productionis: ergo implicat, aliquid esse terminum conversionis, & non esse terminum productionis?

46. Prob. secundò, Deus potest mediis duobus instrumentis totalibus eundem effectū producere: ergo etiam poterit simul cum causa secūda eundem effectū adequatè causare, uel effectum à causa secunda productum, iterum saltē sub nouo modo essendi reproducere. Antecedens est S. Th. nam 3. par. q.67. art.6. docet, plures Ministros, simul proferentes uerba Baptismi, posse baptizare unū numero hominem, & conficere unū numero Sacramentū. Et Ecclesia tenet, præsbyteros recenter ordinatos ualidè cum Episcopo eandem numero hostiam consecrare. Consequentia verò prob., quia eadem ratio militat de duobus instrumentis, ac de duabus causis principalibus; nā sicut causa totalis principalis totaliter tribuit esse effectui in suo ordine, sic etiam causa totalis instrumentalis in suo: ergo si hoc nō obstante possunt plura instrumenta Dei per distinctas actiones totales producere eundem numero effectum; quare nō poterit Deus eundem effectum cum causa creata totaliter causare? aut effectū à causa creata productum, iterum sub nouo modo essendi reproducere?

47. Prob. tertiò, ideo duę causę createę non possunt singulę adequatè producere eundem effectum, quia nullus effectus continetur in virtute utriusque: At quilibet effectus contentus in virtute causę creatæ, continetur etiam in virtute causę increatę, ideoq; Deus ipse solus producere potest quicquid producit cū causis secundis, exceptis actionibus uitalibus, de quibus est specialis difficultas: ergo nulla uidetur implicātia, quòd unus effectus effectiuè procedat à duplici causa totali, una creata, & altera increata.

48. Dices: Persona diuina continet totam perfectionem, quæ est in persona creata ad terminandum naturā, & tamen eadem natura terminari non potest simul à persona creata, & increata: ergo similiter, licèt virtus causæ createę contineatur in causa increata, non propterea poterit idem numero effectus totaliter esse à causa creata, & increata. ¶ Respondeo negando

gando consequentiam; nam personā increatam terminare nō posse naturā suppositatā propria personalitate creata, non provenit ex defectu continentiæ perfectionis; sed aliunde, quia natura terminata propria personalitate in se, & per se existit, terminata verò personalitate aliena existit in alio, & per aliud: existere autē in se, & per se, & existere in alio & per aliud, pugnant inter se, ut patet. Quæ quidem ratio non militat, si plures personæ divinæ terminarent eandem naturam creatam, quia natura illa non existeret in se, sed in divinis personis, quæ omnes per unā & eandem existentiam existunt. Ratio autem fundamentalis nostræ assertionis intelligitur per se, scilicet si aliunde non repugnat, continentia virtutis quantùm est ex se, sufficiens est ad producēdum illud idem, quod per talem virtutem causa creata producit. Unde quia genus causæ formalis dicit imperfectionē, licet Deus cōtineat totam perfectionem formæ creatæ, tamē ejus defectum supplere non potest.

Deciditur quæstio quo ad causam Finalem.

49. Dico sextò, Voluntatem in nulla sua operatione intendere posse absolutè, & simpliciter duos ultimos fines adæquatos, & totales. Probatur, quia finis ultimus est ille, qui appetitur præcisè propter se, & omnia alia aliquo modo appetūtur propter ipsum: ad distinctionem finis intermedii, qui neque appetitur præcisè propter se, sed ordinatur ad ulteriorem finem; neque omnia absolutè propter ipsum appetuntur, sed ea duntaxat, quæ ad illum conducunt. Sed si voluntas appeteret duo, quorum unum non esset finis alterius, de nullo verificaretur, appeti omnia propter ipsum: ergo neutrum illorū haberet rationem ultimi finis. Ergo implicat, quòd voluntas in aliqua sua operatione intendat duos fines ultimos adæquatos, & totales.

50. Dices: Gentiles, qui colebant plures Deos, sicut omnibus divinitatem attribuebant, sic in quolibet eorum constituere debebant finem ultimum, cum ratio finis ultimi ad divinitatem maximè pertineat; ergo idem homo plures ultimos fines habere potest. ¶ Respondeo cæcos gentiles, & si plures adoraverunt ut Deos, nō tamen eos ut primas causas totales rerum omnium credidisse, sed solùm veluti partiales; cujus signum est, quòd Iovem vel Saturnum Cœlo, Mari Neptunum, Inferno Plutonem, & sic de aliis, præsidere autumabant: unde consequēter illos nō habebant ut fines ultimos totales, sed veluti partiales diversarum rerum.

51. Dico ultimò, Nullam esse repugnantiam quòd volūtas in aliqua sua operatione intēdat duos ultimos fines, unum efficaciter, & alium inefficaciter. Ita Conzález, & Martinez quos citat, & sequitur Mag Lao t. 2. q. 1 art. 5. disp. 5. dub. 6. num 602. Probatur quia non repugnat, quòd homo simul habeat volitionem efficacem unius objecti & nolitionem inefficacem ejusdem objecti: ergo similiter neque repugnabit, quòd simul velit duplicem finem ultimum, unum efficaciter, & alium inefficaciter. Antecedens patet in eo, qui tempestate urgente simpliciter vult merces in mare projicere, & secundùm quid non vult. Consequentia verò probatur; non minus repugnat volitio simul, & nolitio ejusdē objecti, ac repugnat volitio duplicis ulti-

mi finis: ergo si uolitio inefficax unius objecti non excludit contrariam efficacem ejusdē obiecti; neq; uolitio inefficax unius finis ultimi excludet uolitionem efficacem alterius ultimi finis. ¶ Confirmatur. Homo in peccato mortali existens potest habere hunc actum dilectionis Dei, *uellem in omnibus Deo placere*; sed iste actus ex natura sua tendit in Deum ut ultimum finem: ergo potest idem homo pro eodem tempore habere duos ultimos fines, unum efficacem, & alium inefficacem.

52. Dices: impossibile est, quòd homo simul appræhendat duos ultimos fines: ergo impossibile est, quòd appetat illos, etiam si unum appetat inefficaciter. Consequentia est bona, quia nihil potest esse uolitum etiam inefficacitèr, quin sit præcognitum. Et antecedens probatur, quia de ratione ultimi finis est, quòd concipiatur ut summum bonum satians appetitum; & quòd ad illum omnia alia ordinentur: sed eo ipso quòd concipio duos fines, neutrum illorum cōcipere possum ut bonum perfectū, & plenè satiatiuū appetitus, ad quod omnia alia referantur, ut patet: ergo impossibile est, quòd homo simul appræhendat duos ultimos fines.

53. Respondeo distinguendo antecedēs: impossibile est, quòd homo simul appræhendat duos ultimos fines, *apprehensione practica tantùm*, concedo; non n. potest homo iudicare hìc & nunc in una re esse suam Beatitudinem, & ad illā debere omnia alia ordinari; & ex alia parte hìc & nunc esse aliam rem appetibilem, non comprehensam in illa, & nō ordinatam ad illam. *Vnum apprehensione practica, & alium apprhenesione speculatiua*, nego; nàm peccans mortaliter, practicè iudicat, ultimū finē esse bonum commutabile, & speculatiuè esse Deum: ergo iam appræhendit duos fines ultimos. Cū ergo ad uolitionem inefficacē sufficiat cognitio speculatiua, hìnc est, quòd homo, cum possit habere iudicium practicum de aliquo ultimo fine, & speculatiuum de alio, quòd possit habere duos ultimos fines, unum efficaciter, alium inefficaciter.

IN TERTIUM, QUARTUM, ET QUINTUM LIBRUM PHYSICORUM.

DISPUTATIO XVI.

De motu.

Agit Phylosophus libro tertio de motu, & infinito; libro 4. de loco, & tempore; & libro quinto de termino motus, ejusq; unitate, & diversitate. Quem ordinem ob faciliorem doctrinæ methodum aliquantulum immutabimus, agentes primò de motù quoad omnia, deindè de infinito, tertiò de loco, & ultimò de tempore.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit motus?

1. Prima conclusio. Motus est *actus entis in potentia prout in potentia*. Ità definitur ab Arist. hìc lib. 3. c. 2. quam definitionem cuncti Philosophi recipiunt. Pro cujus explicatione notandum est ex D. Thm. 3. physic. lect. 1., & 11. met. lect. 9. quòd antequam aliquid moueatur, est in potentia ad actum perfectum, qui est terminus motus, & ad imperfectum, qui est motus; sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri, & ad calidum esse: cū autē cale-

calefit, reducitur in actũ imperfectũ, qui est motus, sed adhuc remanet in potentia ad calidũ esse. Ex quo colligitur, quòd res potest considerari in triplici statu, *Primò*, in potentia tantũ sine aliqua reductione ad actũ. *Secundò*, in actu ultimo. *Tertiò* medio modo, partim in actu, partim in potentia. Quando est in potentia tantùm, non dum mouetur: quãdo est in actu perfecto, seu ultimo, cessat motus; quando autem medio modo se habet, tunc est in moueri, & in transitu de uno ad alıud.

2. Ex his facilè explicatur definitio tradita. Primò enim dicitur *actus* quasi loco generis, & sumitur actus, prout abstrahit ab actu perfecto, uel imperfecto. Invenitur autem in motu duplex habitudo, altera respectu mobilis, seu subiecti recipiẽtis motum, in quo convenit motus cũ aliis formis, quæ etiam reducunt subiectũ de potentia ad actum. Et ad hoc explicandum ponitur sequẽs particula *entis in potentia*. Altera habitudo in motu est ad ulteriorem terminum, in quo distinguitur à reliquis formis, quæ solùm actuant subjectũ in quãtùm est in potentia ad se, motus verò actuat subjectũ non solùm ut est in potentia ad se, sed ut est in potentia ad ulteriorem terminum, & propterea posita fuit ultima illa particula, *prout in potentia*, quæ stat loco differentię.

3. Dices: Formę imperfectæ relinquunt subjectum in potentia ad alias formas, ad quas ordinantur, ut forma embrionis relinquit materiã in potentia ad formã perfectã Equi; & tamen hujusmodi formę non sunt motus. ℣ Resp. quòd cum motus sit ipsa actualis uia, & fluxus ad terminũ *ad quem*, oportet, ut immediatè post ipsũ sequatur ipse terminus; ac proindè mobile, quòd motus actuat, debet esse in potentia omninò proxima ad terminum. Cęterũ quamuis materia informata forma embrionis sit in potentia ad formam uiuentis, nõ tamen proximè, sed remotè, idest, post corruptionẽ formæ embrionis. Et sic est dispar ratio; & definitio tradita in priori sensu intelligitur.

4. Secunda conclusio. Hac definitione definitur motus generaliter sũptus, prout compræhendit instantaneum, & successiuum. Est Arist. loc. cit qui post traditam definitionẽ exemplificat illã in generatione substantiali; undè D.Th. lect. 7. dicit: *accipit n. hic motum Aristot. communiter pro mutatione, non autem strictè secundum quod dividitur contra generationem*.

5. Prob. ratione: quia non solùm mutationes successiuè, sed etiam instantaneę imperfectæ sunt actus entis in potentia prout in potentia: ergo prædicta definitio non solùm cõuenit mutationibus successiuis, sed etiã mutationibus instantaneis. Prob. antecedens; quia hujusmodi mutationes actuant subjectum, ut in potentia ad terminum, ad quem proximè, & essentialiter ordinatur, ut formales acquisitiones, & fieri ejusdem. Sicut n. calefactio ordinat proximè, & essentialiter aquam ad recipiendũ calorem, & est acquisitio, & fieri ejusdẽ caloris in aqua; ità generatio substantialis in illo priori naturę, in quo antecedit formam, ordinat proximè, & essentialiter materiam primam ad recipiendam formam substantialem, taliter, ut sit ipsum formale fieri, & acquisitio ejusdem formę in materia: ergo. ℣ Confirmatur, quia quando generatio u. g. ignis intelligitur in fieri,

fieri, intelligitur subjectum in actu per generationem, ut ex se patet, & in potétia respectu termini *ad quem*: nam in illo priori nō intelligitur subjectum sub forma geniti; alioquin non conciperetur generatio in illo priori solùm *in fieri*, sed *in facto esse*, cum tamen licèt, sint simul *fieri*, & *factum esse*, nihilominus priùs debeamus intelligere *fieri*, quàm *factum esse*; quia *factum esse* attingitur per ipsum *fieri*: ergo in illo priori generatio substantialis est actus entis in potentia prout in potentia: ac proinde ei competit definitio motus.

6. Dices: Mutatio instantanea in eo instanti, in quo est, subitò totam formam in subjectum inducit; ergo subitò cōstituit illud in ultimo actu: ac proinde nunquam verū est, quòd subjectum ex ui illius sit in potentia ad ultimum actum. ¶ Confirmatur, in eodem instanti reali non potest esse realiter forma, & privatio illius; aliàs materia simul esset informata, & non informata per talem formam: sed in instanti generationis introducitur forma in materia: ergo in illo instanti materia non potest esse privata forma, nec in potentia ad illam.

7. Respondeo ad argumentū, quòd &si in eodem instanti subitò introducatur forma, adhuc est prius prioritate naturæ fieri formæ, quàm factum esse illius, & ita subjectū prius natura est sub actu imperfecto, quàm sub perfecto. ¶ Ad confirmationem distinguo majorem: in eodem instāti reali non potest esse realiter forma, & privatio illius *strictè sumpta*, concedo: *latè sumpta*, *& minus propria*, nego. Si n. fieri præcedere debet *factum esse*, in eo priori, quo in subiecto intelligitur fieri formæ, nondum intelligitur ipsa forma, & sic subjectum illud intelligitur absque forma, ac proinde cum privatione illius, & potentia ad illam.

8. Tertia conclusio. Mutationes instantaneæ, quæ sunt actus rei perfectæ, ut intellectiones, sensationes, & similes, non compræhenduntur sub hac definitione motus. Ita Aristoteles 3. de anim. tex. 22. D. Th. ibidem lect. 12. & communiter Philosophi. Probatur nam motus, qui hìc definitur, est actus existentis in potentia: sed intellectiones, & sensationes non sunt actus existentis in potentia; versatur n. circa objectum, quando actu habent illud, & tunc sunt perfectiores, quādo magis actuantur ab illo: ergo. ¶ Confirmatur quia motus hìc definitus, est essentialiter via, & acquisitio termini, & ad illud, tanquam ad finem essentialiter ordinatur: mutationes autem istæ non sunt hujusmodi; nam intellectiones, & sēsationes ex sua intrinseca ratione solùm sunt manifestationes, seu attingentiæ obiecti. Et licèt producant speciem expressam, tamen ratio actus immanentis non consistit in hujusmodi productione: nam etiam si non producatur talis species expressa, sicut non producitur in sensu externo, neque in visione beata, datur vera operatio cognitionis circa objectum.

DUBIUM SECUNDUM.

Qua distinctione motus distinguatur à termino, ab actione, & passione, & quodnā sit ejus subiectum?

9. PRima conclusio. Motus realiter distinguitur à termino *à quo*, & *ad quem*. Duplex est terminus motus, *à quo*, & *ad quem*, & ab utroq; mo-

motum realiter distingui asserit cōclusio. De termino *à quo* res est manifesta; quia quando motus incipit, ille desinit esse, uel desericur. De termino verò *ad quem* probatur *primò*, quia motus reipsa, & ante omnem operationē intellectus est uia ad terminum, & fieri illius: eadem autem res nequit sine ulla distinctione reali esse uia realis ad seipsam, & fieri sui ipsius. *Secundò*, quia finito motu remanet terminus *ad quem*: duo autē, quorum unum potest esse sine altero, realiter distinguuntur. Et *tertio*, quia ex opposito sequeretur, actionem generatiuam Lazari, & suscitatiuam ejusdem à Christo Domino elicitam, esse omnino eādem; quod est falsum, cum sint actiones duarum causarum particularium, & distinctis temporibus elicitæ. Sequela probatur ex illo communi axiomate. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed si actio non distinguitur à termino; quælibet ex his actionibus esset omnino indistincta à termino: ergo & eandem indistinctionem haberent inter se.

10. Secunda conclusio. Motus distinguitur realiter ab actione, & passione. Et probatur quia motus est ens omnino incompletum, siquidem nihil aliud est, quàm fluxus, & uia ad terminum, & ideo à prædicamētis excluditur. Actio verò, & passio sunt entia completa, & constituunt duo prædicamenta: Atqui ens realiter incompletum distinguitur ante omnē operationem intellectus ab ente realiter completo: ergo.

11. Tertia conclusio Subiectum motus est mobile Est S. Th. 3. physic. lect. 4. ubi sic hanc conclusionē probat: *quia enim motus est actus existentis in potentia in quātùm hujusmodi existens autem in potentia in quantùm hujusmodi est mobile; sequitur quòd motus est actus mobilis, inquantùm hujusmodi*. Confirmatur nam forma in eo subiectatur, in quo recipitur ejus effectus formalis: sed effectus formalis motus recipitur in mobili (effectus n. formalis motus est moueri, quod autem mouetur, est mobile) ergo subiectum motus est mobile.

12. Contra hanc tertiam Conclusionem aliqui uolunt, motum localem subiectari in spatio, quod mobile pertransit, & non in ipso mobili. Sed hæc opinio facilè reiicitur ratione facta. Nam forma (ut dixi) in eo subiectatur, in quo reperitur eius effectus formalis: sed effectus formalis motus localis reperitur in mobili, nō verò in spatio: ergo motus localis recipitur in mobili: Probatur minor; effectus formalis motus localis est localiter moueri: sed mobile est, non verò spatiū, quod localiter mouetur, seu de uno loco transit in aliū: ergo.

DUBIUM TERTIUM

In quo examinātur difficultates aliqu. spectantes ad motum rigorosè sumptum.

13. Difficultas prima, A quo principio sumatur diuersitas generica motuū? Prima cōclusio, diuersitas generica motuū sumitur ex diuersitate prædicamentorū, ad quę est motus ita Aristoteles lib. 5. phy. tex. 35. & D. Th. ibidem lect. 6. Ratio autē est: quia motus essentialiter respicit terminum *ad quem*, cum sit tendentia ad illum: ergo ubi termini differunt genere, etiam motus ipsi genere diuersi sunt: atqui prędicamenta sunt hujusmodi: ergo.

14 Secun.

14. Secunda conclusio, Prædicamenta, ad quæ datur per se motus, sunt tantùm tria, scilicèt quantitas, qualitas, & ubi. Probatur prima pars conclusionis, quia his tribus prædicamentis conueniunt omnes conditiones requisitæ ad hoc ut sint termini motus: ergo ad hæc tria prædicamenta datur per se motus. *Probatur antecedens:* conditiones terminorũ motus sunt tres, nempè quòd sint positiui, aliquo modo contrarij, & quòd habeant latitudinem aliquã successiuè percurrendam: atqui hæ conditiones conueniunt tribus prædictis prædicamentis: nàm in primis quodlibet eorum habet latitudinem, vèl *extensionis*, vt in quantitate; vèl *intensionis*, vt in qualitate, vèl *localis distantiæ*, vt in vbi. Insupèr reperiuntur ibi termini positiui, quantitas maior & quantitas minor, qualitas remissa & qualitas intensa, vbi sursùm & vbi deorsùm. Et tandèm termini isti sunt aliquo modo contrarii, & incompossibiles simul, ut patet: ergo.

15. Dices: cùm quantitas de minori fit maior, minor quantitas non relinquitur, sed permanet, estq; simùl cum maiori. Respondeo, quòd licèt maneat eadem quantitas quoad entitatem, non tamèn cùm eadem terminatione minoris: quantitas enim quæ ante augumentum erat parua, post augumentum non manet parua, sed magna. Et hoc sufficit, vt terminus *à quo*, formalitèr ut terminus *à quo*, relinquatur, & non maneat simùl cùm termino *ad quem*.

16 Secunda verò pars conclusionis probatur, discurrendo per cætera prædicamenta. Nam in primis substantia cùm producitur, non fit ex positiuo, sed ex priuatiuo; est n. generatio substantialis transitus de non esse ad esse, eiusq; principia sunt materia, forma, & priuatio. Neque cùm corumpitur, fit transitus ad aliquid positiuum, sed ad aliquid priuatiuũ, scilicèt ad non esse. Mutatio autem à priuatiuo in positiuum, uel à positiuo in priuatiuum, non est successiua, sed instantanea, quia priuatio, cum in indiuisibili consistat, tota simùl deseritur, aut acquiritur. Relatio verò, quando, situs, & Habitus, non fiunt per se, sed per resultantiam: nàm relatio resultat ex fundamento; quando ex duratione; situs ex vbi; & habitus ex vestibus: ergo præsupponunt motum iam specificatum, & terminatum ab illo, ex quo resultant; ergo non possunt esse termini specificatiui, & per se motus. Denique de actione & passione res est clara, & ab omnibus cõceditur nõ esse hujusmodi terminos specificatiuos motus. Dicendũ est ergo tantũ ad quãtitatẽ, qualitatem, & vbi, & ad nullum aliud prædicamentum dari per se motum.

17 Ex dictis, infertur, tres tantùm esse motus genericè distinctos. Primus est motus ad quantitatẽ, qui dicitur augumẽtatio, aut dimunitio. Secundus ad qualitatem, qui dicitur alteratio, intensio, & remissio. Tertius ad ubi, qui dicitur latio, seu motus localis.

18. Difficultas II unde desumatur unitas numerica motus? Unica conlusio, unitas numerica motus desumitur ab unitate mobilis, termini, & temporis. Ità D Th. 5. physic. lect. 7. & omnes communiter. *Prima pars probatur*, quia accidens indiuiduatur à subiecto: ergo ad hoc ut sit unus motus, unum debet esse eius subiectum: sed eius subiectum est mobile: ergo motus sumit suam unitatem nume-

numericam ab unitate mobilis. *Probatur secunda pars conclusionis*; quia motus est tendentia ad terminum: ergo ubi fuerint diversi termini, erũt diversæ tendentiæ. *Probatur denique tertia pars*; quia tempus est duratio intrinseca motus: sed interrupta duratione intrinseca, interrumpitur res durans: ergo ad unitatem numericam motus requiritur continuitas temporis.

19. Contra unitatem mobilis est vulgare exemplum in cane decidẽte de turri, si in medio moriatur; uel si ambulante prægnante animetur fœtus: illi motus sunt in diversis subjectis, scilicèt cane, & cadauere; embrione, & vivente; & tamen motus est unus, quia continuus, & nulla quiete interruptus: ergo ad unitatem motus nõ requiritur unitas subjecti.

20. Respondetur quòd in illis casibus discõtinuantur motus propter discontinuationem subjecti, supposito quòd non manent eadem accidentia in genito, & corrupto, ut ostendemus in libris de generatione, licèt maneat accidens simile. Et ita fallitur sensus uidens continuari eundem motum, cum tamen non sit idẽ numero; sicut quando iudicat esse eandem uirgam, quæ partim est uiridis, partim sicca; cum tamen non sit continua, sed contigua; & si proiiciatur, uidetur ferri unico motu, cũ tamẽ duplici feratur propter duplex subjectum; sicut etiam plura ligna ligata uidentur ferri unico impetu, & tamen pluribus motibus mouentur; sic in illo instanti, quo generatur cadauer descẽdente cane, incipit alius motus inceptione extrinseca, quia in illo instanti motus non est, sed finis motus præcedentis, & inchoatio extrinseca sequentis, sufficitque illa quies negatiua, ut in diversis subjectis discõtinuetur motus.

21. Pro quo nota, ad continuationem motus non sufficere, quòd immediatè ad aliquod instans precesserit, & sequatur motus, sed requiri quòd illi instanti correspondeat mutatum esse copulãs utramq; partem, quia partes motus non continuãtur, nisi per mutata esse; quod non habetur in præsenti; nam in illo instãti, in quo debebat poni mutatum esse à motu canis, desinit esse simul cũ ipso cane, in quo subjectabatur, & est generatio cadaueris, & tempore immediatè post motus cadaueris, quia motus cum sit successivus, in instanti incipere non potest: undè in illo instãti intrinsecè neq; est motus canis, neq; motus cadaueris, neque aliquod mutatum esse copulativum utriusque motus, sed tantùm quies negatiua.

22. Difficultas III. Unde sumatur contrarietas in motibus? Et an aliquid moueri possit duplici motu contrario? Prima conclusio. Contrarietas in motibus desumitur à contrarietate terminorum *ad quem*. Et probatur; quia ab eo motus habent suam contrarietatem, à quo desumunt speciem: atqui desumunt suam speciem à terminis *ad quem*: ergo ab his habent contrarietatem. Probatur major; oppositio rerum consequitur distinctionem specificam ipsarum: ergo ab eo desumitur oppositio contraria motuum, à quo distinctio specifica. Undè sicut quantitas major opponitur contrariè (modo supra explicato) quantitati minori, ubi sursum ubicationi deorsum, & calor frigori; ita augumentatio contrariatur diminutioni, motus sursum motui deorsum, & calefactio frigefactioni.

23. Secunda conclusio, Potest idem corpus simul moveri motibus contrariis secundùm diversas partes; vel etiam secundùm se totum, si unus ei conveniat per se, & alter per accidens; vel uterque per accidens. *Prima pars est evidens*: potest enim in eodem corpore manus moveri motu calefactionis, & simul pes motu frigefactionis; manus sursum, & pes deorsum. *Secunda etiam est clara*: quia experientia videmus, quòd dum Nauta movetur per accidens ad motum navis versus occasum exempli gratia movetur per se interdū versus orientem, propriis pedibus incedendo in navi, puta à prora ad puppim: & idē Corpus Christi per accidens ratione diversarum formularum seu specierum consecratarum simul movetur sursum in uno altari, & in alio deorsū.

24. Tertia conclusio, Non potest idem mobile secundùm eamdē partem simul moveri per se duobus motibus contrariis etiā in gradibus remissis. Et probatur quia omnis frigefactio e. g. quantumvis remissa, est recessus à calore, & calefactio est accessus ad calorem: similiter motus sursum est ascensus ad locum superiorem, motus verò deorsum est descensus ad locum inferiorem: atqui implicat idem corpus secundùm eādem partem simul accedere per se ad unum terminum, & ab illo recedere: ascendere, & descendere: ergo etiam implicat, quòd possit simul moveri duobus motibus contrariis?

25. Dices: Duæ qualitates contrariæ, ut calor, & frigus, possunt simul esse in gradibus remissis in eodem subiecto: ergo etiā duo motus contrarii ad illas tendentes in eodē mobili. ¶ Resp. negando consequētiam, quia una hujusmodi qualitatū nō est ex propria ratione abjectio alterius, secus verò motus: & ideò illæ in gradibus remissis simul esse possunt, non autem isti.

DISPUTATIO XVII.

De Infinito.

1. INfinitum dicitur illud, quod non habet finem, seu quod caret terminis ipsum finientibus, & limitantibus. Est duplex: aliud in actu, seu cathegorematicum; aliud in potentia, seu syncathegorematicum. Infinitū in actu est illud, cui nō solū nō potest signari terminus, ultra quē non transeat, sed etiam de facto omnes terminos transit. Infinitum verò in potentia dicitur illud, quod secundùm id, quod actu habet, est finitum; secundùm verò id, quod potest habere, & est in potentia, est infinitum, quia nunquam potest illi signari certus, aut determinatus numerus, ultra quē transire non possit. In præsenti solùm agimus de infinito in actu; nam de infinito in potentia nulla est difficultas: certum enim est, illud dari, nam hoc modo divisiones continui sunt infinitæ, cū quælibet data possint fieri aliæ, & aliæ in infinitum: hoc etiam modo cogitationes hominū, & Angelorum sunt infinitæ, quia licèt semper sint actu in numero finito, tamen nunquam futura est ultima, ultra quam non futura sint aliæ, & aliæ futuræ absq; fine.

DUBIUM UNICUM

An de potentia Dei absoluta sit possibilis creatura aliqua infinita in determinato genere entis?

2. SUpponimus ex communi sententia, non esse possibilē creaturam

turam aliquam infinitam in omni genere entis; solus enim Deus est huiusmodi, quia solus Deus est purus actus, continens omnem perfectionẽ sine ulla limitatione. Quare tota difficultas reducitur ad infinitum in actu in determinato genere entis, & per respectum ad potentiam extraordinariam Dei, quia de facto certũ est, neque in determinato genere entis huiusmodi infinitum dari, cum omnia facta sint in numero, pondere, & mensura, ut habetur sapient. 12.

3. Prima conclusio. Non potest dari creatura aliqua infinita in genere substantiæ. Est fere communis; & probatur; quia infinitũ debet carere terminis in illo genere, in quo est infinitum: nulla autem creatura intra genus substantię potest carere terminis; termini enim substantiæ uel sunt physici, uel metaphysici; metaphysici sunt genus, & differẽtia; physici verò materia, & forma in cõpositis, uel potentialitas, & actualitas in simplicibus: nulla autem substantia creata potest carere genere, & differentia, cum sit in predicamento, quod est coordinatio generum, & specierum: neq; potest carere aliquo termino physico, quia non potest esse actus purus, sed debet habere admixtam aliquam potentialitatem: ergo intra genus substantiæ non potest dari creatura aliqua infinita.

4. Confirmatur. Quod determinat rem ad aliquam certam perfectionẽ, ultra quam non se extendat, præfigit ei fines, ipsamque limitat: atqui genus & differentia determinant rẽ, quam constituunt, ad certam perfectionem, extra quam non se extendat: ergo finiunt, & limitant illam. Probatur minor, nam species Gabrielis v.g ex ratione generica habet, quòd non participet totam perfectionem sub latitudine entis creati contentam, sed aliquam illius partẽ, nempe substantiæ: & ex propria differentia habet, quòd neque participet totam perfectionem sub genere substantiæ comprehensam, sed peculiarem talis speciei, excludendo perfectionem aliarum: ergo genus, & differentia determinant rem, quã constituunt, ad certam aliquam finitam, & limitatam perfectionem.

5. Secunda conclusio. Similiter repugnat dari infinitum in actu in genere accidentis. Ita Thomistæ hìc, & 1. p. q. 7. art. 3. & 4. Probatur primò ratione generali; quia cuilibet accidenti debet correspondere suum proportionatum subiectum, cũ eius esse sit inesse: atqui accidenti infinito nullum subiectum proportionatum correspondere potest, quia quæuis substantia creata, quæ est subiectum accidentium, est finita: ergo nullum accidens dari potest infinitum.

6. Probatur secundò ratione speciali, discurrendo per singula accidẽtia, de quibus est controuersia inter Phylosophos. Et in primis quòd nõ possit dari infinitum in quantitate continua sic ostendo; Omnis quantitas debet esse sub aliqua figura: ergo debet habere aliquem terminũ, ex quo figura resultet (figura enim est modus resultans ex terminatione quantitatis) quod autem habet terminum, non potest esse infinitum: ergo implicat, quòd detur quantitas infinita.

7. Quòd neque sit possibile infinitum in quantitate discreta, probatur quia omnis multitudo quantitatiua debet esse in aliqua specie determinata numeri (nihil n. est sub genere, quod non sit in aliqua specie

talis generis,ideoq; implicat dari animal realiter existens, quod non sit sub aliqua specie determinata animalis: omnis autem multitudo quātitatiua cōtinetur sub genere numeri:ergo debet esse in aliqua illius determinata specie) atqui multitudo infinita sub nulla specie determinata numeri esse potest: ergo hujusmodi multitudo non est possibilis. Probatur minor,quia omnis species numeri constituitur per aliquam ultimam unitatem : nulla autem multitudo infinita constitui potest per ultimam unitatem (omnis.n. multitudo habēs ultimam unitatē,est actu finita)ergo nulla multitudo infinita esse potest sub aliqua specie determinata numeri. ¶ Cōfirmatur; quia quelibet species determinata numeri consistit in indivisibili : nam numerus quolibet addito, uel subtracto fit major, uel minor,& sic uariatur. Sed multitudo infinita, neque additione unitatis fit major,nec subtractione minor; quia infinitū subtracto, uel addito aliquo finito manet infinitum : ergo nulla multitudo infinita potest esse species determinata numeri.

8. Tertiò ostendo non esse possibile infinitū secundū magnitudinē; quia data magnitudine infinita, sequitur dari posse distantiam actu infinitam intra duos terminos clausā; quod apertè implicat, nam talis distantia foret infinita, ut supponitur, & simul finita, utpotè terminis clausa. Sequela autem probatur ex illo principio mathematico, quòd duæ lineæ ab eodem puncto ductæ, quo plus ab hujusmodi centro protrahūtur,eo magis distant inter se:sed data infinita magnitudine, possent ab eodem illius magnitudinis puncto duę lineę protrahi in infinitum, siquidē extensio illius magnitudinis in infinitū procederet : ergo illæ duę lineę distarent à se invicem distantia infinita: atqui talis distantia esset terminis clausa, nempè duabus illis lineis, cum neutram illarum egrederetur: ergo daretur distantia actu infinita, & nihilominus terminis clausa, & finita.

9. Quartò, Non esse possibile corpus infinitū; quia omne corpus habet superficiem : sed corpus habens superficiem est finitum,quia superficies est terminus corporis: ergo nō est possibile corpus infinitū. Rursus; quia corpus infinitū non potest moveri, nec motu recto, nec motu circulari: implicat autem, quod detur aliquod corpus,quod constet ex materia, & forma, quæ sunt principiū motus, & quod non possit moveri: ergo etiam implicat,quod detur corpus infinitum. Majorem probo, & primò de motu recto; nam per hūc motū mobile de uno loco transit secundùm se totum in aliūm : sed corpus infinitum non potest secundùm se totū transire de uno loco in aliū, quia corpus infinitum replet omnē spatium; ergo corpus infinitum nō potest moveri motu recto. Quòd neq; possit moveri motu circulari,sic ostendo; Per hujusmodi motū una pars mobilis debet pervenire ad locū alterius: sed una pars corporis infiniti non potest pervenire ad locum alterius,quia inter unam,& aliā partem datur distantia infinita,ut numero prec. ostensum est : distantia autē infinita est impertransibilis:ergo

10. Dices: Corpus infinitū posse moveri in actu primo, quamvis motus actualis repugnet. *Sed contra est*; quia quando implicat actus secūdus, implicat etiam primus, quia primus

essen-

essentialiter refertur ad secundum: sed in corpore infinito implicat actus secundus motus: ergo etiam primus potentiæ motivæ.

11. Et quintò probo, Non esse possibile infinitum secundùm intensionem. Quia intensio est explicatio qualitatis in subjecto: ergo non potest dari intensio infinita, nisi detur explicatio infinita qualitatis in subjecto. Sed hujusmodi explicatio infinita qualitatis in subjecto nō est possibilis: ergo neq; est possibilis intensio infinita. Minorem probo; explicatio infinita qualitatis requirit in subjecto, in quo recipitur, capacitatem infinitam: atqui nullum subjectum creatum habet, aut habere potest capacitatem infinitam (entitas enim cujuslibet subjecti creati est finita, & limitata: ergo & capacitas, quæ ab entitate non distinguitur) ergo explicatio infinita qualitatis in subjecto, non est possibilis.

12. Ob. 1. Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem: Nulla autem contra infinitum assignari potest implicantia; neque enim infinitas repugnat enti, ut ens est, nam Deus est ens, & infinitus; neque enti creato, quia esse creatum nil aliud addit supra ens, nisi esse participatum, & dependens; at si daretur infinitum in aliquo determinato genere, illud utiq; non esset Deus, sed ens participatum: ergo. ℣ Resp. infinitatem cōtradicere creaturę quia posita quacumq; creatura, necessariò illa deberet esse finita; & sic si daretur infinitum in aliquo determinato genere, illud esset simul finitum, & infinitum, ideoq; implicat, ut ostensum est.

13. Ob. 2. Deus operans liberè non est minus potens, quàm si ageret ex necessitate: sed si ageret ex necessitate naturæ produceret effectū infinitè perfectū: ergo etiam ut operans liberè poterit illum attingere. Probatur minor quia si ageret ex necessitate naturę, applicaret totam suā virtutem actu infinitam: virtus autē actu infinita totaliter applicata, & secundùm totas suas vires agens, necessariò produceret effectum infinitè perfectum: ergo. ℣ Resp. quòd cum effectus actu infinitus ex parte sui sit impossibilis, ut ostensum est, nunquam produceretur, etiam facta illa suppositione impossibili, quòd divina omnipotentia ageret necessariò, & secundùm totas suas vires in productione rerum ad extra, sed in eo casu continuò, & sine ulla interruptione produceret ex nihilo effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum.

14. Ob. 3. Deus cognoscit omnes creaturas possibiles: ergo omnes illas producere potest: sed creaturæ possibiles quoad numerum sunt infinitæ: ergo productio infiniti secūdùm multitudinem est possibilis. ℣ Confirmatur: infinitæ cogitationes, quas per totam æternitatem habituri sunt Beati, realiter coexistunt ipsi æternitati: ergo saltem respectu ejusdem æternitatis dabitur infinitum in actu secundùm multitudinem.

15. Respondetur ad obiectionem, Negando consequētiam; Deus enim cognoscit objectum sicuti in se est: undè cum creaturæ possibiles in sua possibilitate non habeant, ut possint esse simul omnes, Deus eas non cognoscit ut simùl possibiles, licèt eas omnes simul, idest, sine successione cognitionis cognoscat. Sicuti Deus cognoscit simul partes temporis, vel motus, & tamen non potest eas simul

mul ponere, quia successivè sunt, & successiva ex sua natura non possunt esse simul. Ad confirmationem similiter negatur consequentia; nam ea, quæ coexistunt æternitati, non oportet esse simpliciter simul, quia res quantumvis essentialiter successivæ, atq; adeò quæ simpliciter loquendo nequeunt esse simul, possunt coexistere simul in æternitate, quæ cũ sit mensura superior indivisibilis, & tota simul, ambit ratione suæ infinitæ perfectionis, tàm præterita, quàm præsentia, & futura; & ideò possunt aliqua simpliciter manere infinita infinitate in potentia, & simul esse præsentia in æternitate, in quo neq; ex parte infiniti in potentia, neque ex parte æternitatis ulla ostenditur repugnantia.

16. Obj. 4. Id, quod est essentialiter perfectius in aliquo genere sive univoco, sive analogo, omnibus aliis speciebus possibilibus illius generis perfectioribus; & perfectioribus in infinitum, debet esse essentialiter infinitæ perfectionis in illo genere; sed tale est lumen gloriæ intra genus luminis, uisio beata intra genus uisionis, & unio hypostatica intra genus unionis; ergo hæc sunt infinitæ perfectionis essentialis intra suũ genus. Prob. minor, nullũ lumẽ possibile est, quod pertingat ad perfectionem essentialẽ luminis gloriæ; & nulla cognitio, quæ pertingat ad perfectionẽ essentialem uisionis beatæ; & nulla unio, quæ pertingat ad perfectionem unionis hypostaticæ: ergo lumen gloriæ intra genus luminis, uisio beata intra genus uisionis, & unio hypostatica intra genus unionis in perfectione essẽtiali sunt perfectiora omnibus aliis possibilibus in suis generibus. ¶ Confirmatur aliquibus paritatibus. Si enim daretur aliqua linea determinata, longior quacumq; alia linea possibili, majori, & majori in infinitum, utiq; illa esset actu infinita intra speciem lineæ. Et si daretur aliquod corpus majus quocumq; alio, uel infinitis aliis possibilibus majoribus, & majoribus in infinitum, tale corpus esset infinitæ magnitudinis. Et si daretur aliqua qualitas tantæ intensionis, quæ esset intensior quacũq; alia possibili majori, & majori in infinitum, esset infinitè intensa. Ergo pari modo si datur aliquod lumen in essentia sua perfectius quolibet alio lumine possibili perfectiori, & perfectiori in infinitum, erit infinitũ simpliciter in genere luminis; idẽ dico de uisione, & de unione: talia autem uidentur esse lumen gloriæ, uisio beata, & unio hypostatica, ut ostensum est; ergo.

17. Resp. ad argumentum distinguendo majorem, si fiat comparatio inter res ejusdem ordinis, concedo; si verò inter res diversi ordinis, nego. Et eodem modo distincta minori, neganda est consequentia. Ad hoc n. ut aliquod ens intra latitudinem alicujus generis determinati habeat infinitatẽ simpliciter, requiritur, quòd non sit alterius ordinis ab iis, cum quibus fit comparatio in augmento perfectionis, ut patet mille exemplis, nam licèt qualibet superficies intra genus quãtitatis sit essentialiter perfectior, quàm sit qualibet linea possibilis, non tamen propterea est infinita simpliciter; & virtus sensitiva etiam si cresceret in infinitum, nunquam perveniret ad perfectionẽ intellectus, & non propterea virtus intellectiua est infinita simpliciter; ergo similiter neq; lumen gloriæ, neq; uisio beata, neque unio hypostatica

erunt

erunt infinita simpliciter, quamuis nō sit possibile aliquod lumen, quod pertingat ad perfectionem essentialē luminis gloriæ, neq; sint dabiles aliqua cognitio, & aliqua unio, quæ pertingant ad perfectionem essentialem uisionis beatæ, & ad perfectionem essentialem unionis hypostaticæ. Quāuis autem prædicta entia simpliciter finita sint, dici tamen possunt infinita extrinsecè, quia terminantur ad aliquod infinitū, ut aduertunt Interpres à S. Th. hic q. 15. art. 1. §. *his suppositis*. Et Franciscus Manca q. 3. dub. 2. ad primum. Ex quibus constat solutio ad confirmationem; disparitas enim maxima est in illis exemplis, in quibus fit comparatio inter res ejusdem ordinis, ut patet consideranti.

18. Quærunt hic Auctores, an unū infinitum possit esse majus alio? Qui admittunt infinitum, tenentur fateri, unum esse majus alio, puta si daretur multitudo infinita hominum, major, & numerosior esset infinitas digitorum, & capillorum: quādoquidem quivis homo haberet decem digitos, & multò plures capillos. Sed ego existimo, hoc esse unum ex præcipuis absurdis, quæ ex positione infiniti sequerentur, nempè quòd si daretur infinita multitudo in actu, tot essent binarii in illa multitudine, quot quaternarii; & si producerentur infiniti homines, tot essent homines, quot capilli eorum. Assumptum probo, quia posita infinita multitudine, in qua supponimus esse infinitos binarios, uel in ea etiā sunt infiniti quaternarii, uel non? Si primum: ergo in illa multitudine tot erunt binarij, quot quaternarii. Si secundū: ergo multitudo illa numerata per numeros quaternarios nō est infinita: ergo neque erit infinita numerata per numeros binarios. Prob. consequentia, quia numerus quaternarius cōstat ex duplici binario: ergò multitudo finita numerorum quaternariorum consurgit ex duplici cumulo binariorū, quorum quilibet est finitus; ergo cū ex duobus finitis fieri non possit infinitum, multitudo illa binariorum erit finita.

19. Confirmatur, si sit possibilis infinita multitudo hominum, ponamus quòd singuli eorū habeant singulos nummos aureos, quòdq; eos omnes in unum projiciant cumulum. Hoc posito, uel singuli homines possent ex illo cumulo unicum tantùm nūmum resumere, uel singuli denos, aut saltem plures quàm unum, in quocunq; tandē numero illos designes: neutrū autem dici potest: non quidē primum: quia si non possent accipere singuli denos, sed unum solū, ideò esset, quia antequā infiniti homines accepissent, exhauriretur numerus aureorum: hoc autem esset falsum; quia numerus infinitus non exhauritur ex detractione numeri finiti, qualis esset, si homines dumtaxat finiti acciperent singuli denos. Neque secundum, quia singuli posuerunt unum dumtaxat, & non fuerunt aliundè immissi alij nummi, ut suppono: ergo unusquisque suum dumtaxat resumere poterit. Dicendum igitur est, huiusmodi infinitū esse prorsus impossibile.

20. Solet etiā hic quæri à DD. supposito, quòd omnes creaturæ possibiles sint finitę perfectionis, an inter eas sit una omnium perfectissima, qua aliam perfectiorem Deus producere nō possit? Cōmunis sētentia negatiuè respondet; quia aliter Dei potentia temerè sit finita; nam ex parte creatu-

rarum

rarũ nulla apparet repugnantia, quòd data quacumq; detur alia perfectior: ergo si Deus non potest hujusmodi creaturam perfectiorem causare, non erit ex impotétia passiua effectus, sed ex defectu actiuæ potentiæ agentis. Ratio à priori est: quia quęlibet creatura est participatio quædam diuinæ perfectionis: diuina autem perfectio, cum sit in omni genere infinita, est infinities in infinitum participabilis: ergo nulla creatura dari potest, quæ sit adæquata participatio diuinæ perfectionis: ac proinde non datur creatura omnium perfectissima, sed data quacumq; possibilis est, alia, & alia perfectior in infinitum.

21. Ob. 1. Illud est possibile, quod non repugnat: creatura omniũ perfectissima non repugnat: ergo est possibilis. Prob. minor: si repugnaret, maximè esset, quia creatura omnium perfectissima deberet adęquare totam Dei perfectionem, & exhaurire Diuinam omnipotentiam: atqui ex his capitibus non repugnat: ergo ex nullo capite. Prob. minor, non est necesse quòd creatura omnium perfectissima adæquet diuinam perfectionem; exhaurire autem diuinam omnipotentiam non repugnat creaturæ: ergo ex his capitibus creatura omnium perfectissima non repugnat. Prob. antecedens; tota collectio creaturarum possibilium est sũma perfectio, supra quam non est possibilis alia creatura perfectior: sed tota collectio creaturarum possibilium non adęquat diuinam perfectionem, & exhaurit diuinam omnipotentiam: ergo non est necesse quòd creatura omnium perfectissima adęquet diuinam perfectionem; neque exhaurire diuinam omnipotentiã repugnat creaturę ¶ Respondeo, negando minorem; & ad omnes eius probationes dico breuiter, quòd ideo creaturę possibiles non adequãt diuinam perfectionem, quia licèt illam participent quantum participabilis est, tamen cũ sint plures, & distinctæ, non possunt participare rationem actus puri, quę est maxima perfectio propria Dei. Si autem una creatura posset participare omnes perfectiones Dei, omnes perfectiones Dei essent in illa simul & indistinctæ, & consequentèr per modum actus puri: quod implicat, nam aliàs nõ esset creatura, sed Deus. Ad illud autẽ de explectione diuinę omnipotentię respondeo, esse maximum absurdum, quòd creatura aliqua finita expleat diuinam omnipotentiam; quod quidem absurdum non sequitur in creaturis possibilibus, quæ infinitæ sunt in infinitũ sine termino.

22. Ob. 2 in collectione omnium creaturarum possibilium est summa uicinitas cùm Deo. Hæc summa uicinitas non est in omnibus creaturis, sed in aliqua tantùm: ergo dabitur aliqua creatura summè uicina Deo, & ideò summè perfecta, qua perfectior dari non poterit ¶ Respondetur negando maiorem; si enim nulla creatura assignari potest ità uicina Deo, qua uicinior dari non possit; ergo in collectione omnium creaturarum possibilium non est summa uicinitas cum Deo: & sic argumentum istud est de subiecto non supponente; & facilè ostendi potest hoc simili argumento, *In collectione omnium numerorum finitorum datur numerus summè uicinus infinito: ille est maximus omnium finitorum: ergo datur numerus maximus omnium finitorum.* Atqui hoc est falsum: ergo etiam est falsum, quòd detur creatura una Deo

maximè

maximè uicina. Quòd autem hoc sit falsum, patet, nàm si daretur hic numerus finitus maximus omnium finitorum, inquiro. Si huic numero addatur una unitas, uel hic numerus remanebit finitus, uel euadet infinitus? secundum dici non potest, quia finitum additum finito non facit infinitum. Si primum: Ergo prior numerus nõ fuit maximus omnium finitorum, siquidem augeri potuit, ac proindè dari major numerus finitus. Uideatur noster Stephanus Spinula in presenti disp. 9. sect. 7. qui sua solita subtilitate soluit omnia argumenta Arriagę tuentis contrariam sententiam.

DISPUTATIO XVIII.

De loco.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit locus?

1. OMnes fatentur dari locũ, quod colligunt ex ipsa trasmutatione corporum, quę secundùm locũ mouentur. Nam sicut ex transmutatione, quę est secundùm formas substantiales, deducitur esse in rebus quoddam primum subjectum, quod omnibus illis subsit, & in quo prædictæ formę, sibi invicem succedant: ità ex transmutatione corporum secundùm locum (constat enim experientia, quòd ubi prius erat unũ corpus, ibi succedit aliud, & aliud) manifestè colligitur, dari locum, qui sit omnium corporum commune receptaculum.

2. Sed multum discrepant in assignando, in quonam consistat. Aliqui enim uolunt, locum idem esse ac ubi. Sed hæc opinio est omninò falsa: nam locus est id, in quo aliquid est: res autem non est in ubicatione, sed ubicatio potius in re ubicata, cũ sit accidens illius. Rursus, unũ corpus succedit in locum alterius: nullum autem corpus succedit in ubi alterius, cùm quodlibet corpus habeat suum proprium vbi.

3. Alii tenent, locum esse interuallum, seù spatium, quod dicunt esse inter latera corporis cõtinentis. Hec etiã sententia est improbabilis; nam vel spatium illud est fictum, seù imaginarium, uel uerum, & reale? Si primum: ergo re uera nihil est: nihil autem nõ potest esse locus; quia locatum est in loco tanquam in eo, in quo continetur; sed nulla res potest contineri in pura nihilitate: ergo. Secundùm verò dici non potest; quia spatium illud reale non potest esse substantia, quia locus debet esse extensus, ut circumscribat locatum; substantia autem, sine quantitate nõ est extensa: neq; substantia extensa per quantitatem, aut sola quantitas, quia corpus locatum non potest esse in substantia extensa, uel in quantitate ut in loco, & non penetrari cum illa: penetratio autem duorum corporum non conceditur naturę. Neq; tandem potest dici, quòd sit aliquod aliud accidens distinctum, & separatum à substantia, & quantitate, quia nullum accidens naturaliter esse potest sine subjecto: Ergo re uera illud spatium reale inter latera corporis continentis non datur.

4. His igitur rejectis sententiis, Dicendum est, locum esse ultimam superficiem corporis continentis. Et hæc est communis sententia nostris temporibus: quam docuerunt Arist. in præsenti, & D.Th. ibidem lect. 6.

& opusc. 52. Prob. ratione: quia quę conveniunt loco, conueniunt huic superficiei: ergo hęc est locus. Prob. antecedens; duo potissimè conveniunt loco, scilicèt circūscribere locatum, & undequaque tangere illud: atqui hæc duo cōveniunt superficiei: ergo. Prob. minor; superficies duo habet, primum est, esse longam, & latam: secundum verò esse indivisibilē secundùm profunditatē. Ex qua parte est indivisibilis secundū profunditatem, potest tangere locatum; quod quidem non posset, si non haberet hanc indivisibilitatem: quia nequeūt duo corpora secundùm profunditatē se tangere, nisi adsit ibidem aliqua penetratio: Et ex qua parte est longa, & lata, potest undèquaquè ambire, & circumscribere locatum: ergo, &c.

5. Ob. 1. Ultima sphęra est in loco, & tamen nulla superficies datur ambiens illam, cum non habeat extra se aliquid continens, & circūdans: ergo superficies ambiens non est locus. Prob. major; ultima sphæra alicubi est, & motu locali mouetur: ergo est in loco; quod enim non est in loco, localiter moueri non potest. ❡ Obiectio hæc procedit supposita sententia Aristotelis, qui tantùm concedit octo sphęras cælestes, nempè septē planetas, & Cęlum stellatū, quod nomine primi mobilis insigniuit, existimans omnes orbes celestes moueri: quia si de re ipsa absolutè loquamur, dicendum est, ultra hanc ultimam sphęram, quā Aristoteles agnouit, esse aliam, quæ perpetuò quiescit, estq; sedes, & domicilium Beatorum, & ob ejus splendorem Cœlum Empyreum nominatur. Vndè sphęra illa, quæ in sententia Aristot. erat ultima, est re ipsa in alia sibi superiori tanquā in loco circumscriptiuo, quia ab ipsa vndequaq; ambitur. Nihilominus, quia de Cęlo empyreo potest fieri simile argumentū, ideò placet difficultatem examinare de primo mobili, iuxtà principia Aristotelis.

6. Super qua difficultate est triplex sententia. Prima asserit, ultimā sphęram, quæ secundùm Aristotelem est octaua, esse in loco, non ratione superficiei continentis ipsam, sed ratione superficiei conuexæ septimæ sphæræ contentæ ab ipsa. ❡ Sed hęc responsio est contra superius dicta. Et ratione confutatur; nā locus debet continere locatū: superficies autem conuexa orbis immediatè inferioris, & proximi respectu primi mobilis, non continet illud: ergo primum mobile non potest esse in loco ratione illius superficiei. Confirmatur, quia orbis proximus octauæ sphęræ, scilicet Saturnus, est in loco ratione ipsius octauæ sphęræ: ergo repugnat, hanc esse in loco ratione ipsius Saturni; aliàs simul esset locatum, & locus respectu ejusdem, quod dici non potest, cum locus, & locatum petant rationes ex Diametro oppositas, scilicet circumscribere, & circumscribi.

7. Secunda sententia dicit, primū mobile esse in loco ratione suarum partium. ❡ Sed contra: quia ad hoc ut aliquid sit in loco, requiritur quòd ambiens sit diuisum ab eo, quod ambitur: partes autem primi mobilis non sunt diuisę. Quòd possunt diuidi, solùm arguit, quòd una pars potest esse in superficie alterius ut in loco, non quòd re ipsa sit.

8. Tertia denique & uerior sententia negat, primum mobile esse in loco, quam expresè docet, & probat

bat D. Th. 4. physic. tex.42. dicens: *cùm locus sit terminus continentis, cuicũque corpori adiacet aliquod corpus continens ipsum exteriùs, hoc est in loco: cui verò corpori non adiacèt aliquod corpus exterius continens, ipsũ autẽ minimè est in loco: tale corpus in mundo non est nisi unùm, scilicèt ultima sphera, quæcumq; sit illa; vndè secundùm hanc determinationem sequitur, quòd vltima sphera non sit in loco*. Et sic ad objectionem respondetur, negando majorem, & ad probationem dico, quòd ad hoc ut ultima sphera dicatur esse alicubi, & ad hoc ut localiter moueatur, non oportet quòd sit in loco, sed sufficit quòd sit circa locũ. Ità Toletus lib. 4. physic. cap. 5. q. 7. circa finem, quod mihi uerum uidetur.

9. Ob. 2 Stat aliquid in eodẽ loco manere mutatis multis superficiebus ambiẽtibus: ergo superficies ambiens non est locus. Prob. Antecedẽs; ponamus corpus aliquod in aere per tempus aliquod quiescere, & quòd aer uẽti flatu moueatur: illud corpus quiescens in illo tempore manet in eodẽ loco, & tamen cum uento moueatur aer, noua, & noua secundùm se totũ ambitur superficie: ergo &c. ❡ Resp. quòd locus non est superficies continens utcumq; locatũ, sed cum tali distantia à partibus mundi, & situ determinato; In casu autem posito, licèt sint plures superficies, aliæ aliis succedentes, quia verò manet eadẽ distantia, & situs, ideò perseverat idem locus. Igitur unitas, uel pluralitas locorum nõ ex superficiei unitate, vel pluralitate materiali est desumẽda, sed formali, idest, ut subest tali distantiæ, & situi. Est doctrina S. Th. 4. physic. lect. 6. vbi sic ait: *licèt hæc pars aeris, uel hæc pars aquæ effluat, & moueatur in quantũ est hæc aqua: tamen secundùm quod habet hæc aqua rationem loci, scilicet situs, & ordinis ad totum sphericum Cæli, semper manet; sicut etiam dicitur idẽ ignis manere quantùm ad formam, licèt secundùm materiam uarietur, consumptis, & additis quibusdam lignis*.

10. Dices: non potest uariari superficies, quin uarietur ordo, quia hic subjectatur in illa: ergo si in casu argumẽti perseuerat idẽ locus, locus non potest consistere in superficie, etiam ut prædicto ordini subest. ❡ Resp. quòd licèt ipse ordo entitatiuè consideratus uarietur cum ipsa superficie, in qua subjectatur, tamen hoc nõ tollit absolutè loquendo unitatem loci, quia solùm uariatur ordo entitatiuè, & materialiter ex parte subjecti, non ex parte termini formalis, & continuationis sub eodem primo locante; sicut est idem fluuius, & idem animal, licèt partes succedant.

11. Ob. 3. Locus debet esse æqualis locato: atqui superficies corporis continentis non habet hanc æqualitatem, quia omne cõtinens est majus contento: ergo locus in prædicta superficie consistere nõ potest. ❡ Resp. negando minorem; & ad probationem negatur suppositum. Dico enim quòd superficies concaua loci, & cõuexa locati, sunt æquales. Pro quo suppono unum infià latè tractandũ, nempè indivisibile additum indivisibili, non facere ipsum majus; nec similiter indivisibile additum quãto, ipsum augere: idest, punctum additum lineæ, non facit ipsam longiorem: & linea addita superficiei, non facit ipsam latiorem; nec superficies addita corpori, ipsum facit profundius, aut grassius. Hoc posito, assũ-

ptum sic probo. Superficies loci cõcaua, & superficies conuexa locati, terminant æqualem profunditatem: ergo sunt ęquales. Consequentia est certa: Antecedens verò prob., quia superficies conuexa locati est terminus intrinsecus totius profunditatis locati: superficies verò concaua locantis terminus extrinsecus; ulterius circundans superficiem conuexã locati: sed hæc nullã addit locato profunditatem: ergo tantam profunditatem terminat vna, quantam terminat altera: ergo sunt æquales.

12. Quæres: an locus naturalis addat aliquid supra locum communiter dictum? Resp. ex D. Th. opusc. 52. & 4 physic. lect. 8. addere virtutem conseruatiuam locati, quæ uirtus deriuatur à Cælo, tanquàm à primo locante, quatenùs secundùm maiorem, vel minorem distantiam à Cęlo, & ab aspectibus planetarũ corpora inferiora recipiunt conuenientes, & proportionatas influentias: quædam n. sunt, quæ requirunt maiorem calorem; alia minorem, aut similiter humiditatem, aut siccitatem, uel alias similes qualitates, quę secundũ diuersam situationem, & distantiam à cælo, diuersimodè distribuuntur, & tẽperantur, & ideò locus tali temperamento præditus à tali locato appetitur ut conueniens.

13. Dices: Aer est in superficie concaua ignis, ut in loco naturali, & tamen ignis non habet uim conseruatiuam aeris: ergo falsum vniuersaliter est, quòd locus naturalis addat uirtutem conseruatiuam locati. Prob. minor, ignis, qui est inter nos, ignit aerẽ ei approximatũ: ergo etiã igniet illum in propria sphęra, vbi nõ est minoris actiuitatis: ergo non habet uim conseruatiuam illius; repugnat enim aliquid corrumpi ab eo, à quo conseruatur. Resp. locum naturalem ratione cælestis influentiæ habere conseruare locatũ: hæc autẽ cælestis influentia à Cęlo in ignem & aerem deriuata, est tantæ uirtutis & efficaciæ, vt impediat, ne ignis comburat aerem. Quæ quidem influentia non communicatur à Cęlo, nisi aer v.g. habeat certam distantiam ab illo, eam nimirum, quam habet, dùm est propè sphæram ignis. Vndè quia in his inferioribus ignis & aer non sunt in ea distantia, in qua vtrique communicari possit prædicta qualitas, ideo rixantur.

DUBIUM SECUNDUM.

Utrum duo corpora in uno loco simul esse possint?

14. IN presenti loquimur de corporibus occupantibus locũ, nam remota occupatione loci, non est dubium, quòd possint simul esse, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, in quo Christi corpus carens naturali modo extensionis localis, penetratur cum speciebus Sacramentalibus. Et supponimus nihil aliud esse, duo corpora penetrari, quàm sub eadem superficie ambientis corporis, & in eadem distantia cõtineri. His positis,

15. Circa propositam difficultatem est triplex sententia. Prima putat, etiam naturaliter posse duo corpora penetrari, & esse in eodem loco. Quæ sententia solùm aliquibus experientiis probatur; uidemus n. vas plenum cinere tantum aquæ recipere, quantum sine cinere, & plenum aqua recipere nũmos, absq; eo quòd aqua effundatur: quæ & similia sine aliqua penetratione corporum non possunt cotingere.

16.

16. Secunda sententia è contrariò dicit, quòd neque per diuinam potentiam duo corpora possunt penetrari, & esse in eodem loco. Ità tenet Durandus in 4. dist. 44. q. 6. cuius fundamentum est; quia effectus formalis non potest impediri stante forma: est autem effectus formalis quantitatis occupare locum, & stante occupatione loci sequitur tanquã effectus priuatiuus expulsio alterius corporis: ergo hic secundus effectus non potest impediri stante primo. Cõfirmatur primò Ideò non possunt duę formæ substantiales esse simul in eadem materia, & duæ formæ accidentales eiusdem speciei in eodem subiecto, quia effectus formalis unius habet adiunctam priuationem alterius: sed similiter occupatio loci habet adiunctam priuationem, & expulsionẽ alterius corporis à loco. Ergo &c. ¶ Cõfirmatur secũdò, quia aliàs idem spatium repleretur à singulis locatis, & simul non repleretur; quod implicat. Repleretur quidem, quia quodlibet ex eis adequatè occuparet illud. Non repleretur uerò, quia ab alio corpore occuparetur.

17. Tertia deniq; sententia docet, naturaliter non posse duo corpora esse simul in eodẽ loco, & vnum penetrari cum alio, benè tamen supernaturaliter. Ità S. Th. in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. & super Boetium de Trin. quęst. de plurit. causar. art. 3. & omnes DD. tàm Philosophi, quã Theologi, quorum plures refert Mazziotta tom. 1. q. 8. nu. 9 & hæc est vera, & omninò tenenda. Sit igitur.

18. Prima conclusio, Non possũt naturaliter duo corpora esse simul in eodem loco. Et prob., quia proprietas naturaliter consequitur essẽtiam, & naturaliter non potest dari essentia sine propietate: atqui impenetrabilitas est una ex propietatibus, quę consequuntur quantitatem: ergo naturaliter una quantitas non potest penetrari cum alia, & esse simul cum illa in eodem loco ¶ Ad exempla autem, quæ adducit prima sententia respondetur, quòd ideò in vase pleno cinere tantum recipitur de aqua, quantum sine cinere, quia propter nimiam cineris siccitatem plurimũ aquæ euaporatur, & reliqua imbibitur, & multa loca in cineribus plena aere, replentur, & constipantur aqua. Similiter quando iniiciuntur nummi in vas plenum aqua, faciunt aquam crescere in cumulum quandiu labia vasis sunt sicca, illis autem madefactis statim effunditur aqua. Et sic nunquam ucrificatur, quòd naturaliter duo corpora sint in eodem loco.

19. Secunda conclusio. Supernaturaliter possunt duo corpora penetrari, & esse simul in eodem loco. Hæc conclusio est adeò certa, ut de ea dubitare non liceat, docet enim scriptura, penetrationem corporum multoties cõtigisse, ut cum Christus illęso Virginis Matris utero natus est; clauso sepulchro surrexit; & ad discipulos obserratis ianuis ingressus est; & deniq; dum ad Patrem ascendit, penetrauit Cęlos, ut ait Apostolus ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem, qui penetrauit Cęlos Iesum*. Vndè meritò DD. sententiã Durandi acriter censurant, dicentes esse temerariam, parùm consentaneam scripturis, & erroneam.

20. Plures paritates afferri solent ad probandam hanc ueritatem. Prima est: quia eodem modo se habent duę naturę, respectu unius suppositi, sicuti se habent duo corpora respectu

& unius loci proportione seruata: sed duæ naturę complete possunt ex diuina uirtute esse simul in uno supposito: ergo ex eadem diuina uirtute poterunt esse simul duo corpora in eodem loco. ¶ Secunda: quia corpus graue habet sua grauitate ponderare; coloratum suo colore uideri; lucidum sua luce lucere; & calidum suo calore calefacere: atqui ex Dei absoluta potẽtia corpus graue Petri ambulantis supra mare, non ponderauit; & Corpus Christi coloratum transiens inter Iudeos, ab iis uisum non est; & ejusdem Christi Domini Corpus post suam resurrectionẽ omni Sole splendidus, lucem non emittebat, adeò ut posset cum discipulis conuersari; & corpus calidissimum ignis Babylonici nõ calefecit pueros immersos in ipsum: ergo similiter ex eadem Dei uirtute fieri poterit, ut corpus, quod habet naturalitèr aliud corpus ab eo loco, in quo ipsum est, expellere, talem alterius corporis expulsionem non faciat, ità ut uerè cũ illo in eodem loco penetretur. ¶ Et tertia: quia intimior est quantitati actualis extensio in ordine ad locũ, quàm actualis expulsio alterius corporis ab illo: nam prius est, quòd unum corpus sit actualitèr extensũ in ordine ad locum, quàm quòd expellat aliud: quandoquidem ex eo, quòd sit actualiter extensum in ordine ad locũ, & repleat illum, habeat expellere aliud. Atqui Deus potest impedire illum effectum, ut patet in Sacramẽto Eucharistiæ, ubi quãtitas Christi Dñi caret extensione locali: ergo à fortiori poterit impedire istũ.

Matth. 14. Luc. 4. Actor. 26. Danil. 3

21. Pro ratione autem fundamentali noto primò, quòd quando duo ità se habent, ut unum sit prius, aliud verò posterius, & inter se non habent essentialem connexionem, sed tantùm connaturalem; per absolutam Dei potentiam potest id, quod est prius, esse, etiam si non sit illud, quod est posterius; nàm cùm id, quod est posterius, non pertineat ad essentiam eius, quod est prius, neque habeat cùm eo essentialem connexionem, non potest exigi à priori nisi ut connaturalitèr existat: potest autèm Deus sua potentia absoluta fecere, ut aliquod existat, & non connaturalitèr existat.

22. Noto secundò, corpus *existere in loco*, non dicere *expelpellere aliud corpus à tali loco* neque formalitèr, neq; consequentèr necessariò, sed solùm consequentèr cõnaturalitèr. Primum patet, quia corpus existere quantitatiuè in loco, non dicit aliud formalitèr, nisi talis loci spatium ità occupare, ut secundùm unam sui partem parti spatii correspondeat, secundùm alteram alteri, & secundùm totum toti: ergo formaliter non dicit expellere à tali spatio aliud corpus. Quòd autem neque dicat consequentèr necessariò, probatur quia ea solùm necessariò ad aliquam formam consequuntur, sine quibus talis forma non potest suum effectum primarium præstare: atqui etiam si non sequatur prædicta expulsio, corpus existens in loco præstat suum effectum primarium: ergo. Prob. minor, effectus primarius corporis existentis in loco est occupare spatium talis loci, eiq; correspondere secundùm partem parti, & totum toti: atqui, etiam si corpus non expellat aliud corpus à loco, in quo ipsũ est, intelligitur secundũ sui partẽ parti loci correspõdere secũdũ verò totũ toti: neque ex negatione expulsionis haberet, ut amitteret

ret extensionem, ratione cuius secundùm partem parti spatii, secundùm verò totum toti ipsatio correspondere*t* : ergo.

23. His positis, ratione fundamentali probatur conclusio sic: Corpus quantum, ut existens quantitatiuè in loco, non dicit aliud formalitèr, nisi occupare, & replere locum, eiquè esse immediatū : distare verò ab alio corpore, illudq; expellere ab eodem spatio, solùm dicit connaturalitèr. & consequentèr: atqui Deus ex sua absoluta potentia, qua potest supra naturæ exigentiam operari, potest efficere, ut ratio aliqua prima formalis existat sine rationibus sibi connaturalitèr consequentibus, & à se exigitis, ut multis exemplis patet: ergo potest ex Dei potentia absolutè fieri, ut corpus aliquod existat quantitatiuè in loco, absque eo quòd distet ab alio corpore, & aliud corpus à tali loco expellat.

24. Dices: de ratione quantitatis est, habere partes extra partes: sed si unum corpus non expelleret aliud, quantitas unius corporis nō esset extra, sed intra quantitatē alterius corporis: ergo. ¶ Resp. primò, quantitatem dicere solùm extreitatem respectu illarū partium, ex quibus componitur, & intrinsecè constituitur; non verò respectu partium alterius quantitatis, quia ex his non componitur, neq; intrinsecè constituitur; & ideò potest cū alia quantitate penetrari, quia adhuc penetrata nō tolleretur, quo minus haberet extreitatē partium sibi intrinsecarū. ¶ Resp. secundò, notando priùs, duplicem extreitatem reperiri in quantitate: alterā secundùm, quam partes quantitatis comparantur ad locum: alterā verò secundùm, quàm partes quātitatis cōparantur ad invicē inter se: & hæc solùm extreitas est de essentia quantitatis, non autē illa; Corpus enim Christi est quantū in Eucharistia, & tamen deest illi extreitas partium in ordine ad locum. Hoc posito ad argumētum respondeo, quòd ex eo, quòd unum corpus quantum penetretur cum alio, non sit aliud, nisi quod talia corpora sint simul in eodem situ locali, seù quòd unum nō sit extra aliud in ordine ad locum, non autem, quòd non sit extra aliud in ordine ad se.

25. Ex dictis patet solutio ad fundamentum secundę sententiæ; quantitas enim si consideretur in se, non habet alium effectum formalem primarium, nisi extendere, seù quantificare subiectum. Si uero consideretur non solùm in se, sed pro ut est in loco non habet aliud formalitèr facere, nisi occupare quantitatiuè locum, ità ut secundùm totam toti loco, secundùm verò partem sui parti loci immediatè coexistat: expellere autē ab eodem loco aliud corpus, non dicit nisi consequenter naturaliter; Deus autem potest hujusmodi effectus cōsequentes à suis causis suspendere, ut ostensum est.

26. Ad primam confirmationem aliqui respondent negando paritatē: quia cū multiplicatio numerica formæ substantialis desumatur à materia, & accidentalis à subiecto, indè fit, ut in unica materia non possint duæ formę substantiales reperiri; nec in vnico subiecto duæ formę accidētales eiusdem speciei. Cæterùm quòd corpora sint duo, uel plura, non habent à loco, sed à rationibus sibi intrinsecis, & ideo etiā si locus sit idem & unus, adhuc possunt in eo duo, uel plura corpora penetrari. ¶ Hanc tamen

men solutionem impugnaui disp. 15. num. 30. unde illa relicta, respondeo iuxtà ea, quæ ibidem num. 32. dixi, quòd ideò duæ formæ non possunt simùl esse in eodem subiecto, quia in eo est capacitas tantùm ad unam formam: in loco verò non est capacitas tantùm ad unum corpus, sed ad plura; & quòd plura simùl naturalitèr esse non possint, non est ex defectu capacitatis loci, sed aliundè.

27. Ad secundam confirmationẽ respondeo, per hoc quòd unũ corpus inveniat locum occupatum ab alio corpore, quòd ab eo non expellit, sequi quidem penetrari cùm illo, non autem quod locũ non occupet: penetratio enim non facit, ut corpus non repleat locum, sed solùm ut uniatur cũ alio corpore adeò intimè, ut, ac si essent unum, loco coexistant, eique correspondeant.

28. Quæres primò; An quantitas immensa (si hæc esset dabilis) posset tota existere in foramine acus? Respondeo affirmatiuè, quia tota illa quantitas potest existere priuata omni penitùs extensione, seù situ locali; ut patet ex Sanctiss Eucharistia: ergo à fortiori poterit existere in parua, seù minima extensione, seù situ locali, in quo statu priuata existeret non omni penitùs extreitate locali, sed aliqua solùm parte ipsius. Rursùs, si duo corpora supernaturali uirtute penetrari posfũt, quarè partes eiusdem corporis hoc idem habere non possint? Quamvis autem immensa quantitas in hoc casu toties in suis partibus penetraretur, ut in minimo foramine acus existeret, retineret tamen extreitatem partium in ordine ad se, quia hæc est essentialis quantitati.

29. Quæres secundò; Quarè duæ partes unius motus nũ possunt poni simul in eodem tempore, & duæ partes unius quantitatis permanentis possunt poni simùl in eodem loco? Respondeo, rationem esse, quia de ratione intrinseca motus est successio partium, ità ut una debeat necessariò succedere alteri; alioquin enim non posset intelligi ratio successiva. At verò de ratione quantitatis permanentis non est ordo partium in loco, sed solùm ordo partium in se.

DUBIUM TERTIUM.

Vtrum unum corpus possit esse simul in duobus locis?

30. NON pauci scholastici, ut hereticis negantibus præsentiam Christi in Eucharistia se opponant, affirmant, non solùm posse Deum potentia sua absoluta constituere idem corpus simul in diuersis locis, ità ut in uno solùm sit cùm extensione ad locum, in aliis verò modo indiuisibili, sicut nunc est in Sacramento, & in Cęlo; verùm etiã ità, ut in omnibus locis simul sit secundùm extensionem occupans locum. Ità Scotus in 4. dist. 10. quæst. 2 omnes eius discipuli, quamplures ex Patribus Societatis, & ex nostris Stephanus Spinula hìc disp. 10. sect. 5. Aug. de Angelis disp. 4. lect. 7. Philippus Spinula disp. 12. dub. 3. concl. 3 & alii.

31 Quæ sententia probari potest; *Primò*, quia cum Christus apparuit Paulo, mansit in Cęlo occupans locum, & simul fuit in terra, seù in aere. Ergo si aliquando hoc factum fuit, idem corpus esse simul in duobus locis secundùm extensionem, non est diuinæ omnipotentię im-

impossibile. Antecedens quoad primam partem, scilicet Christum mansisse in Cœlo tempore visionis, videtur omninò certũ, cum de illo dicat S. Lucas, Act. 3. *Quē oportet Cœlũ suscipere, usq; ad tempus restitutionis omnium*. Et D. Augustinus, *donec finiatur sæculum, sursum est Dominus*. Quoad secundam verò, scilicet fuisse visum in aere, seu in terra in propria persona, & non in aliqua specie, probatur efficaciter ex illo Actor. 26. vbi Christus dixit Paulo: *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te Ministrum, & testem eorum, quæ vidisti*. Non potuisset autem Paulus esse testis resurrectionis, si Christum in proprio corpore non vidisset. Hoc idem confirmant aliæ ejusdem Christi apparitiones, quas aliquibus fuisse factas, graues, & antiqui scriptores testantur. *Secundò*, quia nulla potest assignari cõtradictio, ex eo quod corpus in diversis locis secundũ extensionem constituatur: omnes rationes, quibus ista cõtradictio probatur, si efficaces sunt, probarent etiã Corpus Christi non posse indivisibiliter esse in pluribus hostiis; quod, minimè probant, nec probare poterunt: ergo id non est Diuinæ omnipotentiæ denegandum. *Tertiò*, quia idem corpus potest esse in duplici loco, altero divisibili, altero indivisibili, ut patet in Corpore Christi: ergo etiã poterit esse in duplici loco divisibili; non enim difficilius est hoc secundum, quã illud primũ, imò difficilius est, habere duas præsentias oppositæ rationis, quales sũt circumscriptiua, & Sacramentalis, quàm ejusdem, ut sunt duæ circumscriptiuæ. *Et quartò*, quia duo corpora possunt divinitus esse in eodẽ loco: ergo etiam unum corpus poterit divinitus esse in duobus locis; non enim majori necessitate unum corpus exigit unum locum adæquatũ, quàm duo corpora exigunt duo loca: ergo si ea non obstante necessitate, duo possunt divinitus unum locum occupare, poterit unum occupare simul duo loca.

132. Negatiua tamẽ sententia est longè probabilior, quam expresè docet D. Th. multis in locis, ut in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. quęstiunc. 2. & apertius dist. 44. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4. vbi dicit: *quòd unum corpus esse simul localitèr in duobus locis nõ potest fieri per miraculũ* & quodlibeto 3. art. 2. ait: *corpus esse in duplici loco circumscriptiuè, est ponere duo contradictoria simul*: idem insinuat 3. part. quæst. 75. art. 1. in argum 3. adiuncta eius solutione. D. Thomam sequũtur omnes eius discipuli, plures alii, & ex societate Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 189 cap. 4. Mazziotta tom. 1. quest. 5. sect. 2. & Maurus in physica quęst. 28.

133. Prob. primò, quia corpus localitèr existens in aliquo loco, dicit intrinsecè & essẽtialitèr positionem sui in tali loco, & negationem sui in omni alio loco: ergo non potest, seu dicit manifestã implicantiam, unum corpus existere localiter in duobus locis. Consequentia patet, quia corpus qua ratione esset in duobus locis, deberet dicere positionem sui in ambobus; &, qua ratione esset in uno ipsorum, deberet dicere negationem sui in altero ex ipsis; ac proinde in tali altero loco esset & non esset, poneretur & non poneretur, quod implicat manifestè. Antecedens quoad primam partem est clarum, quia corpus existere in loco, dicit occupare, seu replere spatium loci: quomodo autem replere posset spatium loci, si

in eo positum non esset? Quoad secundam verò probatur; quia locus ità continet corpus locatum in se, ut illud se ipso terminet, suaq; superficie concludat, faciatq; illud verè terminatum, & conclusum: atqui si tale corpus sic locatum nō diceret negationem sui in aliis locis, sed in ea excurreret, non posset intelligi terminatum, & conclusum, cum esse terminatum dicat esse, ultrà nō excurrens ut ait Philosophus 5. met. t. *de extremo*: ergo. Ratio ista expressè tradita est à S. Th. quodl. 1. his verbis: *Vnum corpus esse localiter in duobus locis, implicat contradictionē, quia de ratione loci est, quòd sit terminus locati, terminus autem est, extra quem nihil est rei, undè nihil locati potest esse in loco exterioris quarè si ponatur esse in duobus locis, sequitur quòd sit extra locum; & ità sequitur, quòd sit locatum, & non sit locatum.*

34. Dices. Corpus Christi existēs terminatum, & conclusum in Cęlo à loco, existit etiam extra talem locum, scilicet in multis speciebus cōsecratis à Cęlo distantibus: ergo falsum est, corpus aliquod existens terminatum ab uno loco, nō posse existere extra talē locum. ℣ Resp. quòd etsi Corpus Christi existat tū in Cęlo, tum etiā in quamplurimis hostiis consecratis, nō propterea est in pluribus locis, quia non est sub speciebus, ut in loco; nam licèt succedat substantię panis, & contineatur sub quantitate, aliisq; panis accidentib⁹, non tamen substat tali quantitati, ut quantitati propriæ, neq; tali quantitate informatur, sicuti informabatur substantia panis; ideò enim hæc erat in loco, quia correspondebat loco mediante aliquo suo, scilicèt mediāte quantitate sua; & quia erat affecta à tali quantitate, quę est id, per quā locatum ponitur formalitèr in loco: quę duo nō habentur in Christi Corpore sub speciebus existente; undè ibi manet tāquam contentū in cōtinente, & non tanquam locatum in loco. Rursus, id quod est conclusū, & terminatum à loco, non est corpus ut sic, sed quantum, seū extensū localitèr; id verò, quod est sub speciebus ex ui consecrationis, non est Corpus Christi quantum, sed corpus ut sic, pręscindens à quātitate, aliisq; accidentibus, ideòq; non repugnat esse conclusum, & terminatum loco cęlesti, & simul existere sub speciebus, quia non est formalitèr idem, quod est terminatum, & excurrens extra, in hoc casu.

35. Dices secundò, Sicuti Deus sua Omnipotētia convertere potest quāplures substantias panis existentes in diversis locis, in substantiam Corporis Christi, ità poterit tales substantiās panis simul cū suis quātitatibus convertere in substantiam Corporis Christi, ejusq; quantitatē: atqui in tali casu Corpus Christi, cū sua quantitate nō desereret locū cęlestem, & insuper ueniret in omnes illos plures locos, in quibus existebant illæ substantiæ panis, quæ cum sua quantitate converterentur in ipsum, sicuti de facto nunc uenit in omnes illos locos, in quibus Eucharistia conficitur; & deniq; in omnibus his pluribus locis Corpus Christi existeret cū sua quantitate: ergo existeret in pluribus locis quantitatiuè. ℣ Ad hanc instantiam respondet S. Th. quodlib. 3. q. 2. his verbis: *Dato quod hęc dimensio converteretur in illam dimensionem, non sequeretur, quòd idem corpus esset in duobus locis simul, sed in uno tantùm, quia sicuti,*

post.

postquàm substantia panis conversa est in substantiam Corporis Christi, iam non sunt ibi duae substantiae, sed una tantùm; ità etiam si haec dimensio hujus corporis converteretur in illā dimensionem alterius corporis, iam non erunt duae dimensiones, sed una tantū, & sic nō cōmensurabitur diversis locis, sed uni tantùm. Vtrum autem in eo casu Corpus Christi quantum ueniret ad locum; vbi fit conversio, relinquendo Celum, uel è contra? Hoc secūdùm uerius existimo, quia licèt nunc de facto, cum convertitur sola substantia panis in Corpus Christi, ponatur Christi Corpus, ubi erat substantia panis conversa; eo quòd ibi remanet quantitas talis panis, quę erat ratio locatiua substantiæ panis, & cui quantitati ex ui conversionis debet esse præsens Christi Corpus; tamen posito quòd tā substantia panis, quàm ipsius quantitas cum reliquis accidentibus converterentur in Christi Corpus, locus, qui occuparetur, esset locus, in quo Christi Corpus cum sua quantitate antea erat; non verò locus, in quo erat substantia, & quantitas conversa in ipsum: cum enim talis substantia, & quantitas, quæ est ratio locatiua, desinerent, nulla esset ratio, cur Corpus Christi deberet locum ipsarum occupare. Et si aliquis contenderet, locum, qui debet occupari ex ui cōversionis, semper esse illum, qui occupabatur à rationibus, quæ cōvertuntur: dicendùm necessariò esset, quòd Corpus Christi existens quantitatiuè, in quod fieret conversio alterius corporis cum sua quantitate, ex ui conversionis desineret esse in Celo, & poneretur in loco corporis quanti, quod in ipsum convertitur.

36. Prob. secundò, Quia esse idem numerò, & non esse idem numero, dicit manifestam implicantiā: atqui si unum corpus esset in duobus locis circumscriptiuè, illud esset idem numero corpus, & non esset idem numero corpus: ergo unū corpus, neq; per diuinam potentiā potest esse in duobus locis circumscriptiuè. Prob. minor esset quidem idē numero corpus, quia supponitur esse unum. Nō esset verò, quia corpus cum duplici quantitate non potest esse idem numero: nam cum corpus individuetur à quantitate, seu à materia, ut radicalitèr prehabet quantitatem, non potest corpus cū duplici quantitate esse idem numero corpus; sed si corpus aliquod simul circūscriptiuè existeret in duobus locis, necessariò deberet habere duplicē quātitatē: ergo nō posset esse idē numero corpus. Hæc ultima minor subsūpta (in qua tota vis huius rationis consistit) prob. duplicitèr. *Primò* quidē, quia effectus causæ formalis multiplicari non potest non multiplicata ipsa forma, quia causa formalis nō alitèr causat, quā per suæ propriæ ētitatis, & perfectionis cōmunicationem: atqui occupare locum est effectus quātitatis ut causæ formalis, nec aliter quantitas constituit corpus localitèr extensum, quàm per suæ entitatis & perfectionis cōmunicationem: ergo occupare duplicem locū necessariò prouenire debet à duplici quantitate. *Secundò* verò, quia quantitas diuisa & discontinuata non potest esse eadem numero quantitas: sed si aliquod corpus existit simul circumscriptiuè in duobus locis intèr se distantibus, illius quātitas esset diuisa & discontinuata, ergo non esset eadē, sed diuersa numero quantitas. Prob.

minor, tunc discontinuatur quātitas, quando inter hanc & hanc quantitatē interponitur aliquod corpus medium, quod non continuatur cū tali quantitate: sed posito corpore Romæ & Genuę, inter corpus, quod est Romæ; & Genuæ interiacet aer, aliaq; multa corpora, quorum nullum cōtinuatur cum illo: ergo discontinuatur quantitas istius corporis hoc ipso, quod ponitur in duplici loco distanti.

37. Dices. Inter quantitatē Corporis Christi in Cœlo circumscriptiuè existentis, & eādem quantitatem Corporis Christi simul existentis in Eucharistia, plura intercedūt corpora, & tamen quātitas Corporis Christi nō ob id discontinuatur, aut diuiditur, nec numericè multiplicatur: ergo similiter licèt inter quantitatē alcuius corporis existentis circumscriptiuè in uno loco, & quātitatem illius existentis simul circumscriptiuè in alio loco, intercedant plura corpora, non propterea quantitas talis corporis erit diuisa, & discontinuata, aut numericè multiplicata. ¶ Resp. quòd est disparitio, nàm cum quantitas Corporis Christi existentis in Eucharistia non sit extensa in ordine ad locum, sed modo indiuisibili, intèr ipsam, & quantitatem ipsius Corporis Christi existentis circumscriptiuè in Cœlo propriè non intercedit aliquod corpus, quia intercedentia fit per contactum quantitatis ad tale corpus, & ideò talis quātitas nec est discontinuata, nec diuisa. Cæterū si aliquod corpus esset circumscriptiuè simul in duplici loco distanti, eū illius quantitas utrobique esset extēsa in ordine ad locum, verè intèr ipsam in uno, & alio loco existentem intercederent alia corpora: ac proinde talis quantitas esset diuisa, & discontinuata, & cōsequentèr non una, sed multiplex numero.

38. Dices secundò, Saltem ex ui huius rationis idem corpus poterit esse in duobus locis non distantibus, sed contiguis, interquæ nullū corpus interiacet. ¶ Sed contra: quia quotiescunq; duo loca sunt cōtigua, corpus circumscriptiuè existens in uno loco, debet esse contiguum corpori existēti circumscriptiuè in alio loco: sed non potest corpus corpori esse contiguum, nisi sit duplex superficies ultima, quia cōtigua sunt, quorum ultima sunt simul: ergo nisi habeat duplicem quantitatem.

39. Prob. tertiò ex uariis sequelis absurdis; etenim si ponatur corpus replicatum Romæ & Genuæ, ita ut Romæ propinquum sit agenti maximè calefactiuo; Genuæ verò agenti maximè frigefactiuo: iam tale corpus Romę afficietur calore maximo, ac proinde omnimoda negatione frigoris; Genuæ verò maximo frigore, ac proinde omnimoda negatione caloris: ergo in eodem corpore esset positio, & negatio caloris, positio & negatio frigoris: cumq; frigus, & calor in facto esse sint prædicata absoluta, convenientia corpori replicato non ratione loci; sequitur posita replicatione ejusdem corporis contradictio, quod nimirum idem corpus ab eodem prædicato afficeretur, & non afficeretur. Neq; dicas in casu posito fortius ex iis agentibus impediturum alterum, quominus suum effectum producat. Etenim tunc fortius agens impedit debilius, cum nō distant, & unum est intra sphęram alterius (impedit enim agendo, nō agit uerò nisi intra sphęram) cum autem calefactiuum ponatur Romæ, frige-

fa-

factiuum verò Genuæ, ità ut unum non sit intra spheram alterius, quomodo poterit calefactiuum Romanũ impedire frigefactiuum Genuense, quominus producat frigus in corpore sibi propinquo. Rursus ponamus corpus replicatũ esse humanũ, talis homo posset Romæ ex occursu aliquorum impellentium ad peccatum, peccare mortalitèr; Genuæ verò ex occursu contrariorũ impellentium ad deuotionem, conteri, & poni in gratia: ergo in eodẽ homine simul adessent peccatum mortale, & gratia. Idem dici potest de vita, & morte, ut si lethaliter vulneraretur Romæ, non autem Genuæ. Quæ, aliaq; similia, in quibus posset exemplificari, implicant simul esse.

40. Dices. Corpus Christi existẽs extra Sacramentum, potest habere qualitatem, quam non habet in Sacramento, & contrariam illi, quam in Sacramento habet: quid ergo mirum uideri debet, quòd idem corpus replicatũ possit duabus qualitatibus contrariis affici, & Romæ calefieri, & hìc Genuę frigefieri? Rursus Corpus Christi positum uivum sub speciebus panis in ultima Cœna, permansisset in iis uiuum, etiam tunc cũ in Cruce Christus mortuus est, si illa species panis usq; ad illud tunc conseruata fuisset: ergo in illo tunc idẽ Corpus Christi fuisset uiuum in Eucharistia, & simul mortuũ in Cruce: quid ergo mirum, quòd idem corpus humanum replicatũ Romæ, & Genuę, ex vulnere accepto Romę moriatur, uiuat autem Genuę, ubi nullum ei uulnus ponitur inflígi, neque aliud mortem inferens illi occurrat?

41. Verùm instantię istę nulli Catholico placere debent; etenim qui possibilem esse putant replicationẽ ejusdem corporis in pluribus locis, mouentur precipuè ex eo, ut per illã ueluti per paritatem quandam, magis confirment ueritatẽ Sanctissimæ Eucharistiæ, quæ simul in pluribus locis conficitur, & existit: Si autem in eodem corpore replicato cõcedamus, posse inesse rationes contradictorias, scilicet esse gratum Deo, & non gratum; aliaque similia: aliqua sensui proponemus multò difficiliora, quàm ipsummet Eucharistię mysterium: ac proindè argumenta, quę contra ea efficiunt hæretici, erunt vulgo maximè plausibilia; ex quo efficietur, ut dum hæretici magna, cum probabilitate illa impugnant, magnificentissimè se iactent, quòd & ipsummet Eucharistiæ Mysteriũ eadem probabilitate refellant; & cum antea contra Mysterium Eucharistię friuolis, & infirmis argumentis solũ uterentur, iam multò firmiora habere imperito uulgo uideantur. Quis enim unquam è uulgo crederet, idẽ posse simul, & uiuere, & mori? Viuũ quidèm se præbuit Christus Dominus manducandum in cœna, uiuusq; permansit sub illis speciebus, sicut etiam nunc uiuus sub speciebus Sacramentalibus permanet; at quis unquã dixit, quòd si perseuerasset sub speciebus in triduo mortis, cũ mortuus iacuit in sepulchro, perseuerasset uiuus, non verò mortuus?

42. Resp. secũdò, Noster Stephanus Spinula cit. disp. sect. 6. art. 3. num. 75. quòd cùm mereri dicat simpliciter negationem peccati; nàm peccatũ tollit simplicitèr amicitiã Dei, sine qua meritum saltèm de condigno stare non potest; inde est, quòd si homo ille in uno loco peccaret, & in alio amaret Deum per hunc actũ

amoris

amoris Dei, nullo modo mereretur, nec poneretur in gratia Similiter si quis positus Genuæ & Romæ, Genuæ interficeretur, etiã Romę moreretur, quia mors simplicitèr dissoluit unionem animę & corporis, quę dissoluta nullibi perseuerare potest. ℣. Sed contra est; quia non minùs repugnat actum odii esse simul cum actu dilectionis, quã repugnat peccatum esse simul cũ merito ut ex se patet, ergo si posita possibilitate replicationis homo in uno loco posset habere actũ odii, & in alio actũ dilectionis, ea quæ sunt repugnantia, & implicantia, essent possibilia. Rursùs ideò homo replicatus si Genuæ interficeretur; deberet etiam mori Romæ, quia non possunt stare simul, dissolutio animæ à corpore, & unio animæ cùm corpore: sed neque possunt stare simùl, quòd idẽ homo sit coniunctus Deo per actũ dilectionis, & disiunctus à Deo per actum odii; sit affectus calore maximo, & simul dicat negationem illius; ergo &c.

43. Restat, ut respondeamus argumentis contrariæ sententiæ; & ad primum concedo Christum Dominum apparuisse Paulo corporaliter, aliàs non posset Paulus esse testis resurrectionis, sicut alii Apostoli, si ipsum verum Christi Corpus non uidisset. At ex scriptura non constat, in aere uidisse Christum, uel in ipso Cęlo, & si apparitio facta fuerit in aere, re uera corpus Christi descendit de Cęlo. Nec oppositum ex illis auctoritatibus deducitur, solùm enim probant, Christum esse in Cęlo usque ad diem iudicii tanquàm in loco sibi debito ad gloriã & honorẽ, sicut Regi debetur thronus, non tamen quia necesse sit sẽper ibi sedere, & nunquàm moueri. Non enim habet Cęlum pro carcere, sed pro gloria, quæ nullo modo minuitur Beatis ex descensu Christi, quia æquè benè uidebunt corpus eius, etiam si descenderet ad hunc mundum inferiorem. De aliis apparitionibus Christi non ità constat in proprio corpore descendisse, uel secundùm aliquam apparitionem, aut per aliquem Angelum in assumpto corpore fuisse factas. Si tamen verè aliquibus apparuit in proprio corpore, reuera ad illos descendit. ℣. Ad secundum & tertium solutio patet ex dictis. ℣. Ad quartum verò negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia unica quantitas non potest habere duos effectus formales, idest duas extensiones locales, ut probatum est; potest tamen priuari aliquo effectu secundario, cuiusmodi est impenetrabilitas, siuè expulsio alterius corporis ab eodem loco.

DUBIUM QUARTUM.

De uacuo.

44. Definitur uacuum ab Aristotele in hoc lib. c. 7. quòd sit *locus non repletus corpore*. Cui definitioni addunt aliqui, *aptus tamèn repleri*: sed hæc particula superfluuit, nàm hoc ipso quòd dicitur *locus*, aptitudo ad repletionẽ designatur.

45. De facto uacuum non datur, immò natura illud maximè abhorret, & propterea omni impetu conatur illud impedire, ut patet in fistula, quæ si secundùm unum orificium applicetur aquæ, & ex alio superiori attrahatur aer inclusus in eà, aqua contra suam particularẽ inclinationem ascendit sursùm, ne aere

aere recedente fistula maneat uacua.

46. Ex triplici autem capite natura abhorret uacuum. Primò propter unionem uniuersi, quæ consistit in contiguitate omnium corporum naturalium; Mundus enim est quasi quoddam totum ex diuersis corporibus, tanquam ex partibus constitutum: unde sicut in corpore nostro requiritur unio partium ad consistentiam totius, ità in hoc mundo &c. Secundò propter influxum causarum particularium à causis uniuersalibus, qui influxus non posset à primo mobili ad causas particulares peruenire, si daretur uacuũ cum agens naturale non possit in remotum agere, nisi priùs agat in distans. Et tertiò quia Deus, & natura nihil agunt frustra; si autem daretur uacuum, ad nihil deseruiret, & esset omninò frustaneum.

47. Licèt autem uacuum de facto non detur, est possibile tamen uirtute diuina. Poterat enim Deus cœlestes sphæras creare, non creatis elementis: tunc autem totum spatiũ sublunare maneret omninò uacuũ. Item postquam omnia creata sunt, potest Deus totum elementũ ignis annihilare, & denegare suum concursum aliis corporibus, quæ ad replendum uacuum confluxura erunt: in hoc etiam casu daretur uacuum: ergo uirtute diuina est possibile.

48. Dixi *uirtute diuina*, quia existimo contra Suarem, & alios, nulli creaturæ, neque Angelis inesse uirtutem ad causandum uacuum. Et probatur, quia solius authoris naturæ est, mutare ordinem & dispositionem naturæ: uacuum autem est contra ordinem naturæ: ergo per nullam uirtutem creatam dari potest. Confirmatur quia dari uacuum est quid miraculosum: at Angelus nequit patrare miraculum propria uirtute: ergo neque ponere uacuũ.

49. Quæres primò, An si daretur uacuum, posset corpus moueri per illud? Respõdeo cum distinctione; naturalitèr moueri non posse, benè tamèn supernaturalitèr. *Prima pars* probatur; quia omnis causa physica est essentialitèr subordinata causis superioribus, ità ut aliquid operari non possit, quin etiam cõcurrat causa cœlestis ad tales effectus producẽdos. Sed si daretur uacuum, non posset in illo causa superior Celestis cõcurrere cum causa secunda ad illum motum physicum producendum: ergo si daretur uacuum, nõ posset corpus moueri localitèr per illud, maior est certa, minor verò probatur; quia orbes cœlestes concurrunt cum causis sublunaribus communicando illis uirtutem quandam: si autem daretur uacuum, non possent corporà cœlestia influere hanc uirtutem ad operandum, ut diximus: ergo neque cõcurrere cum illis ad producendũ motum physicum. ¶ *Secunda verò pars* est euidens; nàm corpus illud esset ab intrinseco mobile, & Deus posset supplere per suum concursum depẽdentiam, quam habet à corporibus cœlestibus: ergo posset supernaturaliter prædictum corpus moueri localitèr; ideò enim requiritur contiguitas corporum, ut corpora inferiora possint recipere cœlestes influentias à quibus in operari dependent: ergo si Deus per suum concursum potest supplere defectum earum, poterunt corpora inferiora in uacuo ità moueri, ac si spatium illud esset plenum, & repletum.

50. Quæres secundò, An motus in uacuo fieret in tempore, an verò in instan-

instanti? Hoc posterius asserunt aliqui, quorū ratio est; quia quo minùs resistentiæ est in medio, per quod mobile mouetur, eo minus temporis consumitur in tali motu: ergo si nullum fuerit medium resistens, ut contingit in uacuo, nullum tempus consumetur: ac proindè talis motus non erit in tempore, sed in instanti.

51. Nihilominùs contraria sententia tenenda est, quam omnes ferè communitèr docent. Et probatur, quia si à cælo lunæ usquè ad terram constituamus columnam quandam fixam, & reliqvum spatiū sit uacuū, tunc si aliquod corpus habens latitudinem unius palmi descenderet iuxtà illam columnam à Cœlo usq; ad terram, non posset in uno, & eodem instanti esse simul iuxta omnes illius columnæ partes: ergo esset prius iuxtà priores, & deindè iuxtà posteriores, & sic de aliis, ac proindè in illo descensu verè consumeretur tēpus. Prob. antecedens: quia corpus exiguæ quantitatis non potest simul correspondere corpori maximæ quātitatis; & consequentèr neque esse iuxta omnes partes illius: ergo ut correspondeat omnibus illis, priùs erit iuxtà priores, & posteà iuxtà posteriores. ¶ Ad rationem aute oppositę sententię respondetur, quod successio motus non solùm sumitur à resistentia medii, verùm etiam à distantia, & aliis capitibus; & sic negatur consequentia.

DISPUTATIO XIX.

De tempore.

DUBIUM PRIMUM.

Quid & Quotuplex sit Tempus?

1. PRima conclusio. Tempus est *numerus motus secundùm prius & posterius*, ità Aristoteles 4. physic. tex. 101. Bonitas huius definitionis probatur explicando singulas eius particulas. Dicitur primò *numerus*; dupliciter autèm potest sumi numerus; primò pro multitudine rerum, quæ inter se divisæ sunt, & discretæ; secundò pro collectione partiū, quę inter se vnitæ sunt, & continuatæ. Aristoteles non intellexit numerum primo modo, sed secundo: undè frustra aliqui hanc definitionem improbant, eo quod numerus sit quantitas discreta, tempus verò continua.

2. Rursus alius est numerus, quem numeramus, & alius numerus, quo numeramus: ille dicitur numerus numeratus, iste verò numerus numerās. Ille non est aliud, quàm ipsemet res, quas numeramus, v.g. decem homines; iste verò est, qui abstractus à rebus, mente concipitur, ver. grat. numerus denarius, quem postea applicamus variis rebus, quas numeramus. In pręsenti definitione ly *numerus* non sumitur pro numero numerante, sed pro numero numerato, ità ut sensus sit, tempus esse motum ipsum numeratum secundùm partes.

3. Dicitur secundò *motus*, quia tempus solùm est numerus motus, vel eorum, quæ motui subduntur, non autem aliarum rerum. Dicitur tertiò *secundùm prius, & posterius*, quia motus duplici modo potest intelligi habere partes, secundùm quas numeretur; vno extensiuè ratione subjecti, cui inhæret; dum enim animal progreditur, alia est pars motus capitis, alia manus, & alia aliorum membrorum corporis. Alio modo successiuè. Tempus autem non est numerus motus secundùm illas priores

res partes, quæ simul sunt, sed secundùm istas posteriores, quæ non sunt simul, sed successiuè, & una sequitur aliam. Itaq; tempus nihil aliud est, nisi ipsemet motus ut numeratus, uel numerabilis secundùm partes eius priores, & posteriores, seu successiuas.

4. Secunda conclusio. Tempus est ens reale, nō autē rationis. Ita D. Th. opusc. 44. c. 1. & probatur, quia tempus secundū sua essētialia nihil aliud est, nisi duratio seù successio partium motus, secundùm quas numerari potest: atqui verè, & realitèr nullo intellectu cogitante datur ista duratio, seù successio partium: Ergo tempus est quid reale, & non ens rationis.

5. Contrariam sententiam tenent aliqui, quibus fauere uidetur Aristoteles, nàm loco citato cap. ult. dicit, tempus ità pendere ab anima, quòd si non esset anima, non esset tempus: id autem quod ità dependet ab anima, scilicèt ab intellectu, ut sine illo esse non possit, non est ens reale, sed rationis. Fundamentum huius sententię est: quia tempus est numerus motus: sed numerus dependet ab intellectu numerante, & accipiente unam partem in ordine ad alteram: Ergo tempus nō est ens reale, sed rationis. Respodeo breuitèr, quòd cū Aristoteles affirmat sublata anima non manere tempus, loquitur quantùm ad actualem numerationem, nō autem quantùm ad eius essentiam, quę consistit in hoc, quòd sit numerabilis secundùm aptitudinem; hæc enim numerabilitas ante opus intellectus cōuenit partibus motus, & ità est realis. Et ad rationem fundamētalem dico, quòd quamuis tempus sit numerus motus, cum tamen non sit numerus numerans, sed numerus numeratus, qui cum rebus numeratis indentificatur, sicut motus, & illius partes, quas numerat tempus, sunt aliquid reale, ità tēpus est aliquid reale, licèt in actuali exercitio numerationis pēdeat ab actione intellectus accipientis unam partem motus in ordine ad aliam.

6. Tertia Cōclusio. Tempus, sumptum secundùm rationem essentialē temporis, est multiplex; sumptū verò secundùm rationem mensuræ, est tātùm unū *Prima pars patet*, quia tempus secundùm suā essentiam est numerus prioris & posterioris in motu: atqui quilibet motus habet suū prius & posterius, & consequenter eorum numerum: ergo quot sunt motus, tot erunt tempora. *Secūda verò pars probatur;* quia mensura debet esse prima, una, & maximè uniformis, ut habetur 10. *met.* ergo tempus habens rationem mensuræ, non est numerus cuiuscunq; motus, sed eius, qui primus, magis uniformis, & regularis est: sed motus primi mobilis est primus, & intèr omnes alios motus est magis uniformis, & regularis: ergo motus primi mobilis est tēpus, quod solùm habet rationem mensuræ respectu omnium motuum.

7. Neque obstat, quòd per motū Horologii mensuremus motum primi mobilis, quia id solùm fit à posteriori, & ueluti à signo, non autèm à priori: motus enim horologii priùs proportionari debet motui primi mobilis, & sic ab illo mensurari, postea verò nos illo utimur tanquàm mensurato ad cognoscendum à posteriori mensuram primi motus; neque alio pacto potest habere rationem mensuræ, cum ex se defectibilis sit, & uarietur, ut experientia cōstat.

8. Ex dictis colligitur, Tempus

primi mobilis habere duo; primum, reddere motum ipsius primi mobilis intrinsecè durãtem: & secundum, extrinsecè mensurare motus aliorum corporum. Primum est illi perfectio essentialis; secundum verò perfectio accidentalis, quę potest abesse, nam si daretur motus alterius Cęli, qui esset magis regulatus, & uniformis, haberet in eo casu rationem mensuræ.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrum Tempus distinguatur à motu? & universaliter quæuis duratio creata à re durante?

9. IN præsenti non loquimur de tempore, vt est mẽsura extrinseca, sed ut est duratio intrinseca sui proproprii motus. Et supponimus ex communi sententia etiã hoc modo sumptũ saltem ratione distingui à motu, tùm quia omnes de motu, & tempore ut de diuersis loquũtur, & nemo putat, illas uoces esse synonimas; tùm etiam, quia motus formaliter, & pręcisè, solùm dicit uiam ad terminum; tempus verò dicit moram, seu permanẽtiam in esse, quam habet talis motus: ergo aliquo modo distinguuntur. Difficultas est, utrum hæc distinctio sit realis, uel solùm rationis?

10. Prima conclusio. Tempus nõ realiter, sed tantùm, ratione distinguntur à motu. Ita Capreolus in 2. dist. 2. quest. 2 art. 1. concl. 5. & 6. Caietanus 1. part. q. 10. art. 5. & 6. Suarez tom. 2. met. disp. 50. sect 9. Masius 4. Physic. sect. 4. Manca q. 3. dub. 5. Ioannes à S. Th q. 18. art. 1. Lerma q. 10. num. 5. & alii. Prob. quia ut dicemus cõclusione sequẽti, duratio nõ distinguitur realiter, sed tantùm ratione à re, cuius est duratio: sed tempus est duratio motus: ergo tempus non distinguitur realiter à motu, sed tantùm ratione. Neq; potest reddi aliqua specialis ratio, ob quam maior distinctio sit inter motum, & durationem eius, quàm inter res alias, & durationes earum.

11. Secunda conclusio. In uniuersum quæuis duratio creata non distinguitur realiter, sed tantùm ratione, à re durante. Ita Suarez cit. disp sect. 1. & alii relati pro præcedenti conclusione. Prob. primò, quia duratio nihil aliud est, quàm persistentia, seu cõtinuatio rei in suo esse, ut docet S. Th. in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. sed persistentia in esse non distinguitur ab esse eiusdem rei: ergo nec duratio. Prob. minor, creatio, & conseruatio sunt una, & eadem actio, ut supra uidimus: ergo terminus creationis, & cõseruationis est unus & idem realiter: sed creatio terminatur ad esse, & conseruatio ad persistentiam rei in esse: ergo esse, & persistentia illius non distinguuntur realiter. ¶ Confirmatur; quia duratio uel super addit rei aliquid extrinsecum, uel intrinsecum: Non extrinsecum, quia duratio debet esse intrinseca rei existenti, sicut est intrinseca desitio rei, quæ desinit esse. Si addit aliquid intrinsecum, oportet quòd illud de nouo producatur; ergo durare, seu continuare esse idem est, ac de nouo produci; & sic non dicetur res durare per cõtinuationẽ primæ productionis, sed per nouam productionem, qua recipit aliquid intrinsecũ de nouo. Et illud intrinsecum, quod recipit, uel seruit pro toto tempore, quo res durabit, uel solùm pro tempore præsenti. Si primum, sequitur, quòd qui modo recipit durationẽ, iam in se habet duratio-

rationem cras futuram, quia accipit durationem pro toto tempore, quo durabit. Si secundum, tot erunt durationes nouæ, quot instantia, & sic duratio fiet per distinctas productiones, non per continuationem eiusdem.

12. Prob. secundò, quia si duratio est quid distinctum à re durante, vel est substantia, uel accidens. Primum dici non potest, quia una substantia non est duratio alterius substantiæ distinctæ: ergo si duratio est substantia, non erit alia præter ipsámet substantiam, quæ durat. Neque potest dici secundũ; quia Deus producere, & conseruare potest substantiam præciso omni accidente (nam substantia in suo esse à nullo accidẽte dependet) atqui tunc substantia illa durabit, & non per aliquod accidens; ergo duratio non est accidens realiter distinctum à substantia. ¶ Respondent aduersarii, quòd in eo casu substantia duraret fundamẽtaliter, non formaliter. *Sed contra est* quia tunc res durat formaliter, quãdo persistit, & cõtinuatur in suo esse, cùm duratio formalis nihil aliud sit, nisi persistentia, seù continuatio rei in suo esse: sed in eo casu præciso quocũque accidente substantia persisteret & continuaretur in suo esse: ergo in eo casu duraret formalitèr.

13. Ob. 1. Quę in Deo distinguuntur uirtualitèr, in creatis distinguũtur realitèr: sed in Deo duratio, & res durans distinguuntur uirtualiter: ergo in creatis duratio, & res durans distinguuntur realiter. ¶ Resp. negando majorem uniuersaliter sumptam; multa enim increatis distinguuntur uirtualiter, quæ in Deo nõ minori distinctione distincta sũt: nec propterea sequitur, creaturã esse ità simplicẽ, ac est Deus, quia creatura multa alia habet realiter distincta, quę nullo modo in Deo distinguuntur.

14. Ob. 2. in primo instanti res est, & tamen non dum durat: ergo duratio non est idem cum re existẽte. ¶ Respondetur quòd in primo instãti res dicitur durare inchoatiuè, incipit enim tunc duratiò, consumatur autem in ipsa cõtinuatione existentiæ, quæ sequitur post instãs.

15. Ob. 3. In motu potest esse maius, & minus durationis: ergo saltem in motu duratio, & res durãs distinguuntur realiter. Consequentia uidetur euidens; quia omnis separatio in re, est signum distinctionis realis: hæc autem est aliqua separatio in reînã licèt à motu non possit absolutè separari tempus, potest tamen separari quodlibet tempus signatum. Sicuti licèt materia existere non possit sine forma, tamen quia separari potest à qualibet forma signata, sufficiens argumentum est distinctionis realis. Et antecedẽs prob. sic: demus aliquod mobile ita uelox, quod ad transcursum spatiũ unius leucæ consumat unam horam, mobile duplo uelocius ad trãseundum idem spatium consumet dimidiam horam, & mobile duplo tardius duas horas: atqui in his casibus in eodem, uel æquali motu datur maius, & minus durationis: ergo. ¶ Resp. concedendo antecedens, in æquali, non in eodem motu, esse posse maiorem aut minorem durationem extrinsecam; & negando consequentiam, ratio est, quia motus uelox habet partes magis compressas, quàm habet motus tardus, & ideo partes illius minus durant duratione extrinseca, quàm partes istius; tamen in

quolibet eorũ quot sunt partes motus, tot suntq; partes durationis intrinsecæ, quia nulla est ibi pars motus, quæ non duret. Et hoc sufficit, ut motus realitèr à sua duratione intrinseca non distinguatur.

DUBIUM TERTIUM

Vtrum tempus solùm existat ratione instantis?

16. Conclusio est affirmatiua, & communis inter Thomistas, contra Durandum, Suarem, Ruuium, & alios. Prob. efficaciter; quia tempus non habet præsens, nisi instans: ergo non potest existere, nisi ratione instantis. Quod enim existit, est: solùm autem est, quod est præsens; nam quod est præteritum, non est, sed fuit; & quod est futurum, non est, sed erit: ergo si tempus non habet præsens, nisi instans, non potest existere, nisi per illud. Antecedens, in quo est difficultas, prob., quia tempus est quid successiuum; natura autem successiui postulat, ut nulla pars simul existat cũ alia: quod quidem non esset uerum, si daretur pars præsens; nam quælibet pars successiui est diuisibilis in alias partes: ergo si aliqua pars successiui esset presens, existerent simul omnes illæ partes, ex quibus pars illa præsens componitur. Dicere autem quòd ex eis aliæ sunt præteritæ, & aliæ futuræ, est incidere in nostram sententiam, & nullam assignare partem presentem. Hanc rationem tradidit S. Th. opusc. 44. c. 1. his uerbis. *Intelligendum est, quòd esse successiuorum consistit in hoc, quòd existant secundum aliquid indiuisibile sui, quod manifestari potest, quia quælibet pars cuiuslibet successiui diuisibilis est in diuersas partes: si ergo aliquid successiuum existeret, non solùm secundùm aliquid indiuisibile sui, sed secundùm aliquam partem, sequeretur quòd multæ partes alicuius successiui simul essent, quod est contra rationem successiuorum.*

17. Ob. 1. In tempore datur pars præterita, & futura: ergo debet dari pars præsens: atqui posita parte presente, nulla est ratio, quare tempus non existat per eam, sed per instans: ergo. Prob. prima consequentia; Futurum non transit in preteritum, nisi fiat præsens: ergo si in tempore datur pars præterita, & futura, debet dari pars præsens. ¶ Resp. concedẽdo antecedens, & negando consequentiam, & ad probationem dico, quòd immediata preteritio, & præsentialitas partis temporis, non est consideranda ad modum preteritionis rei permanentis: nam hæc habet propriam præsentialitatem, distinctam ab immediata preteritione, & futuritione: & ideo non potest transire in præteritam, nisi ultra hoc quod est, esse immediatè futuram; habeat aliquam propriam presentialitatem, & existentiam. Cæterùm in rebus successiuis ad hoc ut una pars transeat in preteritam, satis est, quòd immediatè antea fuerit immediatè futura: quia præteritio sequitur ad præsentialitatem; pars autem illa existit quatenus immediatè futura, qui modus existendi est proprius prædictæ partis rerum successiuarũ.

18. Ob. 2. Si partes temporis non existunt per se, sed per instans, existent utique per illud, quod immediatè utramque partem nectit: sed tale instans non nectit partem præteritam cum futura, sed solùm partes præsentes: ergo tempus non constat solùm ex partibus præteritis, & futu-

futuris, sed etiam præsentibus. Prob. minor; quia quod existit per existentiam sibi connaturalem, non est futurum, nec præteritum, sed præsens: sed partes illæ existunt per existentiam instantis, quę est ipsis connaturalis: ergo sunt partes præsentes, & non præteritæ, & futuræ. *Confirmatur*, quia alioquin essent simul præteritum, & futurum, quod ex terminis ipsis implicat. ❡ Resp. negando minorē, nam partes illæ existunt in ratione præteritę, & futurę: in hoc enim distinguuntur successiua à permanentibus, quòd hæc hoc ipso quòd intelligantur esse præterita, non existunt realiter: at verò pars rei successiuæ, quando intelligitur immediatè præterita, tunc realiter existit ratione alicuius indiuisibilis nectentis illam cum futura. Et *ad confirmationem* dico, partem immediatè futuram, & immediatè pręteritam existere simul ratione prædicti instantis: nam licèt eadem pars ut immediatè præterita, & immediatè futura non possit existere per idem indiuisibile: bene tamen partes diuersæ. Cæterùm quia instans afficit illas, ut una earum est præterita, & ut alia est futura; ideo hæc simultas non est contra rationem rei successiuæ, sed potius hoc exigit natura ipsius.

DUBIUM QUARTUM

Quas res mensuret tempus?

19. Dubio primo huius disputationis conclusione tertia diximus, in uniuerso unicum esse tempus, quod propriam rationē extrinsecæ mensuræ habeat; illudque esse motum primi mobilis; quia in illo solo motu reperiuntur conditiones omnes ad huiusmodi mensuram requisitæ. Restat examinandum, quas res mensuret. Pro quo sit

20. Prima conclusio, omes motus physici, & corporales mensurantur tempore; ita ut tempus in his motibus primò, & per se mensuret moram, & durationem eorum: consequenter verò uelocitatem, & tarditatem, adiuncta tamen quantitate spatii, eo quod uelocior motus est, qui æquale spatium in minori tempore, aut maius spatium in æquali tempore pertransit. Hæc conclusio patet experientia, & non indiget probatione.

21. Ob. 1. Motus primi mobilis non est notior aliis motibus: ergo non potest esse mensura eorum. ❡ Resp. motum primi mobilis esse nobis notiorem, quantum necesse est ad rationem mensuræ; nàm licèt in seipso non ità sensibiliter uideatur, sicut inferiores motus, tamen quantum ad an est, & quantum ad uniformitatem suam, & perpetuitatem, est omnibus notissimus.

22. Ob. 2. Tempus est quid obscurius, quàm motus: ergo non est apta mensura motus. Prob. antecedens, quia motus per se ipsum patet sensibus, tempus verò difficillimè cognoscitur. ❡ Resp quòd comparatio non debet fieri inter tempus, & motum, sed intèr unum motū, & alios, & intèr durationem unius, & durationem aliorum. Et hoc modo constituitur optimè ratio tēporis, quia illa duratio assumitur in mensuram, & accipit completam rationem, & denominationem temporis, quæ est in motu, qui comparatione aliorum motuum notior est, & alias conditiones ad mensurandum requisitas habet.

23. Secunda conclusio, Motus spirituales successiui, ut sunt motus locales Angelorum, non mensurantur hoc tẽpore. Ratio ne probatur; quia si loquamur respectu nostri, predicti motus sunt nobis ignoti, & ideò nõ sunt à nobis mensurabiles. Si verò loquamur respectu Angelorum certè illi nulla indigent mensura ad cognoscendã durationem suarũ actionum, quia tãm nota est ipsis quæcumque duratio per seipsam, quàm esse potest per comparationem ad aliam. Si tamen uelint, possunt pro suo arbitrio uti hujusmodi comparatione, & cognoscere tantũ durasse suum motum, quantùm motum Cęli. Uerumtamen id nõ tam erit cognoscere unum per aliud tanquã per mensuram, quàm cognoscere eorum motuum æqualitatem, uel inęqualitatem in duratione.

24. Tertia conclusio, Substantiæ materiales, & corruptibiles, quoad ipsarum durationẽ mensurantur tẽpore. Ità Aristoteles 4. physic c. 14. tex. 133. & omnes communitèr. Dices: mensura debet esse homogenea cum re, quam mensurat; atqui tempus est duratio successiua, durationes verò harum substantiarum sunt permanentes: ergo. Propter hanc difficultatem aliqui dicunt, tempus per se primò mensurare mutationes harum rerum, & secundariò esse illarũ, quatenus his mutationibus subest. Licèt hæc sententia sit probabilis, contrariam tamen probabiliorẽ existimo; tum quia non apparet, qua alia mensura mẽsurari possit esse permanens harum rerum. Tum etiam, quia quies idem est, ac permanentia, cum illud dicatur quiescere, quod se habet nunc sicut antea: ergo eadem est mensura rei permanentis, & rei quiescentis: atqui quies rei mutabilis mensuratur tempore: ergo & ipsa substantia corruptibilis, in quantũ durans, & permanens in quiete est, subijcietur tempori.

25. Quarta conclusio, Tempus nõ habet rationem mensuræ durationũ rerũ incorruptibilium. Et probatur quia tempus non habet hoc respectu ipsorum Angelorum ad cognoscendam durationem sui proprii esse, tũ quia non est notior Angelis duratio temporis, quàm propria; tum etiam, quia magna esset imperfectio, indigere tali mensura extrinseca ad suas proprias durationes cognoscendas. Neq; respectu nostri intellectus, quia ratio mensuræ, & mensurabilis respectu alicujus intellectus, supponit utrumque esse in se cognoscibile à tali intellectu: duratio autem Angelica non est ità cognoscibilis nobis. Vndè ex vi nostri temporis nunquã possumus cognoscere quantum Angelus durauerit, nisi fortasse mensurando aliquem effectum ejus, in quo sit successio, & deindè ex duratione effectus durationem causę colligendo: ut quia Angelus mouet Cęlum, rectè colligimus, tantùm durasse Angelum, quantũ durauit Cęli motus. Hęc autem mensuratio, & est ualdè remota, & per accidens, & adhuc non potest esse integra mensuratio illius esse: nam indè ad summũ colligitur, non fuisse illum effectũ sine sua causa; nõ tamen potest colligi, an ante effectum talis causa extiterit. & quantum durauerit. Dicendum igitur est, tempus nostrum non posse esse mensuram durationum hujusmodi rerum incorruptibilium.

IN

IN LIBRUM SEXTUM PHYSICORUM.

DISPUTATIO XX.

De compositione continui.

IN hoc libro duas proponemus disputationes; una erit de compositione continui: altera de modo incipiendi, & desinendi motus; ubi ob connexionem doctrinæ dicemus etiam de inceptione, & desitione rerum permanentium.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum in continuo sint indivisibilia, tam continuativa, quàm terminativa?

1. ALiqui negant in continuo indivisibilia terminativa. Alii verò indivisibilia continuativa. Fundamentum primæ sententiæ est: quia ea indivisibilia solùm necessaria sunt ad finiendum, & terminandum continuum: atqui quodlibet continuum seipso est finitum, & limitatum, nam ultima ejus pars ex se habet esse situata antè punctum, & ulterius non progredi: ergo. Confirmatur, quia si præscindamus per intellectũ lineã à puncto, non minus manebit simpliciter finita sine illo, quàm cum illo: ad quid ergo recurrere ad prædicta indivisibilia?

2. Fundamentum verò secundæ sententiæ est: quia si Deus separaret à linea omnia indivisibilia continuativa, tunc re uera maneret continua: ergo ad continuandam lineã nõ sunt necessaria indivisibilia. Antecedens, in quo est difficultas, prob. nam illud, quod remaneret in linea, non esset aliquod indivisibile, alioquin non essent ablata omnia indivisibilia, sed divisibile: ergo esset cõtinuũ habens partes intrinsecè unitas sine punctis. ¶ Confirmatur, indivisibile non potest tangere partes divisibiles, puta lineæ: ergo nec illas unire, seù continuare. Prob. antecedens, quia uel tangeret illas in indivisibili, uel in divisibili: neutrum dici potest: ergo. Prob. minor, nam inprimis non tangit in indivisibili, aliàs darentur plura indivisibilia immediata, & sic linea constaret ex solis punctis, quod esse falsum, ostendetur dubio sequenti: neq; etiam in divisibili, quia quæ se tangunt, adæquantur; sed indivisibile non potest adæquari divisibili: ergo.

3. Sed his non obstantibus dico, dari in continuo indivisibilia, tàm terminativa, quàm continuativa. Hæc est uera, & communior sententia Philosophorum. *Prima pars probatur*; Nam si non darentur indivisibilia terminativa, contigua nõ possent se realitèr tangere, quia nõ possunt se realitèr tangere in carentia extensionis, cum hæc nihil sit; neq; in profunditate partium, quia unũ corpus non potest tangere profunditatem alterius, nisi intromittatur in illud, saltèm secundùm aliquam sui partem; & sic fieret aliqua penetratio, quæ naturaliter est impossibilis: ergo solùm se tangunt ratione indivisibilium terminativorum.

4. Dices: Facta divisione alicujus quantitatis continuæ, potest Deus impedire, ne resultet aliquod indivisibile terminativum: atqui quantitas illa sic divisã potest realitèr tãgi ab alia distincta quantitate, si iuxtà illam poneretur: ergo ad realem cõtactum non sunt necessaria prædicta indivisibilia terminativa. 5. Resp. quod

quòd si Deus impediret resultantiã indivisibilis, maneret illa quantitas penetrabilis,& continuabilis cũ alio indivisibili alterius quantitatis, si ei applicaretur, non contiguabilis, ut benè obseruat Ioannes à S. Th. in præsenti.

5. Probatur *secunda pars conclusionis*; quia si in continuo indivisibilia continuatiua non admitterentur, nulla foret differentia inter continua,& contigua: atqui hoc est omninò absurdũ: ergo in continuo necessariò admittẽda sunt prædicta indivisibilia. Sequela majoris probatur; nam si duas partes quantitatis esse continuas, nõ addit nexum positiuũ, & consequentèr indivisibile aliquod, quo nectantur, fiet indè, ut duas partes unjus lapidis esse continuas, tan tùm importet, quòd sint ejusdẽ naturæ, & quòd non distent intèr se: at hoc ipsum habent duo lapides intèr se contigui: ergo nulla differentia esset inter continua,& contigua.

6. Restat, ut respondeamus argumentis contrarijs; & ad fundamentum primę sententię solutio patet ex dictis; nã indivisibilia non sunt necessaria ad terminandum utcumque quantitatem, sed ad eam positiuè finiendam, quam terminationem quãtitas etiam petit: quantitates enim nisi maneant positiuè terminatę, nõ poterunt contiguari, nec tangere se sine penetratione: sola autẽ entitas ultimæ partis nõ est satis ad positiuè finiendum; ideoque requiruntur indivisibilia terminatiua. Undè si per intellectum præscindatur linea à puncto, manebit finita negatiuè, non positiuè.

7. Ad fundamentum secundę sententię dico, casum illum esse impossibilem, quia aliàs maneret continuũ divisum in omnẽ sui partem, ut supponitur, & non maneret divisum in omnem sui partem, cum sit contra naturam continui, ut divisione exhauriatur. Undè ablatis omnibus indivisibilibus continuativis, perit quæuis alia entitas, quæ in ipso cõtinuo reperitur. ¶ Ad confirmationem respondeo, indiuisibile nõ dici propriè tangere partes, quas unit, contactus enim propriè est duorum separatorum, quorum extrema sunt simul: sed dicitur efficere illas; & in hoc sensu negatur antecedens. Ad probationem dico, indivisibile afficere partem in aliquo divisibili non determinato, minori, & minori in infinitum. Solùm autem ea, quæ se tangunt, seù afficiunt in aliquo determinato, debent adæquari; non verò, quæ in aliquo solùm indeterminato.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrum continuum constet ex solis indivisibilibus?

8 Super hac difficultate est duplex sententia. Prima affirmat, continuum constare ex solis indivisibilibus; Cujus præcipua fundamenta sunt. *Primò*, quia demus globum perfectè sphęricum, qui super corpus perfectè planũ motu continuo moveatur (quod quidem esse possibile, uidetur certum) tunc globus ille solum in puncto tangeret planum, ut demõstrat Euclides lib. 3. propos. 16. & ratio est: quia quæ se tangunt, adæquantur in eo, in quo fit talis cõtactus, ut supra diximus: ergo corpus illud planum constat ex solis indivisibilibus; si enim non constaret ex solis indivisibilibus, quomodo posset globus sphęricus cõtinuò in puncto per.

percurrere illud? *Secundò*, quia secundùm Mathematicos si punctum moueretur, faceret lineam, si linea superficiem: sed punctum motum non posset facere lineam, nec linea superficiem, si linea non constaret ex solis punctis, & superficies ex solis lineis, ut patet: ergo linea componitur ex solis punctis, & superficies ex solis lineis. *Tertiò*, quia uel inter punctum, quod est initium lineæ, & cætera alia puncta intercedit aliquid uel nihil? Si nihil, habetur intentũ, scilicèt continuum ex solis indivisibilibus coalescere. Primum autem dici non potest, quia illud, quod mediaret, esset linea: atqui impossibile est, mediare lineam, quín etiam mediant puncta: puncta autẽ mediare non possunt, quia inter primum, & omnia alia non est aliud punctum, quod mediet, ut ex se constat: ergo inter primum punctum lineæ, & cętera omnia nihil aliud mediabit, sed tota linea solùm erit collectio illa punctorum. *Quartò*, quia demus corpus aliquod, cujus una medietas sit in aqua, & alia in aere, tunc in medietate illius corporis duæ lineę terminatiuæ aquæ, & aeris immediatè se contingent: ergo ex parte corporis locati correspondent duæ aliæ lineæ, quæ sint etiam immediatæ: quia de ratione locati circumscriptiui est, ut totum toti loco, & pars parti, ac deniq; indivisibilia indivisibilibus correspondeant: ergo inter unum, & aliud indivisibile non mediat aliqua pars. *Et quintò*, quia si unum indivisibile additũ alteri non faceret extensũ, ideò esset, quia tangeret illud secundùm se totum, eidemq; spatio correspponderet, quasi ipsum penetrans: atqui hoc est falsum; nam indivisibilia iuxtà se posita non se tangunt secundùm se tota, nec se penetrant: si enim ipsa impediunt, quòd alia se penetrent, multò magis ipsa non se penetrabunt: ergo nihil obstat continuo, quòd ex solis indivisibilibus constet.

9. Secunda verò sententia negat, continuum ex solis indivisibilibus coalescere. Et hæc est longè probabilior, & omninò tenenda. Probatur primò ab inconvenienti sic: si continuum constaret ex solis indivisibilibus, sequeretur, aut illud non posse dividi in medietates æquales, aut indivisibile dividi: unum, & aliud est inconveniens. Assumptum probatur ponamus lineam, exempli gratia, ex septem punctis constitui, si posset dividi in duas medietates, uel in una medietate essent tria puncta, & in alia quatuor, & sic non esset divisa in partes æquales, cum plura essent pũcta in una parte, quàm in altera: uel in utraq; essent tantùm tria puncta, & media pars unius puncti, ut sic staret ęqualitas in utraque parte; & sic indivisibile divideretur.

10 Prob. deindè ratione à priori; quia omne continuum debet necessariò coalescere ex his, ex quibus nata est resultare propria ipsius extensio, cùm eam aliundè non habeat: atqui extensio propria cujuslibet cõtinui nequit resultare ex solis indivisibilibus: ergo nõ constat illis solis. Prob. minor, ex his quæ carent extensione, non potest resultare extensio, non n. resultat extensio ex partibus, nisi quatenus illæ suam entitatem, & extensionem, qua pollent, ipsi toti cõmunicant: atqui indivisibilia carẽt extensione, cum indivisibile, & inextensum idem sint: ergo ex illis nequit resultare extensio cõtinui; subindèq; ipsa sola non erunt partes, ex

quibus componitur continuũ. ¶ Cōfirmatur, extensio fit per hoc, quòd una pars sit extra aliam in ordine ad locum: sed unum indivisibile additũ alteri, non est extra locum alterius: ergo indivisibile additum indivisibili non facit extensum. Prob. minor, uel indivisibile, quod alteri conjungitur, afficit illud secundùm se totum, vel secundùm unam sui medietatẽ duntaxat, hoc secundũ est impossibile cũ careat partibus: ergo secundũ se totũ afficit, & tãgit aliud: sed ea, quę se tãgũt secũdũ se tota, sunt in eodẽ loco: ergo unum indivisibile additum alteri, nõ est extra locũ alterius. ¶ Cōfirmatur secundò, quia aliàs si darẽtur duæ lineæ, quarum una decem punctis, altera verò undecim cõstaret, hęc posterior esset priore lõgior: hoc autem dicere, est omninò falsũ; quia posterior linea solùm excedit priorem in uno puncto: sed punctũ nullius est extensionis, & magnitudinis: ergo repugnat, quòd una linea ratione illius sit longior alia: sicut impossibile omninò esset, quòd unum corpus esset magis album, quã aliud, ratione alicujus entitatis, quę non sit albedo.

11. Dices: unitas prædicamentalis secundùm se est indivisibilis, & tamen unita aliis unitatibus facit numerum, qui verè est quantitas extẽsa. Similiter instans temporis additũ tempori reddit ipsum longius; nàm res durans toto tempore v. g. horæ, & in instanti terminatiuo illius, magis uidetur durare, quàm ea, quę toto tempore horæ duraret, & in instanti terminatiuo desineret: quia in illo instanti de illa priori erat verum dicere, quòd sit, de posteriori verò, quòd non sit. Ergo eodem modo pũctum, quod secundùm se habet esse inextensum, efficiet quantitatẽ extẽsam, si cũ aliis punctis coniungatur.

12. Sed hæc instantia nostras rationes non infringit. Et ad primum exemplum dico, quòd licèt indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius, aut extẽsius, facit tamen plus: unde cum ad quantitatem discretã formaliter sumptam nõ desideretur magnitudo extensonis sicut desideratur ad quantitatem continuam, sed tantùm magnitudo pluralitatis; ideo quantitas continua non potest componi ex solis indiuisibilibus, benè tamen discreta ex vnitatibus formalitèr indiuisibilibus, & materialitèr extensis. *Ad secundum exemplum* concedo, instans facere maius in duratione, non tamèn maius, aut extensius tempus; quia maius tẽpus, quod est quid quantum, importat maiorẽ extensionem; & quia indiuisibile additum diuisibili non facit extensius, ideò instans temporis, quod est indiuisibile, non potest reddere tempus extensius. At duratio abstrahit ab extensione & non extensione, nàm sicut potest dari duratio successiua, & quãtitatiua, qualis est tempus; ità duratio indiuisibilis; undè maior duratio, seù magis durationis potest prouenire ab eo, quod est omninò indiuisibile. Sicut linea, cui si adderetur aliquod punctũ, haberet plus de entitate, quia entitas à diuisibili, & indiuisibili abstrahit: non verò esset maior, aut lõgior, ob rationẽ dictã.

13. Satisfit argumẽtis contrariis. Et ad primum de globo super planũ, dico quòd globus ille non attingit planum continuè, sed discretè, & tamen mouetur continuè. In quo magna contingit hallucinatio, quia existimatur, quòd spatiũ, per quod mouetur globus ex parte inferiori, est

solùm

ſolùm ipſum planum, quod tangit, cum tamèn ſit etiam ipſe aer, non ſolùm qui à parte ſuperiori circumdat globum; verùm etiam aer inferior, qui eſt intèr punctum, quo tangitur planum à globo, & partes eleuatiores ipſius globi; & per hunc aerem inferiorē mouetur globus continuè, licèt ipſum planum tangat in puncto diſcretè. Sicut proportione ſeruata, quando animal eleuãdo pedes, & deprimendo ambulat per terram, certum eſt, quòd pedes animalis non tangunt continuè omnes partes terræ, ſed diſcretè ſecundùm eleuationem pedum; & tamèn mouetur motu continuo per aerem, in quo pedes eleuantur.

14. Et ſi aliquis huic ſolutioni nõ acquieſceret ſe; Reſpondeo ſecundò, admittendo globum illum ſphericũ in caſu poſito continuè tangere planũ; negatur tamen quòd ſolùm tangat in punctis, ſed in punctis & in partibus indeterminatis minoribus, & minoribus in infinitũ. Et ad probationem dico, propoſitionē illam eſſe veram de tangente, & tacto determinato, nõ verò indeterminato; globus autem ille percurendo planũ nõ ſolùm tangit aliquid determinatum, ſed etiam indeterminatum: omne determinatum, quod tangit, eſt ſolum indiviſibile, indeterminatum verò partes minores, & minores, quę appellantur proportionales.

15. Ad ſecundùm reſpondeo, quòd punctum ſecundùm Mathematicos ſolũ mouetur motu imaginario, non reali, ut per hoc explicetur longitudo lineę ſine latitudine; & ſic motus puncti, ſi daretur, faceret lineã quãtum ad negationem latitudinis, & ſuperficiem quantum ad negationem profunditatis; non quoad poſitionē partium. ¶ Ad tertium, quòd inter primũ punctum, & alia diviſiuè ſumpta, mediat linea: ſi verò collectiuè ſumantur, nihil mediat, non quia ſolùm ſint ibi puncta, ſed quia niſi ſumantur etiam partes, non accipiũtur omnia puncta collectiuè, nam ſi pars aliqua remanet, debet manere unita infinitis punctis. ¶ Ad quartum, quòd utriq; lineæ aeris, & aquę ſolùm correſpondet una in locato: quia cum lineę illæ ſint indiviſibiles ſecundùm latitudinem, utraq; ſimul non poteſt ſecundùm hanc rationem facere majorem extenſionem, quam una ſeorſim; & ità ſufficiet linea illa ex parte locati aſſignata ad talē correſpondentiam. ¶ Et ad quintum deniq; nego minorem, & ad probationem dico, indiviſibilia in tantum impediunt ne partes ſe penetrant, in quantum ſunt extrema ipſarum: at hoc ipſo quòd extrema ſe tangunt, cum careant partibus, nequeunt ſe tangere, niſi ſecundùm ſe tota, & ideò eidem ſpatio correſpondent.

DUBIUM TERTIUM.

Vtrum partes in continuo ſint infinitæ?

16. PArtes continui alię ſunt determinatę, quę dicuntur *aliquotæ*, aliæ indeterminatæ, quæ appellantur *proportionales*. Partes determinatæ dicuntur illæ, quæ certæ, & determinatæ extenſionis ſunt, ſiuè magnæ, ſiuè paruæ, quæ aliquoties repetitæ adæquant, aut exhauriunt totum, ut palmi reſpectu ulnę, quã octoties repetiti exhauriunt; guttæ, comparatione maris, quod demum detractione illarum exhauriri poſſet, cum ſit finitũ quid; Et hac de cauſa hujuſmodi partes dicuntur *aliquotæ*.

Partes verò indeterminatæ sunt medietates medietatum in infinitum, sub præcisa ratione medietatum, abstrahendo à tali, uel tali magnitudine, aut paruitate; & propterea dicũtur *proportionales*, quia scilicet non habent certam, & determinatam extensionem, aut paruitatem, sed indeterminatam, proportionatã ei, cujus sunt medietates.

27. Omnes istæ actu, & non in potentia sunt partes in continuo; ad rationem enim partium actu, duo requiruntur, nempè quòd distinguãtur ab invicem, & quòd uniantur ad componendum totum: partes autẽ continui, siuè sumantur, ut aliquotę, siuè ut proportionales, sunt actu distinctæ, cum sint separabiles; & sunt actu unitæ terminis communibus, seù indivisibilibus: ergo sunt actu partes.

28. Dices: Omnia, quæ sunt in continuo, existunt per unum, & simplex esse: ad distinctionem autèm actualem requiritur distincta existẽtia: ergo partes in continuo nõ sunt actu distinctæ, sed solùm in potentia. ¶ Resp. negando minorem, nã materia, & forma in sententia S Th. existunt per unicam tantùm existẽtiam, & tamen in omnium sententia realitèr distinguuntur. Et ratio est, quia ad distinctionem realẽ sufficit distincta entitas, quę realitèr separari possit ab altera: totum autẽ hoc habetur, tùm in materia, & forma, tùm in partibus aliquotis, & proportionalibus continui.

29. His positis, difficultas præsentis dubii est, an partes istæ sint infinitæ? Et de partibus aliquotis omnes fatentur, non esse infinitas; magnitudo enim continui mensuranda est ex prædictis partibus: si autem ipsæ essent infinitæ, non posset continuum non habere infinitã magnitudinem; quod affirmare est contra euidentem experientiam. De partibus verò proportionalibus communis sententia Thomistarum, tenet eas esse infinitas; nam si essent finitæ, demus, quòd in hoc continuo sint tantùm decem; inquiro, an quæuis earum sit ultra divisibilis, nec ne? Si hoc secundùm dicatur: ergo continuum istud solùm constat ex decẽ indivisibilibus; siquidem solùm constat ex illis decem partibus, quæ hoc ipso quòd non sunt ulterius divisibiles sũt indiuisibiles. Si autẽ primũ asseratur: ergo iã illę partes nõ erant decẽ, sed uiginti. Cumq; idẽ argumẽtum de illis uiginti fieri possit, & sic de aliis, usq; in infinitũ dicẽdum est, ibi esse multitudinem partium infinitam, ita ut non possit in ea assignari prima, & ultima.

30. Ob. 1. Si in continuo actu essent infinitæ partes proportionales, illa multitudo partium esset infinita: ergo in quolibet cõtinuo daretur infinitum in actu secundùm multitudinem: atqui impossibile est, dari hujusmodi infinitum, ut supra ostẽsum est: ergo partes proportionales in continuo nõ sunt infinitę. ¶ Nec satis erit, si dixeris, quòd partes illę non sunt actu plura entia, sed tantũ in potentia, & ideò non sequitur, dari infinitum in actu. Nàm contra est: quia si ob aliquam rationem nõ essent actu plura entia, & sufficientia ad constituendam multitudinem infinitam, maximè quia non existunt actu per propriam existentiam, sed per unam, & eandem existentiã totius. at hæc ratio est nulla; quia si daretur quãtitas habẽs infinitas partes ęquales, esset simplicitèr infinita, &

& ejus partes essent infinitæ secundùm multitudinem; & tamèn nulla earum haberet propriam existentiã, sed existerent per existẽtiam totius: ergo, quòd partes proportionales continui non habeant propriam existentiam; nihil oberit ad infinitatem.

31. Resp. quòd solutio data est optima, nàm ut docet D.Th 1.cont. gent. c. 25. & in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. de uerit. q. 1. art. 1. ens dicitur ab actu essendi, seù existendi, & ideò quod nõ habet proprium esse actu, non dicitur ens actu, & consequenter quia partes continui non habent in illo proprium esse, seù existentiã ideò non dicuntur propriè plura entia actu Vnde neque ibi adest numerus, quia numerus propriè importat multitudinem actu diuisam. ¶ Ad instantiam autem respondetur esse disparem rationem, quia & si omnes partes illius quantitatis infinitæ non existerent per se de facto, haberent tamèn potentiam proximam ad sic existendum, quia omnes illæ possent esse separatæ, cùm sint aliquotæ, & æquales uni signatæ: at verò partes proportionales infinitæ, quæ sunt in continuo finito, nullo modo possunt simul esse separatæ. Quarè si daretur quantitas continua habens infinitas partes æquales uni certæ, esset ibidem simplicitèr infinitum in actu; non quia haberet infinitas partes, quæ essent entia actu; sed quia haberet illas potentes proximè per se existere simul, & esse entia in actu simul.

32. Ob. 2. Si in continuo essent infinitæ partes proportionales ex omnibus illis resultaret continuum infinitè extensum: atqui hoc est manifestè falsum; ergo. Sequela maioris probatur; quia quęuis pars quantitatis habet realem entitatẽ ab alia comparte distinctam: ergo habet extensionem propriam distinctam ab extensione quantitatiua alterius compartis, cùm eius entitas realis sit ipsius realis extensio: ergo si in continuo inuenientur infinitæ partes, etiam ibi inuenientur infinitæ extensiones; & per consequens ex eis simùl unitis resultabit infinita extensio, seù magnitudo.

33. Resp. negando sequelam maioris, nam licèt pars proportionalis distinguatur realiter ab altera comparte, & habeat propriam extensionem distinctam ab extensione alterius compartis, tamen quia nõ sunt determinatæ extensionis, & inter se communicantur, nam cũ nihil aliud sint, quàm medietates totius, & harum medietatum medietates, alię includuntur in aliis, quibus proinde nihil addunt, quantumuis multiplicentur in infinitum, & ideo non faciunt infinitam magnitudinem, sicut facerent partes aliquotæ ob contrarias rationes.

DISPUTATIO XXI.

De inceptione, & desitione motus, & temporis.

1. Duobus modis potest aliquid incipere, & desinere: primò *per instans intrinsecum*: Secundò *per instans extrinsecum*. Illud dicitur incipere per instans intrinsecum, quod in huiusmodi instanti habet primò suum esse, cũ immediatè anteà (hoc est in parte temporis antecedẽte illud instans) non haberet. Similitèr illud dicitur desinere per instans intrinsecum, quod in instanti illo vltimo habet postremò suum esse, ita

ut immediatè post, siuè in parte temporis instans illud subsequente, non sit habiturum. Vndè illud, quod incipit per instans intrinsecum, dicitur aliis terminis incipere per *primũ sui esse*, quia de illo uerum est dicere in illo instanti, *nunc est, & immediatè antea non erat*. Pariter illud, quod desinit per instans intrinsecũ, dicitur sub aliis terminis desinere per *ultimum sui esse*, quia de illo uerum quoq; est dicere in hujusmodi instanti; *nunc ultimò est, & immediatè postea non erit*. E contra uerò illud dicitur incipere per instans extrinsecum, quod in eo instanti nondum habet suum esse, sed immediatè posteà (id est in parte temporis statim sequenti) habebit. Et illud dicitur desinere per instans extrinsecum, quod in illo iam non habet suũ esse, sed immediatè anteà habebat. Vndè etiam illud, quod incipit per instans extrinsecũ, dicitur incipere per *ultimum sui non esse*, quia de illo uerum est dicere in hujusmodi instãti; *Nunc ultimò non est, & immediatè postea erit*. Et similiter illud, quod desinit per instans extrinsecũ, dicitur desinere *per primum sui non esse*, eo quod de illo uerum sit dicere in tali instanti, *Nunc primò non est, & immediatè anteà erat*. His positis.

2. Dico primò, Motum, & tempus incipere per ultimum sui non esse; & desinere per primum sui non esse. Assertio hæc quoad utramque partem est communis intèr Philosophos, & facile suadetur. Quia motus, & tempus non possunt esse in instanti; ergo nèc incipere per primum sui esse, nèc desinere per ultimum sui esse (quod enim incipit per primum sui esse, oportet, quòd sit in instanti, nàm de eo uerificari debet, nunc est, & immediatè antea non erat. Et similitèr quòd desinit per ultimum sui esse, etiam necessarium est esse in instanti, quia etiam de eo uerum est dicere, nunc est, & immediatè posteà non erit (sed quæcumquè non ita concipiunt, & desinunt, necessariò incipiunt per ultimum non esse, & desinunt per primum non esse: ergo motus, & tempus incipiunt, & desinunt prædicto modo. Maior seu antecedens prob. quia de ratione motus, & temporis est extensio successiua; atqui in instanti non potest dari extensio successiua, quia instans est indiuisibile: ergo motus, & tempus non possunt esse in instanti.

3. Dico secundò, Instantia temporis, & mutata esse motus, incipere per primum sui esse, & desinere per ultimum sui esse. Hęc etiam assertio est communis; & probatur, quia hęc indiuisibilia habent totum suum esse in momento, & de eis uerum est dicere, nunc sunt, & immediatè antea nõ erant, nec immediatè post erunt. ❡ Dices: ergo in eodem instanti incipiunt, & desinunt: atqui implicat, quòd in eodem instanti aliquid fit, & non fit: ergo. ❡ Resp. ità esse, sed non sequitur minor, nam licèt ea, quæ desinunt per primum non esse, non sint in instanti in quo desinunt, quia de eis uerum est dicere, nunc non sunt. Tamen ea, quæ desinunt per ultimum esse, etiã in illo instanti in quo desinunt, sunt, quia de illis dicitur, nunc res est, & immediatè post non erit.

4. Tertia conclusio, Quies incipit per ultimum non esse, & desinit per primũ non esse. Ità Franciscus Manca 6. physic. q. 2. dub. 1. concl. 3. & alii.

alii. Probatur, quia quies non potest esse in instanti: sed quæ non possunt esse in instanti, incipiunt per ultimũ non esse, & desinunt per primum, non esse, ut in prima conclusione ostensum est: ergo quies incipit per ultimum non esse, & desinit per primum non esse. Prob. maior, quies est priuatio motus: sed motus non potest esse in instãti: ergo nec quies. Mobile enim non dicitur priuatum motu, nisi pro illa duratione, in qua aptum erat moueri: sed nõ erat aptum moueri in instanti, quia in instanti non potest esse motus: ergo. ❡ Vndè non coherenter loquitur Joannes à S. Th. in præsenti qu. 21. art. 2. regul. ult. negans quietem esse in instanti, eam nihilominus inquit desinere per ultimum sui esse. Siquidem quicquid per ultimum sui esse desinit, in instanti est, quia de eo uerè dicimus, nunc est; & immediatè post non erit: ergo si quies non potest esse in instanti, nec potest desinere per ultimum sui esse.

5. Obi. Quies desinit quando incipit motus: sed incipit motus per ultimũ non esse, ergo desinit quies per ultimum sui esse quando est uerum dicere, nunc est quies, immediatè post non erit, quia immediatè post est motus. ❡ Resp: quòd si hoc argumentum alicujus esset efficaciæ, probaret etiã posse motum desinere per ultimum sui esse; Demus enim duos motus, quorũ unus immediatè subsequitur alium, ut contingit, quãdo ab alta turri proiicitur canis, qui in medio itineris moritur, tunc formari potest idem argumentum sic: Primus motus, nempè canis, desinit quando incipit secundus, nempè cadaueris: sed secundus motus incipit per ultimum non esse: ergo primus motus desinit per ultimum sui esse; & sic uerum esset dicere, nunc est motus canis, Immediatè post nõ erit, quia immediatè post est motus cadaueris. Hoc autem est absurdum, quia motus non potest esse in instãti. Dico igitur quòd sicuti in prædicto casu illud instans, in quo motus discontinuatur, est extrinsecum inceptionis secundi motus, & desitionis primi; ità in desitione quietis illud instans, in quo extrinsecè incipit motus, extrinsicè finit quietem.

7. Ob: 2. Aristot. 6. physic. cap. 3. tex. 31. asserit, id quiescere, quod similiter se habet nunc, ac prius: sed id, quod in tẽpore antecedente quieuit, similiter se habet in instanti, quo id tempus clauditur, ac se habebat prius: ergo in eo instanti quiescit. ❡ Resp. sensum Aristotelis esse, illud quiescere, quod hoc tempore similiter se habet, ac prius, in eo autem instanti mobile verè, nec dicitur moueri, nec quiescere, sed non moueri.

8 Quæres: Quomodo incipiant, & desinant res permanentes? Res permanentes aliæ incipiunt, & desinunt cum motu, aliæ sine motu. Quę incipiunt, & desinunt cũ motu, sequuntur modum incipiendi, & desinendi successiuorũ. Quæ verò motui in sui inceptione, & desitione nõ subduntur, quantum est de se, petũt incipere per primum sui esse, & desinere per ultimũ sui esse: quia quãtùm est de se, non includunt successionem, & sic possunt habere suum esse in instanti, tùm primò quando incipiunt, tùm etiam ultimò quando desinunt; per accidens tamen aliter contingit, nàm substantiæ materiales in sui generatione, aut corrup-

rup-

ruptione, quamvis incipiant per instans intrinsecum, eo quod forma substãtialis introducitur in instanti, attamen desinũt per instans extrinsecum, siquidem in illo ipso momẽto, in quo forma noua introducitur, expellitur præcedens, utpotè, quæ non potest esse simul, cum alia in eadem materia; atque ità in illo instanti uerum est dicere, *nunc primò non est forma præcedens, & immediatè antea erat*.

9. Dices; Potest substantia corrũpenda desinere in uno instãti, & substantia generanda incipere in alio instanti subsequenti. Sed contra, quia iam uel darentur duo instantia immediata, quod est impossibile, utsupra uidimus; uel in parte mediante inter illa, materia esset sine ulla forma; quod etiam implicat.

IN LIBRUM SEPTIMUM PHYSICORUM.

De distinctione, & approximatione inter mouens, & mobile.

QUia Aristoteles in hoc libro magis ex professo de his duabus conditionibus ad mouendum requisitis agit, ideò peculiariter de illis præsentem disputationem instituimus,

DUBIUM PRIMUM.

Vtrum omne quod mouetur ab alio moueatur?

1. PRopositio ista Philosopi à multis reiicitur, qui existimant nõ requiri realem distinctionẽ inter id, quod mouet, & mouetur. Ita Scotus 9. met. q. 14. & ejus discipuli. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex uarijs actionibus, in quibus mouens, & motum non distinguuntur realiter, ut patet in motu cordis, & in motu grauium, & leuium. Totũ enim cor mouetur, & totum mouet, quia cum sit motus uitalis, est à se ipso. Similiter totus lapis mouetur deorsum, & totus se mouet, quia nõ impellitur ab aliquo extrinseco. Itẽ aqua calida semotis impedimentis redit in natiuum frigus, idque successiua mutatione, atque adeò motu propriè dicto: & sic eadem aqua est mouens, & mota respectu ejusdem frigefactionis. Nec dici potest, quòd in istis motibus materia mouetur, & forma mouet. Nam cum prędicti motus sint motus propriè dicti, nõ potest sola materia esse mota, quia motus propriè dictus, cùm sit accidens, non habet pro subjecto solam materiam, sed totum compositum.

2. Sed his non obstantibus, communis sententia prædictam Aristotelis propositionem in toto rigore defendit. Et certè si hoc principiũ destruitur, consequentèr oportet affirmare ex principiis philosophicis, quæ fundantur in motu, non posse nos sufficientèr demonstrare, Deum esse; siquidem Philosophi, qui ex natura motus processerunt ad ostẽdendum dari unum primum motorem, qui sit immutabilis, & æternus, in his solùm duobus principiis fundati sunt, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur, & non est dare processum in infinitum in causis mouẽtibus. Si autem id, quod mouetur, non est necessè quòd ab alio moueatur, nec etiam est necessè sistere in aliquo, quod sit mouens non motum, cùm idem possit moueri, & mouere seipsum.

3 Ratio autem, qua Aristoteles prædictum principium probat, est effi-

efficacissima: quia non potest idem simul esse in actu,& in potentia respectu ejusdem, neque idem potest esse dependens à seipso:atqui unumquodque in tantùm est mouens, in quantum est in actu, & motum in quantum est in potentia; & similiter in quantum motum dependet à mouente: ergo non potest esse idem simul mouens, & motum respectu ejusdem.

4. Fundamentum verò oppositæ sententiæ non urget,& de motu grauium & leuium,ac reliquis ibi numeratis,dubio tertio latiùs agam, interim dico, omnes illos per emanationem oriri à natura, cui conueniunt, quod etiam de aqua reducta ad pristinam frigiditatem notat Caietanus 1.part.quest.54.art.3. Emanatio autem respectu naturæ,non est motus, sed respectu generantis. Motus verò cordis,quia vitalis est, non ita facilè percipitur,quòd sit à generante. Sed tamen quia etiam uita in rebus creatis est accepta,& deriuata ab alio,nō ita uiuens mouet se,quòd non etiam moueatur ab alio in primo motu, quo incipit uita, ut docet D. Th. 1. part.q 18.art.3.& q.105.art 4.ad 2.& ita ille primus motus est uitalis tanquam initium uitæ,nō tanquàm perfectio uitæ:hæc enim operatio uiuētis, est à mouente se, quatenùs per unam partem iàm motam,& factam in actu, mouet alias. Itaquè prima pars motus cordis elicitur quidèm ab ipso uiuente,sed moto à generante,à quo habetur initium uitæ. Reliquæ verò partes una mouetur ab alia, & sic respectu totius uiuentis motus eius uitalis est.

DUBIUM SECUNDUM.

Vnum mouens, & mobile debeant esse simul?

5. Sensus tituli est,utrum mouens, aut agens debeat esse immediatè coniunctum passo,aut mobli,in quod agit,an verò possit agere in subiectum distans,cui nec per suā substantiam, nec per uirtutem à se diffusam coniungatur. Dupliciter autem agens potest esse immediatum passo, *Primò* immediatione suppositi & uirtutis simul,quo modo ignis est præsens calefactibili sibi contiguo, *Secundò* immediatione uirtutis tantùm, & non suppositi; qua ratione sol coniungitur his inferioribus in quæ agit,non enim adest illis immediatè per suam substantiam, sed solùm per uirtutem à se diffusam.Hoc posito

6. Dico, omne agens debere esse immediatum passo,uel utraq; immediatione, uel saltèm immediatione uirtutis. Et ratio est:quia ad operandum necessaria est existentia agentis:ergo ad operandum in tali loco, necessaria est existentia agentis in eo loco:ergo non potest agens agere in passum,nisi sit illi præsēs saltèm quo ad suam uirtutem. Confirmatur à simili, sicut enim ad operandum in tempore,in quo res non est,ita se habet,ac si nunquàm fuisset;ita ad operandum in loco, ubi non est, ita se habet,ac si omninò non esset in rerū natura: atqui implicat contradictionem aliquid agere,nisi existat uel per se, uel per suam virtutem eo tempore,quo agit: ergo pariter repugnabit quòd agat,nisi sit præsens uel per se, uel per suam uirtutem in loco, ubi operatur,& producit effectum.

7. Ob. Potest agens agere in distans: ergo non est necesse ut sit, ubi agit. Probatur Antecedens, pluribus experientiis: nàm in lebete ad ignē adhibito partes superiores aquæ sunt calidæ, fundus autem lebetis frigescit. Similiter torpedo stupefacit manum piscatoris, non cordam. Oculi fascinantes imprimunt malam qualitatem pueris, & non aeri itermedio. Magnes attrahit ferrum distans, & non corpus propinquum. Et deniquè Phantasia residens in capite mouet appetitum, qui est in corde.

8. Ad hanc objectionem respondere possumus primò, negando cōsequentiā, quia aliud est, quod agens agere possit in distans, absq; eo quòd agat in medium, quod ad summum probant adductæ experientiæ: aliud verò quod illi subjecto distanti, in quod agit, non sit presens secundùm suam uirtutem. Nihilominus, quia adhuc illud primum est falsum, nam alias nō esset, undè limitaremus sphęram actiuitatis in agentibus; posset enim quodcumq; agens agere in omnē distantiam: quia si sine transmutatione uirtutis per medium potest agere in aliquid, quod distet duobus palmis, cur nō poterit similiter agere in id, quod distat duobus milliaribus, uel in quodcumque aliud sine termino? Et ideò

9. Resp. secundò, Negando antecedens, pro quo noto, quòd quando aliquid agit in medium, & in subjectū distans, non semper idē effectus producitur in utroque; ob diversam capacitatem, & dispositionem, quam habent, undè Sol in Cęlis sibi contiguis producit lumen, non calorem, cujus sunt incapaces, utpotè incorruptibiles; in aere verò simul cū lumine calorem efficit, quia utriusque est capax; in uisceribus terrę nō producit lumen, propter opacitatē illius elementi, quod est incapax lucis, producit tamen in eo calorem, aut alias influentias, ratione quarum in una illius parte producit aurum, in alia ferrum, & similia, ob uarias scilicet dispositiones, quas ibi reperit. Et ex hoc oritur, quòd in experientiis adductis effectus, qui manifestè apparent, uidentur fieri in distanti, tamen re uera uirtus, quæ diffunditur, transit prius per mediū, licèt non habeat in illo similem effectum, quem in remotis propter dissimilē dispositionem. Solutio est S. Th. in 2. dist. 15. qu. 1. art. 2. ad 6. ubi inquit: *Actio cuiuslibet agentis habètis suum potius recipitur in medio, quàm in termino, non tamen oportet, quòd recipiatur in utroque eodem modo, sed secundùm quòd exigit dispositio utriusque, sicut ponit exemplū commentat. 5. physic. de pisce, qui retentus in reti stupefacit manū, præter hoc quòd stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est: & tamen secundùm aliquem modum rete alteratur ex uirtute piscis.* Ad experientiā de lebete apposito ad ignem, certū est, quòd calor, qui est in partibus superioribus aquæ transit per fundū lebetis, sed tamen rarefacta aqua per calorem, dat locum frigidiori aquæ, quæ est in parte superiori, que densior, & grauior est, ut descendat ad fundum, & infrigidet illum, manentibus calidis partibus superioribus. Ad illam verò de phantasia dicemus in libris de anima quomodo moueat appetitum.

††††
††

DU-

DUBIUM TERTIUM.

A quo moueantur grauia, & leuia?

10. IN præsenti non loquimur de causa per accidens, nam certū est, grauia, & leuia per accidens moueri à remouente impedimentum, ut si lapis esset supra columnam positus, qui columnam auferret, esset causa per accidēs motus lapidis deorsum: sed de causa per se talis motus. Super qua difficultate est duplex sētentia, prima docet, grauia, & leuia moueri à seipsis; secunda verò, moueri à generante. Primam tenent Scotistæ, secundam Thomistæ.

11. Prima conclusio, Grauia, & leuia non mouentur à seipsis. Est Arist. 8. physic. c.4. tex. 29. ubi inquirens, à quo principio moueantur grauia, & leuia, inquit: *Est autem impossibile, quòd moueantur à seipsis, est enim hoc officium uitæ, & animatorum proprium.* Nec ualet discrimen, quod inter uiuens, & non uiuens, etiam si utrumq; se moueat, assignat Scotus, quòd uiuens se mouet media sui cognitione, non verò nonuiuens. Nō inquam id ualet, tùm quia plantæ uegetabilem uitā habentes, absq; cognitione se mouent, & per id distingvuntur à nonviuentibus. Tùm etiam quia animalia, licèt ad aliquos motus media cognitione se moueāt, ad motum tamen augmentationis, aliosque motus naturales se mouent, & non media aliqua cognitione, cū talis etiam motus sit proprius illorū ut uiuentium. ¶ Confirmatur, quia in lapide, uel igne omnes partes sunt ejusdem rationis, & uirtutis, nec est alia mouens, & alia mota, sicut est necessarium in iis, quæ se mouent, alioquin eadem pars esset simul mouens, & mota, in actu, & potentia respectu ejusdem, contra id, quod dub. 1. ostensum est. Nec sufficit, distinguere materiam, & formam, ita ut materia sit pars mota, & forma pars mouens, quia materia sola non est capax motus strictè dicti.

12. Secunda conclusio, Grauia, & leuia monētur à generante. Est ejusdem Philosophi loc. cit. tex 33. Et probatur ratione; quia id, quod ablato impedimēto acquiritur per motum in grauibus, & leuibus, debetur ipsis in instanti generationis: ergo talis motus debet attribui generāti. *Antecedens est certum*; quia in grauibus, & leuibus ablato impedimento, per motū acquiritur proprius locus, & determinatus situs: sed esse in proprio loco, & determinato situ in universo, convenit rebus per modum proprietatis; & propietates debentur rei genitæ in instanti generationis: ergo. *Consequentia uero probatur*; quia quoties impeditur, quod debetur alicui in instanti generationis, toties ablato impedimēto id resultat ex ui illius generationis, quā primò res illa producta est; quia ad complementū generationis pertinet cōmunicare omnes perfectiones, & propietates, quæ sunt naturæ debitæ: ergo si locus deorsum debetur grauibus ex ui generationis, & locus sursum leuibus, motus, quo ablato impedimento prædicta loca obtinētur, est pars quædam generationis, & complementum illius, & ideo attribuitur generanti.

13. Dices: Licèt intelligi possit, quòd in primo instanti generationis, mouetur graue à generante, tamen quando postea posito impedimento interrumpitur generatio, & rursum

mouetur graue, oportet quòd sit alia actio distincta à generatione, & tunc iàm non est generans: ergo nō potest ab illo talis actio elici. Nec sufficit ponere uirtutem generantis, ut mediāte illa dicatur generans mouere, quia restat difficultas, à quo ista uirtus moueatur, ut de nouo incipiat operari, quia omnis uirtus operatur mota. ¶ Resp. quòd motus grauium, & leuium semper est à generante, siuè fiat in principio generationis, siuè postea quando sublato impedimento iterū graue mouetur, quia sēper est emanatio propriæ passionis, nempè collocationis, & quietis in proprio loco. Et licèt generatio prima cesset, & interrumpatur formaliter, tamen manet uirtualiter, quia manet forma genita impedita suo complemento, & propria passione; generans autem non attingit proprias passiones immediatè, sed mediante forma, cui conueniunt, & connectuntur. Itaq; uirtus generantis non est aliud, quā forma geniti, ut habet necessariam connexionem, & debitum propriæ passionis, quæ forma cùm iam à generante à principio mota sit, cùm primò attacta fuit, ideò ut ablato impedimēto ab ipsa emanat propria passio, nō requiritur noua motio, aut determinatio, sed tantùm ablatio impedimenti.

14. Dices secundò, Ad hoc ut propria passio emanet à forma, non est necessarium principium proximū; solùm enim ad actionem, non autem ad emanationē substantia indiget potentiis: atqui forma grauis mediante grauitate mouetur deorsū & forma leuis, mediāte leuitate mouetur sursum: ergo tales motus nō emanant, sed eliciuntur à prædictis formis mediantibus grauitate, & leuitate. ¶ Resp. etiam in ipsa emanatione passionum, unā emanare mediante alia, sicut uoluntas medio intellectu, & risibile, mediante admiratiuo; & sic motus ad proprium locum in grauibus, & leuibus oritur mediis grauitate, & leuitate, idest, ab eorum formis prius dimanant grauitas, & leuitas, & mediis grauitate, & leuitate motus ad proprium centrum. Uide Lermā in præsenti lib. 7. q. 2. vbi alias objectiones proponit, & soluit.

DUBIUM QUARTUM.

A quo moueantur projecta?

15. CErtum est, proiecta ab alio, & non à seipsis moueri, cū motus illorum sit uiolentus, & contra naturalem inclinationem. Difficultas est, quodnam sit hoc aliud, à quo moueantur? Aliqui uolunt, esse aerem à proiiciente motum. Sed hæc opinio communiter refellitur, quia non apparet, quomodo solus aer tāto impetu leuare ualeat graue corpus in altū. Neque est intelligibile, quòd sagitta è manu emissa ad tàm magnā distantiam, tàm recta uia ad certum scopum, tanto ueloci motu, tantaq; ui, ut hominem interficiet, à solo aere moueri, maximè cum sepè contra flatum ualidissimi uēti fiat talis motus. Prætereà ponatur lapis aliqua ntò remotè à manu, & deinde qua maiori ui potest, impellatur aer, certè uel nihil, uel prope nihil mouebitur lapis: quomodo ergo tota causa motus proiectorum in aerem motum refundi possit?

16. Dico igitur, huiusmodi proiectorum motū causari à uirtute aliqua illis à proiiciente impressa. Ità Thomi-

Thomistæ, Sotus 8 phy. q 3. Masius sect. ult. & alii Ratio autem est: quia cum proiiciens impellere desit, adhùc lapis violenter fertur: sed motus ille non potest prouenire ab aere, ut ostensum est: neque à proiicête, quia abest, & nullũ potest agere in distãs: ergo prouenit ab aliqua uirtute ipsi lapidi à proiiciente impressa, cũ nulla alia causa excogitari possit.

17. Dices: uel ista uirtus est eiusdẽ speciei in omnibus motibus uiolentis, uel diuersæ: eiusdem esse non potest, cùm alius sit motus sursũ, alius deorsum. Nec diuersæ speciei esse potest, nàm aliàs eadẽ manus proiiciens lapidẽ, produceret effectus specie diuersos, cùm possit lapidem sursum, & deorsum proiicere: ergo non datur. ¶ Resp. esse eiusdẽ speciei infimæ, sicuti est uirtus impressa ferro à magnete; cuius ratio est, quia sicut uirtus illa à magnete impressa ferro, per se ordinatur solùm ad trahendũ ferrum ad se; quòd verò à loco inferiori, & ideò per motum localẽ sursum; uel à superiori, & ideò per motum deorsùm, attrahat ferrum, per accidens se habet respectu talis uirtutis, & ideò ex tali motuum diuersitate non sequitur specie distingui. Ita etiam uirtus à proiiciẽte impressa proiecto per se solùm ordinatur ad mouendum localiter proiectum, quòd verò fursùm aut deorsùm moueat, ex libito proiicientis prouenit, qui eodem impulsu, quo impellit deorsùm, potuisset impellere sursùm, si sursùm direxisset proiectum.

18. Dices secundò: ista uirtus uel recipitur in toto lapide; & hoc non, quia uidetur difficile, ut tam citò totum lapidem peruadat: uel recipitur solùm in aliqua eius parte; & hoc neque, quia aliàs non totus lapis moueretur, sed tantùm illa pars: ergo nõ datur. ¶ Resp. recipi in toto lapide, sed magis intensè in partibus proximioribus impellenti; mouetur tamẽ proiectum æquè uelociter, etiam si omnes eius partes nõ habeant æqualem impulsum, quia id, quod mouetur est totum, & iuxtà motum totius æqualitèr mouentur partes.

19 Quæres primò, An motus projectorum saltem iuuetur ab aere? Resp negatiuè, quia si mediũ iuuaret, aqua melius id efficeret, cum sit aere densior; & tamen per aquã difficiliùs mouentur projecta. Dici verò potest, aerẽ iuuare ad hujusmodi motum, non impellendo projectum, sed ei minùs resistendo; quatenus partes ejus, quæ sunt ante projectũ, ex impulsu in projectum concitantur, & commouentur, & sic resiliendo minùs resistunt, & obstant, & consequenter uelocior fiet motus.

20. Quæres secundò, A quo proueniat, motum uiolentum projectorum esse uelociorem uersus mediũ, quàm in principio? Aliqui dicunt, hoc prouenire ex aeris concitatione: nam cùm uersus medium pertingit projectum, plures partes aeris concitatæ sunt; & quia aer iuuat ad hujusmodi motum, ideò quò magis aer concitatur, eò magis iuuat; postea verò quia debilitatur impulsus, non adeò concitatur aer, ideò languescit motus. ¶ Sed hic modus dicendi non placet, quia licèt aer re uera iuuet ad motum, resiliendo, seu nõ tam obstando, non tamen potest esse causa tantæ diversitatis, quanta in medio cursus motus projecti respicitur.

21. Dico igitur, hujus rei causam esse desumendam ex ipso impulsu principaliter, & ab aere minùs principa-

cipaliter. Impulsus enim sic à proiiciente imprimitur, ut in superficialibus partibus, tanquam in proximioribus; intensior imprimatur, in partibus verò remotioribus, remissior: quia virtus limitata agētis creati non potest æqualem effectum producere ad inæqualem distantiam. Postea verò prædictus impulsus successivè intenditur in illis partibus, in quibus à principio erat remissus; & sic fit majoris virtutis ad motum: Cumque etiam ab aere resiliente iuuetur; ex his duobus capitibus sufficiens ratio assignatur, cur motus uiolentus sit uelocior in medio, quā in principio. Posteà verò languescente impulsu, ipse motus tardior euadit.

22. Dices: Si prima pars imprimit sim impulsum in alias, ipse impulsus remittereetur, ex eo quòd superanda illi esset resistentia aliarum partium; & sic parū uel nihil uelocitatis acquireret motus. Resp. quòd licèt talis impulsus agendo repatiatur, non tamen propterea sequitur, nihil, uel parum uelocitatis motū assequuturum esse; nam actio est à uincente, & impulsus quo usque ad finē medii pertingat, in uictoria perseuerat; licèt sine sua iactura non uincat.

23. Quæres tertiò, A quo moveantur projecta quando resiliunt? Cōstat experientia, aliquando projecta resilire, & uersus proiicientem regredi, ut cùm pilam parieti impingimus Hujus motus causā inquirimus. Aliqui dicunt, hujusmodi motum fieri per novum impulsum, qui ab ipso corpore solido, quod percutitur, mobili imprimatur. Rationem assignant, quia nulla alia causa talis motus fingi potest.

24. Conclusio. Causa per se prædicti motus seu resaltus, est proiiciens: corpus verò in quod projectum impegit, est causa per accidens. Ità Laurentius à Sanctissimo Sacramento lib. 8. physic. q. 2. art. 1. Ioannes à S. Th. q. 23. art. 2. diffic. 3. Lerma 7. physic. quęst. 3. nu. 4 & alii Thomistæ. Prob, quia impulsus ille, qui à proiiciente impressus fuit, erat sufficiens deferre corpus illud ulterius: ergo cùm impeditur à pariete, corpus in aliam partem repellet, quovsque duret.

25. Dicitur autem paries causa per accidens talis resaltus, quia cùm pila in pariente impingens, non possit ulterius tendere, & ex alia parte adhuc uigeat impulsus, uersus eam partem tendens, uersus quam directus fuit à proiiciente, inde est, quòd aliò dirigatur, & tendat, per accidens est, & à resistentia, & impedimento ipsius parietis.

26. Et sic patet solutio ad fundamentum contrariæ opinionis; illud autem, quòd dicta opinio supponit, est omnino falsum, quia si daretur novus impulsus, respectu talis impulsus non posset assignari aliqua causa; non enim produceretur per motum localem, quia motus localis non est productiuus, nisi ubi, neq; à pariete, quia paries manet immotus, & caret ui impulsiva. Ad hoc autem ut paries sit causa per accidens, non requiritur uis impellens, sed impediens; nec requiritur quòd sit motus; sed ipso motu directo attactus.

27. Quæres quartò, An mobile quiescat in puncto reflexioris? Resp. negatiuè, loquando de quiete propriè dicta. Tum quia experientia uidemus, pilam magno impetu in parietem proiectam, semper moueri, & nunquàm quiescere. Tùm etiam

etiã quia si quiesceret in puncto reflexionis, sequeretur, graue in aere det neri, & extra suũ centrum quiescere, à nullo detentum: quod dicere est absurdum.

28. Dices: Ibi sunt duo motus, nempè directus & reflexus: sed motus discontinuantur per quietem: ergo in puncto reflexionis datur quies. ¶ Resp. ad discontinuationem motuum sufficere quietem negatiuam, non autem est necessaria quies privatiua, ut patet in descensu canis ab alta Turri, qui in medio motus moritur.

IN LIBRUM OCTAVUM PHYSICORUM.

DISPUTATIO XXIII.

De Æternitate motus, & primo ejus motore.

DUBIUM PRIMUM.

Vtrum creatura aliqua potuerit esse ab æterno?

1. EST omnino certum, omnia de facto incepisse in tempore ut apertè cõstat ex sequẽtibus scripturę locis. Genes. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram.* Psal. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis.* Ioan. 17. *Priusquàm mundus fieret apud te.* Et definitum est in Concil. Lateran. in cap. firmiter de sum. Trinit. ubi dicitur; *certa fide tenendum est, spiritualem, & corporalẽ creaturam de nihilo Deum condidisse ab initio.* Unde non mirum, quòd Aristoteles in hoc errauerit, cùm lumine fidei fuerit destitutus. Eius autem rationes nullius momenti sunt, ideo in solvendis illis non immoror.

2. Id, quod uertitur in dubium, est, an creatura aliqua potuerit esse ab æterno? Super qua difficultate sunt duæ sententiæ; Prima absolutè negat, creaturam aliquam potuisse esse ab æterno. Ita Albertus Magnus in 2. dist. 1. q. 2. Henricus Gandauensis quodlibet. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 17. Toletus 8. physic. q. 2. Noster Stephanus Spinula lib. 3. physic. disp. 9. sect. 4. concl. 2. & alii. Quorum fundamentum est: quia de ratione creaturæ est, ut non sit æterna: quod autem est ab æterno, est æternum: ergo nulla creatura potest esse ab æterno. Prob. major *primò* argumento Theologico, quia SS. Patres colligunt, uerbum esse uerum Deum, quia ab æterno productum est: hæc autem illatio nullius esset efficaciæ, si creatura aliqua posset esse æterna. *Secundò* argumento philosophico, quia quod æternum est, est immutabile: repugnat autem creaturæ immutabilitas: ergo nulla creatura potest esse æterna. Prob. maior, quod est æternum, necesse est ita infinita duratione permanere, sicut ex æternitate fuit; aliàs esset aliquid æternum, finita tantùm duratione permanens, quæ est manifesta implicatio contradictionis: atqui quod ex necessitate permanet eodem modo, & in eadem dispositione per infinitam durationem, immutabile est: ergo quod est æternum, immutabile est.

3. Confirmatur, quia quælibet creatura debet esse prius sub nõ esse, quàm sub esse: sed quod habet esse ab æterno, non potest præsupponi sub non esse: ergo nulla creatura potest esse ab æterno. Prob maior, quia quælibet creatura uel producitur per generationem, uel per creationem: si

si primum, debet præsupponi sub priuatione: si secundum, sub nihilo: ergo semper debet esse prius sub non esse, quàm sub esse.

4. Confirmatur secundò, quia si Deus aliquid creasset ab æterno, necessariò id condidisset, non liberè: sed impossibile est, fieri à Deo aliquid ad extra necessariò, & non liberè: ergo impossibile fuit, Deum aliquid ab æterno creare. Prob maior quia si Deus eam rem potuisset non creare, uel potuisset ante, uel post, uel dum crearet? Non ante, quia ante creationem æternam nulla potest esse duratio: Non post, quia ad præteritum nulla datur potentia: Nec denique dum crearet, quia non poterat simul creare, & non creare: ergo.

5. Secūda verò sententia affirmat potuisse aliquid ab æterno creari. Ità S.Th. 1. part. q. 46. art. 2. & 2. cōt. gent. cap. 46. alijsque in locis. Capreolus in 2. dist. 1. q. 1. art. 3. Caiet. loc. cit. primæ partis, Ferrariensis hic. q. 3. & alii communitèr. Et hæc est tenenda, cuius ratio fundamentalis est: quia quidquid nō inuoluit contradictionem, potuit à Deo fieri: sed aliquid ab æterno creari, non inuoluit contradictionem: ergo. Prob. minor quia neque ex parte Dei creantis, neque rei creatæ, neque ipsius creationis ab æterno, ulla est repugnantia: Quod ità ostēditur: primò quòd nō sit repugnantia ex parte Dei, quia non minor est Dei uirtus ad creandum, quàm Solis ad illuminandum: at si ex æternitate Sol esset, ex æternitate illuminasset, ut docet D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 1. Ergo cū Deus æternus sit, ab æterno creare potuit. Deindè quòd nō obstet ex parte rei creatæ, quia de ratione rei creatę solùm est, ut non sit à se, & quòd non habeat absolutam necessitatem essēdi: atqui utrumq; haberet, etiam si ex æternitate fieret, quia & ab alio effectiuè manaret, & ex libera eius determinatione penderet: ergo. Deniquè quòd non repugnet ex parte creationis, quia creatio solū definitur quòd sit productio ex nihilo: ly autèm *ex nihilo*, uel significat carentiam causę materialis, & ex hac parte nulla est repugnantia, quia creatio etiam si esset æterna, potuit esse independens à causa materiali. Vel denotat habitudinem à termino *à quo*, qui debet esse simplicitèr nonens, & sic denotat tantùm ordinem naturæ, non durationis; Hic autem naturæ ordo in hoc tantùm consistit, quòd creatura de se nullum omnino esse habet, nisi ab alio communicetur per creationem, & ità ex se est nihil. Atque hac ratione etiam si ab æterno crearetur, ex nihilo crearetur, quia ex se nō habente esse, fit habens esse ab alio per creationem: Ergo.

6. Dices: quidquid fuerit creatum, eo ipso oportet illud esse posterius Deo secundùm durationem: sed si aliquid esset ab æterno, non esset Deo posterius in duratione: ergo implicat aliquid creari ab ęterno. Maior probatur; prius Deus debet esse in se, quā aliquid extra se causet: ergo omne causatum à Deo, debet præsupponere Deum, & esse Deo posterius in duratione: sed omne creatum causatur à Deo: ergo omne creatum debet esse Deo posterius secundùm durationem. ¶ Respōdeo negando maiorem; causa enim nō oportet, quòd sit prior duratione suo effectu, sed sufficit quòd sit prior natura. Sicuti enim in eodem instanti durationis, quo producitur Sol, illuminat, & in eo-

codē inſtanti, quo pes animalis produceretur in puluere, imprimeret in puluere ueſtigiū: undè ſi Sol ab ęterno produceretur, ab æterno illuminaret; & ſi ab æterno pes animalis in puluere produceretur, ab ęterno imprimeret in puluere ueſtigium; & ſolùm huiuſmodi cauſę prioritate naturæ præcederent ſuos effectus: ita & Deus potuit aliquid ab æterno producere, illudque prioritate ſolùm naturæ, & non duratione præcedere.

7. Ad fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ nego maiorem, & ad primam probationem dico, Patres loqui ex ſuppoſitione fidei, quæ docet, nullam creaturam eſſe ab æterno creatam: ex quo rectè colligunt, ſi Verbum æternum eſt, creaturam nō eſſe. Ad ſecundam probationem reſpondeo, Quod eſt ab intrinſeco æternum, eſſe ab intrinſeco immutabile. Quod verò eſt ab extinſeco factum in æternitate, non oportere ut ab intrinſeco ſit immutabile, ſed ſatis eſſe ſi pro ipſa æternitate, uel productione infinita, quę in illa imaginatur, immutatum maneat. Repugnat autem creaturæ, quòd ab intrinſeco ſit æterna. ¶ Ad primam confirmationem ſolutio patet ex dictis. Ad ſecundam verò reſpondetur, quòd Deus liberè crearet ab ęterno, etiam dum actu crearet, quia poterat non creare abſolutè, licèt ex ſuppoſitione quòd creat, non ſtet non creare. Et quando dicitur, quòd antecedenter ad creationem non poteſt non creare, diſtinguo, antecedentia durationis concedo, antecedentia naturæ nego.

DUBIUM SECUNDUM.

Vtrum motus potuerit eſſe ab ęterno?

38. ID, quod à me dictum fuerit de motu, de qualibet alia rē ſucceſſiua dictum uolo, cùm in omnibus æqua ratio ſit. Eſt autem triplex ſententia; Prima ſine ulla diſtinctione aſſerit, motum potuiſſe eſſe ab æterno. Ita Complutenſes 8. phyſic. diſp. 29. q. 4. Philippus à Sanctiſſima Trinitate q. 29. art. 4: Lerma quæſt. 3. Lezard. q. ult. art. 4. Mailhat. lib. 1. de Cęlo diſp. 1. ſect. 1. §. unic. & alii apud ipſos, licèt plures eorum quos ipſi citant, non loquātur niſi de ſolo motu circulari. Probant iſti Auctores hanc ſuam ſentētiam primò auctoritate S. Thomæ, deinde ratione. Argumentum deſumptum ab auctoritate eſt; quia D. Th. in 2. diſt. 1. q 1. art. 5 abſolutè docet, poſſibilem eſſe mundum ab æterno. Nomine autem mundi ſecundùm communem hominū vsū ſignificatur rerum omnium creatarū uniuerſitas: ergo per D. Thomam, tàm res permanentes, quàm ſucceſſiuę potuerunt eſſe ab ęterno. ¶ Cōfirmatur, quia D. Th. 1. part. q. 46. art. 2. & alibi, afferens rationes eorum, qui contra Ariſtotelem uolunt demonſtrare, mundum non eſſe ab æterno, ſoluit eas, & oſtendit non repugnare, quòd mundus ab æterno ſit: ergo in eo ſenſu admittit eſſe poſſibilem mundum ab æterno, quo illum poſuit Ariſtoteles: Ariſtoteles autem poſuit cùm motu: ergo ſentit D. Thomas motum poſſe eſſe ab æterno.

Argumentum verò deſumptū à ratione eſt: quia nulla apparet repugnantia, quòd motus, aut tempus

fuerit ab æterno: at id, quod nullam dicit repugnantiam, potest à Deo fieri: ergo motus, & tempus potuerunt esse ab ęterno. Major probatur: si aliqua appareret repugnantia, maximè esset, quia successiua esse debēt in continuo fluxu: atqui hic continuus fluxus non repugnat cum ęternitate, ut patet in tempore immaginario, quod concipimus fluxisse ab æterno: ergo.

10. Secunda verò sententia nō ita universalis, tantùm de motu circulari concedit potuisse esse ab ęterno. Ita Capreolus in 2. dist. 1. q. 1. Herueus quodlib. 9. q. 3. & ferè omnes auctores, qui à Patribus Complutēsibus citantur pro sua sententia, solū enim loquuntur de motu circulari. Fundamentum hujus sententiæ est, quia motus, qui in circulū fit, nō habet principium: ergo potest esse ab æterno. Et confirmatur, quia si Cęlū, & intelligentia motrix ab æterno extitissent (quod possibile esse, omnes qui ęternitatem mundi admittunt, concedunt) uel Cęlum ab intelligētia moveretur, uel quiesceret? si moveretur, habetur intentum. Si quiesceret, cū quies sit priuatio motus in subjecto apto moueri; sicuti Celum ab æterno quiesceret, ita, & moueri posset. Possibilis igitur est motus circularis ab æterno.

11. Tertia sententia negat, Possibilitatem utriusque motus ab ęterno. Quam tenent Durandus in 2. dist. 1. q. 3. Suarez tom. 1. met. disp. 20. sect. 6. num. 16. Conimbicenses 8. physic. q. 7. art. 2. & 4. & ex Thomistis Bannez. 1. par. q. 46. artic. 2. concl 2. Soto 8. physic q. 2. concl. 3. Ioannes à S. Th q. 24. art. 2. Manca q. vnic. dub. unic. concl 3. & alij, & ego ęxistimo ueriorem.

12. Dico igitur primò, Motum rectum non potuisse esse ab æterno. Assertionem hanc adeo certam ęxistimant aliqui, ut dicant nullum auctorem alicujus nominis de ea dubitasse. Pro ratione autem fundamētali suppono primò, corruptionem esse impossibilem ab æterno, & ratio est, quia æternum nihil habet prius se: corruptio autem habet aliquid prius se, scilicet productionem illius rei, quę corrumpitur: ergo nulla corruptio potest esse ab æterno. Suppono secundò, rem ab æterno factā, durare infinito tempore, quia repugnat, aliquid ab æterno esse, & per tempus finitum dumtaxat durare, siquidem omne finitum tempus principio, & fine clauditur; æternū verò omne principium excludit.

13 His positis probatur conclusio ratione fundamentali desumpta ex natura successiui. Implicat, id, quod includit prius, & posterius, esse ab æterno: atqui motus rectus, cum sit successiuus, includit prius, & posterius: ergo non potuit ab ęterno produci. Probatur major; id, quod habet prius, & posterius, non potest esse ab æterno quoad partem posteriorem, cum illa præsupponat aliam, æternum verò nihil prius pręsupponere debet; nec quoad partem priorem, quia si hæc esset ab æterno, deberet durare per infinitum tempus: ergo toto illo tempore nō esset successio partium, & consequenter neq; motus, nullo ergo modo motus potest esse ab ęterno.

14. Dico secundò, Neque motum circularem potuisse esse ab ęterno. Prob. duplici ratione, *Primò*, quia si motus circularis Cęli potuisset esse ab ęterno, fuissent ab ęterno anni, menses, hebdomadę, dies, & horę: sed

sed hoc implicat : ergo. Sequela majoris est euidens, quia tempora à motu circulari Cœli desumuntur. Minor verò probatur; quia anni supponunt menses; menses hebdomadas hebdomadę dies, & dies horas : ergo nullum eorum potest esse ab ęterno; quod enim ab ęterno est, non supponit aliquid prius. *Secundò*, quia si motus circularis esse posset ab ęterno, non repugnaret dari infinitum in actu: atqui in sententia S. Thomę hoc non est admittendum, ut supra uidimus: ergo. Sequela majoris probatur; quia cum ex positione illius motus ab ęterno essent infiniti dies, posset quolibet die creari unus Angelus, aut una stella, & cum hęc sint natura sua incorruptibilia, nunc essent simul existentes infiniti Angeli, & infinitę stellę.

15 Occurrit Lezardus, quòd si quolibet anno, uel die Deus Angelum produxisset, non tamen daretur infinitum in actu, quia ubi est ultimum, ibi non est infinitum. Sed iste auctor non loquitur consequenter, nam ipse art. 5. ejusdem quęst cōcl. 1. dicit, generationes humanas nō potuisse esse ab ęterno, quia si essent ab ęterno, daretur infinitum in actu, scilicet infinitę animę immortales. Neque id, quod dicit in sua responsione soluit argumentum, quia licèt detur ultimum, non tamen datur primum, & sic ex parte antè daretur infinitum.

16 Occurrunt secundò alii, quòd potest Deus solùm divisiuè producere quolibet die Angelum, nō autē collectiuè in omnibus diebus. Sed hęc solutio est prorsus inintelligibilis; nam si quolibet die producit Angelum, & dies sunt infiniti, & Angeli perseuerant, infiniti erunt collectiuè, nam illa infinitas collectiuè sequitur numerationem dierum.

17. Et tertiò respondent alii, qòud si Deus quolibet die produceret unū Angelum, teneretur aliū annihilare. Leuis satis responsio, undè enim cōstat, teneri Deum ad annihilandum? aut quid conducit annihilatio unius Angeli ad productionem alterius? Solùm uidetur hoc fingi ad effugiēdum inconveniens, quod ex illa sententia sequitur de infinito.

18. Restat, ut respondeamus fundamentis utriusq; oppositę sententię. Et ad primum primę desumptū ex auctoritate S. Thomę respondeo, quòd intentus S Doctoris solū fuit ostendere, potuisse mundum esse ab ęterno, secundùm substantiam, & secundùm aliquas creaturas, non autē secundùm omnes, ut benè explicant D. Thomam ejus discipuli, pręsertim Bannez, Ioannes à S. Thoma, & Frāciscus Manca locis citatis. Quod autem iste fuerit intentus S. Thomę patet, tùm quia ipse loco citato ex p. pº in solut. ad ult. expressè asserit, hoc solùm intendere. Tùm etiam quia pluribus in locis negat, generationes humanas esse potuisse ab ęterno, & tamen in mundo continentur predictę generationes. ¶ Ad secūdum patet ex dictis; & ad id, quod dicitur de tempore immaginario, respondeo, quòd immaginatio nostra fallitur, non percipiens rem sicuti est in se.

19. Ad primum secundę sententię respondetur, quòd licèt motus circularis careat principio ex parte magnitudinis, in qua fit, non tamen ex parte durationis, quia oportet partem motus transire, & aliam succedere, & sic quelibet pars debet finitè

durare; si enim duraret infinitè, pro tunc motus non esset, nec successio. ¶ Ad secundū dico, in eo casu Cęlum non fuisse quieturum priuatiuè, sed negatiuè, quia non habuisset aptitudinem ad subeundum ab ęterno motum. Nec refert si dicas, quòd aptitudo ad motum sit affectio entis naturalis. Nam hęc instantia solùm probat, quòd aptitudo ad motum conveniat Cœlo ex æternitate, non tamen ei competit, ut ex æternitate ad actum reduci ualeat ob repugnantiam, quam æternitas motus inuoluit.

DUBIUM TERTIUM.

Vtrum omnes res permanentes potuerint esse ab æterno?

20. DVrandus loc. cit. q. 2. putat, solùm res permanentes, quę interitu uacant, ut Angeli, & corpora Cęlestia, potuisse ab ęterno à Deo creari; non autem res permanentes, quę sunt obnoxię corruptioni. Cujus fundamentum est: quia res corruptibiles non possunt infinito tempore durare: res autem ab æterno facta, necesse est, ut infinito tempore durет.

21. Sed contraria sententia, quæ communis est, est longè probabilior. Quia id non implicat, neq; ex parte Dei creantis, neq; ex parte creaturę, neque ex parte creationis: ergo ex nullo capite. ¶ Ad argumentū autē respōdeo primò, illud ad summum probare, rē corruptibilem non posse ab æterno creari, & naturæ suæ relinqui: non tamen absolutè repugnare hujusmodi res creari ab æterno, quia potuit Deus illas non relinquere suę naturæ, sed infinito tempore eas cōservare. ¶ Resp. secundò, res corruptibiles etiam posse infinito tempore durare suæ naturæ relictas, si ab ęterno crearentur, quia nihil possent ex æternitate pati à cōtrariis agentibus: unumquodque autem corrumpitur à suo contrario, & nulla res interimit seipsam. Atque ita res corruptibiles ab æterno creatæ, & suæ naturæ relictæ, idest nulla adhibita speciali protectione Dei, præter generalem influxum, infinito tempore durarent.

22. Ex hac doctrina infero, quòd si ignis, & stuppa ex æternitate creata essent propinqua, non posset ignis in æternitate agere in stuppam; quia si ignis ageret in stuppam, uel simul & indivisibili actione illam corrumperet, & in se commutaret, uel successiuè alteraret. Primū dici nōn potest, quia si ignis æternus indivisibili actione statim generaret alium ignē, tàm ęternus esset ignis genitus sicut generans: ut autē generetur ex stuppa, necesse est, stuppam aliquando extitisse: ergo in æternitate erunt simul stuppa, & ignis genitus ex stuppa: quod planè repugnat. Neq; potest dici secundum, quia alteratio cum sit successiua, non potest esse ab æterno. Et confirmatur argumento facto, nam alteratio est à contrario, & per eam remouetur contrarium à dispositione præexistente in ipso: ergo si alteratio est æterna, etiam passum existens cū dispositione contraria illi alterationi est æternum: ergo in ipsa æternitate passum simul habuit illam dispositionem, & fuit illa priuatum per contrariam alterationem, quæ est aperta repugnantia.

23. Dices: Hæc sunt præternaturalia rebus corruptibilibus, & agētibus ac patientibus: ergo iam non

relinquuntur huiusmodi res suæ naturæ. Resp. concedendo, creationem æternam non esse consentaneam naturis harum rerum; quia unaquæque res natura sua postulat existere in eo statu, in quo possit actiones suas exercere modo naturæ suæ accommodato. Ea tamen posita, omnia hęc naturali necessitate sequuntur sine speciali protectione Dei præter generalem influxum, ut ostensum est.

¶ Ex dictis patet resolutio illius quęstionis, an generatio substantialis potuerit esse ab æterno? Nam juxta dicta si generatio fit prævia alteratione, & hæc non potest esse ab ęterno, nec generatio poterit esse ab æterno.

DUBIUM QUARTUM.

Utrum ex motu ueniatur in cognitionem primi motoris, & attributorum ejus?

24. Conclusio est affirmativa, quã expreßè docet Aristoteles hîc tex. 28. S. Th ibidem, & 3. contr. gent. c. 13. & 1. p. q. 2 art. 1. & in compendio Theolog. cap. 3. & tenent communiter DD. Probatur sequenti discursu: Omne quod mouetur, ab alio movetur: sed in moventibus, & motis per se subordinatis non potest dari processus in infinitum: ergo deveniendum est ad primũ movens immobile, quod à nullo moveatur, & quod immotum manens cuncta alia moveat. Major jam probata est præc. disp. dub. 1. Minor verò licèt negetur ab Atheis, qui putant, processum in infinitum non esse impossibile, eo quòd (inquiunt) si darentur generationes hominum, uel leonum ab æterno, in eis deberet dari prædictus processus; nihilominus tamen immeritò negatur; nam quamvis in causis per accidens subordinatis non repugnet processus in infinitum, repugnat verò in causis per se, & essentialiter subordinatis. Ratio disparitatis est: quia in causis per accidens subordinatis ultimum movens non debet expectare motũ, & influxum causarum priorum, nec ab illis moueri, aut applicari ad agendum, v. g. quia leo generans per se, & immediatè in sua actione non dependet ab alio, à quo est genitus, nec ei per se subordinatur, sed per accidens tantùm, & mediatè, quatenus ab illo recepit naturam, & potentiã generatiuam: ideo non repugnat dari processum in infinitũ in generationibus leonum, si prædictæ generationes ab æterno esse potuissent. In moventibus autem per se subordinatis hoc omnino repugnat, quia in illis ultimũ movens non movet, nisi motum, & applicatum à priori, & istud ab alio, & sic deinceps. Unde cum infinitum non sit pertransibile, si in illis daretur processus in infinitum, ultimum movens nunquam moveret; ut constat manifestè exemplo Horologii, in quo si essent infinitæ rotæ, & quælibet dependeret in suo motu ab alia superiori, nec posset moveri nisi dependenter ab illa prius movente; nulla esset quæ posset ultimò moveri, & pulsare horas: quia nunquam posset deveniri ad primam, quæ cæteras omnes moveret, cum infinita illa multitudo rotarum nunquam esset pertransibilis.

25. Ostenso autem, quòd debet dari unum primum mouens immobile, consecutiuè deducuntur plura attributa propria divinitatis. Nam in primis debet esse actus purus,

quia

quia debet carere omni potentialitate: siquidem in tantùm aliquid est mobile, in quantùm est in potentia: ergo quod nullo modo est mobile, nullo modo est in potentia, sed actus purus. Illud autem, quod est actus purus, carens omni potentialitate, de necessitate omnem perfectionem imaginabilem prehabere debet: quia si aliqua perfectio illi deesset, esset in potentia ad illam: ergo etiam sequitur, primum motorem penitùs immobilem, debere esse id, quo nihil majus, aut melius excogitari potest. Tertiò sequitur, primum motorem omnino immobilem debere esse ens increatum, necessarium, æternum, immensum, & intelligens. Probatur quoad singulas partes. Et in primis quòd debeat esse increatũ, euidens est. Si enim esset creatum, esset mutabile, siquidem omne creatum mutabile est saltem de non esse ad esse, & de esse ad non esse. Quòd etiam illud sit necessarium, constat: ens enim omninò immutabile, & incapax omnis mutationis, non potest aliter se habere: sed quod non potest aliter se habere, est necessarium: ergo ens omnino immutabile, necessarium est. Item cum immutabilitas sit ratio à priori æternitatis, ens omnino immutabile debet esse æternum. Similiter cum mouens, & motum debeant esse simul: primus motor immobilis, cum sit causa omniũ motuum aliarum rerum, debet esse præsens omnibus rebus, & consequenter immensus. Denique cum primus motor debeat cetera omnia movere, & dirigere in suos fines, debet illos cognoscere, ac proinde esse intelligens. Ex motus igitur notitia optimè uenitur in cognitionem primi motoris, & attributorum ejus. Et hæc dicta sufficiant pro hac prima parte Philosophiæ.



PARS

PARS SECVNDA PHILOSOPHIÆ NATVRALIS DE QVATVOR LIBRIS DE COELO.

PROOEMIVM.

1. PErspicuum est, libros istos de Cælo esse partem quandam totius philosophiæ naturalis; Etenim cum ea versetur in explicanda natura entis mobilis vniuersalissimi, & libri isti partem eiusdem entis mobilis explicandam sibi assumant, iure optimo partem eiusdem scientiæ appellantur; non quidem primam, quia prima consideratio entis mobilis ea esse debuit, quæ circa primum, quod de eo occurrit considerandum versatur; hoc autem non est peculiare aliquod ens mobile, sed illud vt sic, cuius notitiam tradiderunt octo libri physicorum; sed secundam, ut ex proprijs subiecti, proprię ve materiæ circa quam versantur, constabit.

2. Tres autem extant opiniones de subiecto huius operis. Aliqui enim volunt, esse corpus cæleste: quod probant ex inscriptione, nam inscribitur de Cælo. Verùm hæc opinio reijcienda est: quia libri isti agunt non solùm de corpore cælesti, sed etiam de mundo, & elementis: cum igitur subiectum adæquatum comprehendat omnia, quæ tractantur in scientia, corpus cæleste non potest esse adæquatum subiectum horum librorum.

3. Secunda sententia asserit, subiectum huius operis esse corpus simplex ut mobile ad ubi; sub nomine autem corporis simplicis comprehendit quatuor elementa, & Cælum; hæc n. omnia sunt corpora simplicia, distincta à corporibus mixtis. Fundamentum huius sententiæ est: quia consideratio corporis simplicis, in quantum mobile est ad ubi, per se pertinet ad naturalem philosophiam: sed in nulla alia parte, præter istam, hoc modo consideratur: ergo per se pertinet ad hanc; ac proinde erit subiectum eius adæquatum. Hæc etiam opinio est falsa, & eodem argumento confutatur: nam Aristoteles in hoc opere non solùm agit de Cælo, & elementis, verùm etiam de mundo: ergo corpus simplex, ut comprehendit Cælum, & elementa, non potest esse subiectum adæquatum huius scientiæ.

4. Quarè his relictis vera opinio docet, subiectum adequatum horum librorum esse mundum, seu vniuersum, ipsa verò corpora cælestia, & elementa consi-

considerari precise vt partes. Et probatur; quia subiectum est, cuius proprietates considerantur in scientia: sed in hoc opere Aristoteles considerat proprietates mundi, seu vniuersi, vt legenti hos libros constat: ergo mundus seu vniuersum est subiectum adæquatum huius operis, corpora verò simplicia precise vt partes eius considerantur ab illo.

5. Dices: si totum vniuersum esset subiectum huius operis, Aristoteles deberet agere in his libris de omnibus partibus illius, alioquin non poterit eius naturam explicare, cum completa cognitio totius dependeat ex cognitione omnium partium: sed constat, non de omnibus partibus vniuersi agere, sed solùm de quinque corporibus simplicibus, videlicet elementis, & Cœlo: ergo non vniuersum, sed corpus simplex erit subiectum, &c. ¶ Resp. negando sequelam maioris; ad cuius probationem dico, quòd non vtcunque mundus est obiectum huius tractatus, sed quà ratione omnes eius partes conueniunt in vna ratione entis locomobilis, seu quatenus certam in vnierso sedem sibi vendicant aut per motum localem acquirere possunt. Vndè quia mixta ad eosdem situs elementorum pertinent, & iuxta naturam elementi in eis prædominantis mouentur, vt quæ terrestria sunt, ad situm terræ; quæ aerea, ad situm aeris; ideo non oportuit, quòd Aristoteles de eis seorsim ageret, sed ad considerationem simplicium reduxit.

6. Satisfit fundamentis aliarum opinionum. Et fundamentum primæ opinionis supponit falsum, scilicet, quòd inscriptio operis vel scientiæ continere debeat omne illud, quod per se consideratur in tali scientia, vel quod à tota materia accipiatur: sæpe enim ab vna aliqua parte principaliori accipi solet: & ita accipitur inscriptio huius operis à Cælo, tanquam à principaliori parte vniuersi. Fundamentum verò secundæ sententiæ solùm probat, quòd simplicia corpora in quantum mobilia ad vbi, per se considerentur in hoc opere, quia hoc modo sumpta, sunt partes vniuersi. Ex quo non habetur, quòd sint obiectum eius, sed solùm quòd sint partes obiecti.

IN PRIMVM LIBRVM DE COELO

DISPVTATIO I.

DE MVNDO.

1. QVadrifariam diuiditur Mundus, nempe in angelicum, elementarem, magnum, & paruum. Mundus angelicus comprehendit omnes intelligẽtias, estque spiritualis, & ideo ab alijs vocatur intellectualis: de quo nõ agimus in presẽti, cũ non ad Philosophos, sed Theologos pertineat. Mundus elemẽtaris est, qui componitur ex quatuor elementis, & corporibus cœlestibus, quæ etiam elementa vocat Aristoteles lib. 3. huius operis cap. 1. tex. 1. & alibi. Mundus magnus, qui propriè vocatur vniuersum, est tota collectio creaturarũ. Et tandem Mundus paruus est homo. Dicitur autem homo mundus paruus, quia in se cõtinet possessionem omnium naturarum, & summam totius vniuersi. Est enim in illo corpus mixtum ex elementis, vita plantarum, sensus brutarum animantium, participatio angelicæ mentis propter uim intelligendi; ac denique effigies impressa diui-

diuinitatis, vt ait Gregorius Magnus homil. 29. in Euangelia. In præsenti solũ agimus de mundo magno, qui ab Arist. lib. de mũd. ad Alex. describitur: *Rerũ omniũ ordo, pulcherrimaq; descriptio, quæ à Deo, & per Deum conseruantur.*

DVBIVM PRIMVM.

An sit tantùm vnus mundus? Et plures sint possibiles?

2. EX antiquis Philosophis aliqui dixerunt plures esse mundos; alii innumerabiles; & alii infinitos, ut inter alios Anaxarchus, quẽ (vt Plutarcus retulit in libro de trãquillitate animi) cũ Alexander Macedo de mundorum infinitate differentẽ audiuisset, illachrimasse fertur, rogantibusque amicis, num aliquid ei dignum lachrimis accidisset? An indignum est, inquit, nos flere, si cum infiniti mundi esse probentur, nondum vnius domini sumus?

3. Prima conclusio, De facto vnus tantùm datur mundus. Hęc conclusio non potest rationibus physicis efficaciter demonstrari, cùm, vt statim dicam, Deus potuerit pro libito plures mundos procreare; nihilominus congruenter ostenditur, cùm nullũ prorsus indicium inueniri possit, ex quo deducatur, plures esse mundos. Et est valdè consona nostræ fidei; quia sacra pagina semper de mundo in singulari loquitur; vt Ioan. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Matth. & Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Genes. 1. *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona;* & postquam omnia fecit, quæ sunt in hoc mundo, cessare dicitur ab vniuerso opere, quod patrauerat: Confirmatur, quia ex fide constat, omnes homines infectos fuisse peccato Adami: ergo admitti non possunt alij homines, præter eos, quos mundus iste continet: hi enim si darentur, essent à peccato originali immunes, siquidem non procedentes ab Adamo: ergo nec admitti potest alter mundus preter istum.

4. Secunda conclusio. Possibiles sunt plures mundi. Ratio est, quia nec repugnat ex parte diuinæ omnipotentiæ, quæ est infinita; nec ex parte ipsius effectus, cum ex eo nulla sequatur implicantia, vt ex solutione argumentorum patebit: ergo ex nullo capite: ac proindè plures mundi sunt possibiles per ordinem ad diuinam omnipotentiam.

5. Ob. 1. Nihil inordinatum à Deo fieri potest: sed si essent plures mundi, daretur magna naturæ inordinatio, & vnus esset supra alium: ergo impossibile est, fieri à Deo plures mundos. 5 Resp. quòd si plures mundi à Deo crearentur, nihil in eis inordinatum erit; quia terra in quocumque mundo constituta per innatam propensionem tenderet ad centrum illius mundi, & ibi quiesceret, nec ad centrum alterius mundi transineare conaretur. Quod pari modo de cæteris elementis comparatione suorum locorum naturalium asserẽdum est. Sicut enim elementa in hoc mundo determinatas sedes habent, ita & in alio respectu illius determinatas sedes obtinerent. Ad illud autem, quod secundo loco adducitur in minori, dico denominationẽ superi, & inferi loci desumi ex ijs, quæ in eiusdem mundi ambitu continentur: ac proinde creatis à Deo pluribus mundis; neque hunc supra illum, neque illum supra hunc, neq;

terram huius supra illius Cœlum; neque Cœlum huius infra terram illius fuisse collocanda.

6. Ob. 2. Si darentur plures mundi, vel mundi isti essent sine suis motoribus, vel dandi essent plures primi motores: vnum vel alterum dicatur, est absurdum: ergo plures mundi non sunt possibiles. ¶ Resp. positis pluribus mundis, in quolibet dandum esse vnum primum mobile, vnumque primum motorem, & vnicuique esse applicandam suam peculiarem intelligentiam effectricē primi motus. Ex hoc tamen non sequitur, dari tunc plures causas simpliciter primas, aut plures primos motores vniuersi: quia vnus idemque naturæ creator Deus sua immensitate mundos omnes impleret, suaque prouidentia gubernaret.

7. Ob. 3. Vniuersum est illud, quod suo ambitu cōplectitur omnia: ergo vniuersum non potest esse nisi vnum. ¶ Resp. vniuersum bifariam accipi: vno, pro complexu omnium rerum creatarum existentium; quo modo vnum dumtaxat vniuersum dari potest, cujus partes forent plures mundi si existerent. Altero pro ijs tantùm rebus, ex quibus vnus aliquis mundus coagmentatur; quo pacto non repugnat, plures rerum vniuersitates, tanquam eiusdem imperij prouincias, à Deo condi.

8. Quæres, quomodo prædicti mundi, si à Deo crearentur, differrent inter se? Respondetur, quòd si omnes seorsim sumpti haberent ea omnia, quæ habet alius, & in omnibus eundem seruarent ordinem; solùm differrent numero. Ratio est, quia quoad essentialia conuenirent; & solùm penes materiam distinguerentur. Si verò prædicti mundi non haberent ea omnia, quæ alius habet, nec eundem seruarent ordinem, differrent specie, quia non solùm in materia, verùm etiam in forma discreparent.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum mundus sit perfectus?

9. NOTO, perfectum sumi posse dupliciter: vno modo *simpliciter*; & est illud, cui nihil deficit, nec deficere potest, & quo perfectius aliquid esse nequeat. Altero modo *secundùm quid*, id est, non absolutè, sed cum addito, in aliquo scilicet genere seu ordine; vt cum dicimus, Petrus est perfectus homo, hæc est perfecta domus. Est omnino certum, mundum non esse perfectum primo modo, quia sic perfectum absolutè, & simpliciter soli Deo conuenit, & nulli creaturæ. Quare titulus præsentis dubij intelligitur de perfecto secundo modo.

10. Conclusio. Mundus in suo genere est perfectus. Ita communiter DD. & patet ex illo Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; id est, vidit Deus vniuersum, quod fecerat, esse in suo ordine valde perfectum; & propterea Latini illud *mundū* appellarūt, quia nihil eo est mundius, & perfectius.

11. Probatur ratione: Illud dicitur perfectum in suo genere, cui nihil perfectionis deest, debitæ suæ naturæ; vt homo, & Angelus perfecti dicuntur, si nihil debitum naturæ humanæ, & angelicę illis deest: at qui vniuerso nihil suæ naturę debitum deest; vt patet, discurrendo per singula genera rerum, omnes enim res, quæ in mundo sunt, habent suas essentias, suasq; propietates, & acciden-

dentia: ergo vniuersum in suo genere est perfectum.

12. Confirmatur, & explicatur magis hæc ratio. Nam vniuersum continet omnes gradus entium, saltem primarios, & generales, vt lib. 1. cont. gent. cap. 85. & lib. 3 cap. 71. ostendit D. Thomas. Comprehendit enim in se summa rerum genera, in quæ primò ens distribuitur: item substantias corporeas, & incorporeas: corpora mixta, & simplicia: animantes ratione prædictas, & ratione carentes: formas materiæ affixas, & à materia liberas: aliaque similia genera.

13. Insuper cum in natura vnius speciei gradus omnes, & perfectiones includi nequeant, oportuit multas esse species, per quas huiusmodi gradus, & perfectiones dispergantur, quarum vna alteram dignitate vincat; quæ quidem varietas, & inequalitas passim in mundo occurrit, in quo species per quosdam veluti gradus ascendunt: nam mixta sunt perfectiora elementis, plantæ metallis, bruta plantis, homines brutis, & substantiæ omnino immateriales hominibus.

14. Præterea, sub his rerum generibus magna varietas, & discretio est. Etenim ex elementis quædam sunt leuia, alia grauia: quædam supera, alia infera: quædam calida, alia frigida: quædam sicca, alia humida. In metallis alia obscura, alia nitentia; alia pretiosa, alia vilia. In plantis, & arboribus, aliæ vrbanæ, aliæ siluestres; aliæ aquatiles, aliæ terrestres: aliæ humi repæ, aliæ sublimes; aliæ florigeræ, & aliæ sine floribus. In animalibus, alia terrestria, alia aquatilia, & alia volatilia: alia quadrupeda, alia bipeda, & alia reptilia, & in his varia discrimina. Et tandem in substantijs omnino spiritualibus, & à materia expertibus sua adest distinctio, & varietas, tùm ex specifica naturarum differentia, tùm ex triplici hierarchiarum cætu, nouem in se ordines complectente.

15. Elucet denique vniuersi perfectio in ordine partium, quibus cõstat. Est enim *ordo* (vt Augustinus 19. de ciuit. Dei cap. 13. definit) *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*. Quam dispositionem esse in mundi partibus, presertim grandioribus, vt sunt corpora cœlestia, & elementa, quis non videt? optimum namque situm ac sedem cuiusque naturæ congruentem sortitæ sunt, adeout vnaquæque pars in suo loco, vt in patria, consistens, mutationem non exposcat.

16. Est autem præter hunc ordinem situs, alius ordo, mirificè commendans perfectionem rerum creatarum: nam omnes vniuersi partes ad vnum Deum ordinantur, vt ad causam efficientem, exemplar, & finẽ vltimum. Item præter hunc ordinẽ res creatæ habent alium inter se, quatenus aliæ alijs adiuuaminis sunt: siquidem inferiora corpora per superiora reguntur, superiora à substantijs immaterialibus mouentur, & inter has, quæ sublimiores sunt, alijs diuina mysteria enunciant.

17. Ob. 1. In vniuerso multa reperiuntur indecora, & fæda; ergo nõ est perfectum. Consequentia patet, quia perfectio totius dependet ex perfectione partium. Antecedens verò probatur: In vniuerso reperiũtur monstra: multa scelera, & mala culpæ: item antipathia, & repugnãtia inter aliquas ipsarum rerum, vnde in elementis est contrarietas, & disi-

dissidium ob contrarias qualitates, quibus constat: ergo non omnia, quæ sunt in mundo, sunt perfecta.

18. Resp. monstra non omnino pulchritudine carere, quia non deficiuntur in essentiali perfectione: & licèt deformitatem aliquam accidẽtalem habeant, faciunt tamen ad perfectionem vniuersi, quateuns alia ex eorum collatione pulchriora apparent. Similiter scelera, & mala culpę quamuis in se turpia sint, & difformia, conferunt tamen ad mundi ornamentum: quatenus ex eorum cõparatione splendor virtutum magis enitet, & bona eminentius commẽdantur, & magis placent. Ad id verò, quod de pugna rerum inter se dissidentium adducitur, dico, huiusmodi pugnam mundo pulchritudinem nõ adimere, nam res, quæ ex vna parte dissident, ædem ex altera cõueniunt, & mutuo inter se fędere copulantur; atque adeò secundùm hanc rationẽ ordinis tranquillitatẽ seruant. Rursus, quia contentio, & pugna inter contraria physica, esto tranquillitatẽ aliquantulum impediat, non tamen ordinem tollit, quia ipse ordo naturę ita postulat.

19. Ob: 2. In vniuerso quædã desiderantur, alia redundant: ergo nõ est vndiq; perfectum. Probatur antecedens quoad primam partem; in vniuerso non existunt omnes gradus entium, cum infiniti plures in thesauris diuinæ sapientiæ, & omnipotentiæ contineantur. Item desunt multæ aliæ species, & quidem multò perfectiores ijs, quæ iam existunt. Ergo in vniuerso quędam desiderãtur. Prob. idem antecedens quoad secundam partem; multitudo singularium in eadẽ specie superuacanea est; siquidem species rerum incorruptibilium in vno singulari, & corruptibilium in paucis, abundè conseruantur. Item vermes, cæteræq; bestiolę eiusdẽ generis, & alia multa, quę hominibus vtilia non sunt, quin immò nociua, & molesta, superflua omnino videntur: ergo in vniuerso sunt aliqua, quæ redundant.

20. Respond. negando antecedens quoad vtramq; partem. Et ad probationem primæ partis dico, in mũdo existere generales omnes gradus entis, vt ostensum est. Ad illud de speciebus respõdeo, quod licèt Deus possit mundum alium perfectiorem condere; in hoc tamen nihil desiderari potest, quo magis perfectus cẽseatur; etenim mundus noster ad suam perfectionem, quam in hoc statu deposcit, non eget speciebus illis, quę diuina virtute produci queunt. Ad secundam partem antecedentis negatur; in mundo esse superflua; nihil enim continet mundi vniuersitas, quod non aliquid commodi & vtilitatis pariat, aut parere possit, si eo sapienter vtamur; quamuis prima specie inutile, & perniciosum videatur. Ad illud autem de indiuiduorum multiplicatione dico, quòd natura non producit singularia, vt tantùm species per ea conseruet, sed etiam, & maximè, vt eorum copia mundum locupletet.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum Deus possit hunc Mundum perfectionem reddere?

21. DVobus modis à nobis concipi potest hæc maior vniuersi perfectio: nempè si Deus illius partibus, & ijs speciebus, quæ iam existunt, alias denuò adijciat: vt noua corpora cælestia, & nouas species ani-

animantiū: vel si eas quę sūt, dūtaxat ornamento perficiat. Quod quidem ornamentum, seù perfectio, alia est essentialis, alia accidentalis; vt respectu hominis vita rationalis est perfectio essentialis; quòd verò sit debitæ magnitudinis, est perfectio accidentalis. His positis sit.

22. Prima conclusio, Vniuersum hoc non potest à Deo perfici additione nouarum partium integrantiū vt plurium orbium cęlestium, & nouarum specierum: neque quoad eas, quibus componitur, perfectione essentiali, sed tantùm accidentali. Ita D. Th. 1. p q. 25. art. 6. & in 1. dist. 44. q. 1. art. 2 & omnes ferè communiter. *Prima pars* patet, nam si huic vniuerso adderentur nouæ partes, non esset idem prorsus vniuersum, cum essentia totius integralis ex suis partibus coalescat. *Secunda* etiam liquet, quia essentia non suscipit magis, & minus, cum species sint sicut numeri: ergo partes, quibus hoc vniuersum componitur, in perfectione essentiali perfici non possunt. *Tertia verò pars* probatur: Potest Deus, cum nulla inde oriatur repugnātia, singulis indiuiduis noua impertiri accidētia, quibus magis adornentur, tribuere verb. gr. corporibus cælestibus, & stellis vberiorem lucē, elementis, & animantibus, cæterisq; mixtis corporibus alias perfectas qualitates: ergo res istę perfici possunt accidentaliter.

23. Secunda conclusio, Vna vniuersi parte ad meliorem conditionē accidentariam producta, omnes alię proportionabiliter perfici debēt. Ita S. Th. loc. cit. & probatur quia alias labefactaretur earum proportio, & concentus; vt à simili cernitur in instrumento musico, cuius si corda vna magis intendatur, temperatio, & melodia deperditur.

24. Hæc conclusio, nō placet Durando in 1. dist. 44. q. 3. Vazquesio tom. 1. in 1. part. disp. 107. cap. 3. Conimbricēsibus in hoc primo libro de Cęlo cap. 9. q. 2. art. 2. & alijs, vndè sic contra eam arguunt. Homo in statu innocentiæ erat melioris cōditionis, quàm modo est: & tamen cæteræ partes vniuersi, vt Cælum, Stellæ, elementa, non erant proportionaliter meliores: ergo vel tunc nō esset debita proportio inter partes vniuersi, atque ita non fuisset mundus à Deo harmonicè constitutus; quod non est dicendum: vel quòd ad vniuersi concentum non requiritur, vt omnes eius partes simul perficiantur. ¶ Deindè, quia species in indiuiduis multoties suscipiunt mutationes accidentales, vel iniuria tēporum, vel alia ex causa, & nihilominus nō ob id dissoluitur ordo vniuersi: ergo potest hoc vniuersum perfectius reddi si aliquę eius partes meliores fiant, etiam si aliæ non melioreſcant. ¶ Vndè concludunt isti auctores, mundi armoniam consistere solùm in inuariabili gradu, & proportione bonitatum essentialiū, & in ordine, ac tendentia ad vltimū finem; non autem in perfectione accidentali.

25. Sed his non obstantibus conclusio nostra verissima est: si enim Deus verb. gr. hoc elementum aquæ rarius, aut subtilius aere efficeret; vel aerem subtiliorem igne (quod constat posse fieri inuariatis eisdem elementis secundùm substantiam) eo ipso variaretur collocatio, quam nunc habent, & quam à principio suæ conditionis habuerunt corpora illa; quia natura postulat, leuiora esse

supra

supra minus leuia, & hæc sub illis: ergo supposita tali mutatione, aqua leuior aere facta, collocaretur super eum, & in locum superiorem per motum sursum tenderet, & aer leuior igne factus, supra illum in concauum lunæ ascenderet. Ex quo constat, naturalem collocationem, quã nunc habent, & habuerunt à principio, variari, & hac variata, variari consequenter ordinem, & proportionem eorundem corporum, imò destrui, sicut destrueretur cytharæ harmonia leuiori, aut grossiori eius corda acutiori, aut subtiliori omnibus facta: ergo mundus hic consistens formaliter in hoc ordine, & hac subordinatione corporum non posset subsistere cum tali variatione accidentali.

26. Hæc est sententia S. Th. contra quam non vrgent argumenta adducta. Vndè ad primum respondeo, hic loqui de perfectione vniuersi in esse naturali, non in esse morali. Et ad secundum, quòd mundus naturaliter exposcit, vt res in eo contentæ, quia corruptibiles, & mutabiles, variationem illam aliquando habeant, & sic non contra, sed iuxtà concentum vniuersi est huiusmodi mutatio.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrum Deus alios atq; alios mundos in infinitum perfectiores condere possit?

27. VNica conclusio, Potest Deus sua potentia absoluta producere alios, atq; alios mundos perfectiores in infinitum, ita vt quibuscumque productis possit nouos alios perfectiores producere. Probatur, quia possibile est à Deo fieri, quidquid non inuoluit contradictionem: sed nullam contradictionẽ inuoluit, quod datis quibuscumque mundis, alij perfectiores à Deo fiant, vt patebit ex solutione argumentorum: ergo hoc est possibile.

28. Obij. Si possibiles forent plures mundi essentialiter perfectiores in infinitum, sequerentur duo. Primum, quod detur infinitum in actu secundùm multitudinem. Postremũ quòd detur species aliqua infinitè secundùm perfectionem essentialẽ. Atqui vtrumq; hoc est impossibile, vt lib. 3. physic. ostensum est: ergo etiam est impossibile, &c. Probatur maior, & primò quòd sequatur primum: quia omnis potentia est reducibilis ad actum: ergo si sunt creabiles in infinitum mundi se excedẽtes in perfectione, poterunt dari infiniti mundi actu creati, & actu infiniti perfectiores secundum speciem. Ex quo patet quòd sequatur postremum, quia si dantur actu infiniti mundi specie distincti; ergo dantur actu infinitæ species: ergo inter illas datur vna, quæ sit infinitæ perfectionis essentialis.

29. Respondetur negando maiorem: & ad probationem primi dico, quòd sicut in diuisionibus possibilibus continui, datis quibuscumque sunt possibiles aliæ, & aliæ in infinitum, ita vt quòd nunquam perueniatur ad vltimã, & in productione creaturarum possibilium productis quibuscumq; creaturis, possunt produci aliæ, & aliæ sine termino, aliàs exhauriretur diuina omnipotentia: ita pari ratione sunt factibiles mũdi infiniti, non actu, sed potentia, quia factibile, vt sic, non actum, sed potẽtiam significat. Ad probationẽ verò secundi respondeo, quòd cum ibi nõ detur vltimus, ideò non est possibilis ali-

aliquis unus infinitæ perfectionis essentialis.

30. Ob. 2. Incarnatio Verbi Diuini tantum dignitatis attulit, non solùm singulari illi humanitati ad diuinam hypostasim assumptæ, sed etiã toti hominũ generi, ac proindè vniuerso, vt nihil mundo magnificentius, sublimius, & pulchrius à Deo tribui possit: ergo cum alij mundi ad huius diuinitatis consortium admittendi non sint, oportebit, eos, si procreentur, in multo inferiori excellentiæ gradu consistere. Ac proindè non poterit Deus mundos alios in infinitum nobiliores sua diuina virtute procreare.

31. Respondetur, quòd etsi nihil mundo maius tribui potuerit, quàm Deũ aliquam eius naturam prędicto modo sibi copulare; hoc ipsum tamen beneficium latitudinem habet, secundùm quam possit aliud vniuersum magis perfici, & exornari, quàm hoc. Posita enim Incarnatione Diuini Verbi, etiam posset Deus in nouo illo mundo non solùm humanam sed angelicam, & aliquam aliam naturam sibi vnire: quo dato, licèt eadem esset vtrobique Maiestas personæ assumentis, nobilior tamen censendus foret mundus, qui plures, quàm qui vnam tantùm naturam ad diuinę personę dignitatem euectam in se haberet. Quarè etiam ex hac parte possunt à Deo plures mundi, eo, qui nunc est, perfectiores creari.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum mundus solo generali concursu Dei perpetuò durare possit?

32. NOto, quòd concursus generalis ille vocatur, quem postulat conseruatio cuiuscumque rei iuxtà exigentiam suæ naturæ: specialis verò ille dicitur, qui nõ est debitus naturis rerum, quamuis ordinis naturalis sit. Vndè titulus dubij est, vtrum mundus naturæ suæ relictus, eo tantũ concursu, quo nunc à Deo conseruatur, per totam æternitatem manere possit, licèt re ipsa duraturus non sit.

33. Vnica conclusio, Posset Mundus sibi relictus, sub eo statu, quem modo habet, solo communi, & ordinario concursu, quo nunc à Deo cõseruatur, in perpetuum durare. Prob. discurrendo per omnia, quæ in mũdo sunt; & in primis corpora cælestia cum natura sua sint expertia corruptionis, sunt immortalia. Ipsorũ verò motus, cum ab intelligentijs, quæ lassari non possunt, administretur, perennis, ac perpetuus esse potest. Corpora autem sublunaria cõstãt materia, & forma: materia nulla vi naturæ interimi valet, quia sicut accipit esse tantùm per creationem à Deo, ita nõ aliter destrui potest, quã subtrahente Deo concursum, quo ei huiusmodi esse cõseruat. Formę verò ita se habent, vt nulla earum relinquat materiam, quin alia eius locum subeat; quia agens naturale nõ intẽdit per se primò interitũ rei, vtpote naturæ malum, sed generationem; qua propter semper corruptio vnius est generatio alterius, & sic licèt prędicta corpora singulatim sumpta intereant, semper tamen specie aut genere permanent eadem, & possunt hoc modo in perpetuum durare. Elementa verò ex toto non pereunt, sed solùm ex parte, & quæ se mutuò accipiunt, aliunde resarciunt, nec vllis naturæ viribus potest aliquod eorum in alia, aut alia in vnum, atã præ-

prævalere, vt quaternarius numerus elementorum in mundo deficiat. Id, quod ostendi potest, tum experientia antecedentium sæculorum, quibus quatuor elementa semper durarunt, tum etiam, quia ad prouidentiam diuinam pertinebat, non tantā facultatem permittere causis physicis, vt aliquod ex elementis perpetuò abolerent, atque ita vniuersi ordinē turbare, & eius perfectionem minuere possent. Quare illa mundi deflagratio, quæ paulo ante vniuersale iudicium futura est, non ad aliquam naturæ uim, sed ad diuinam potentiam referri debet, vt docet D. Th. in 4. disp. 47. q. 2. art. 1.

34. Sed obijcies; ideo corpora sublunaria sunt corruptibilia, & ad non esse ex propria natura tendunt, quia componūtur ex contrarijs, quę per mutuam actionem, & reactionē se destruunt: sed mundus in sua naturali compositione constat ex contrarijs elementis perpetuò inter se pugnantibus, ob contrarias qualitates, quas habent: ergo mundus ex propria natura tendit in corruptionem, ac proinde perpetuò durare non potest, nisi maiori, & speciali Dei auxilio conseruetur.

35. Resp. quòd non est eadē ratio de corpore mixto, ac de toto mundo: nam contrarietas elementorum, eorumq; qualitatum sic est naturaliter attemperata, vt si vnum ali qua ex parte alterum destruit, ab alio etiam vicissim destruitur, vt vtriusq; iactura reparetur: & ita conseruatur naturalis integritas omnium, per solum generale auxilium eis concessū, ad suas actiones, & reactiones exercendas. At verò victrix qualitas, per quam dissoluitur temperamentum, ad cōseruationem totius compositi requisitum, non potest semper ab eodem corpore per alteram qualitatem superari, & ideo necessitate naturæ perit tale compositum.

DVBIVM SEXTVM

An Mundus de facto perpetuò duraturus sit?

36. Conclusio, Formaliter loquendo mundus hic non est perpetuò duraturus. Prob. quia mundus non solùm coalescit ex corporibus simplicibus, verùm etiam ex corporibus mixtis tanquam ex partibus essentialibus: sed post diem vniuersalis iudicij preter hominem, nullum mixtum remanebit, cùm cætera sint extinguenda communi incendio orbis: ergo post diem iudicij non erit idem mundus. Confirmatur, si huic mundo adderentur nouæ partes, nō esset idem mundus, quia essentia totius ex suis partibus coalescit, vt dub. 3. diximus: ergo ob eandem rationem neque erit idem mundus, si ab eo auferentur aliquæ partes: sed corpora mixta quæ sunt partes vniuersi, post diem iudicij destruentur: ergo post diem iudicij hic mundus non erit amplius idem.

37. Hinc habes legitimam intelligentiam aliquorum locorum scripturæ, in quibus indicari videtur, cælos esse corruptibiles, vt Iob 14. *Homo postquàm dormierit, non resurget donec atteratum Cœlum.* psal. 101. *opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt* Lucæ 21. *Cœlum, & terra transibunt* Isaiæ 60. *Ecce creo Celos nouos, & terram nouam.* Et Apoc. 21. *Vidi Cœlum nouum, & terram nouam.* Licèt enim post diem iudicij ijdem Cœli entitatiuè maneant, quia incorruptibiles sunt; & eadem elemen-

elementa iuxta illud Ecclesiast. 3. *didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum.* Nihilominus quia constituunt nouum ac diuersum mundum, dicuntur Cęli noui, & terra noua, quasi denuo creari; & vt constituebant priorem mundum, dicuntur transiuisse, & perijsse.

38. A die igitur vniuersalis iudicij cœlestes globi quiescent, cessantibus eos mouere intelligentijs, nam cum motus Cœlorum præcipuè sit ob humanam generationem, conueniens est, vt postea quam certus, & à Deo præfinitus hominum numerus expletus fuerit terminetur. Cæterum sicut Beatorum corpora mirifico splendore, & pulchritudine, ex dote claritatis, perfundentur: Ita corpora cœlestia ampliori luce decorabuntur, iuxta illud Isaiæ 30. *lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter.* Rursus sicut homines post adeptam suam beatitudinem, In illo statu fœlicissimo erunt tanquam Angeli: Ita corpora elementorum quasi cœlestia reddentur, neque solùm à corruptione, & vicissitudine alterationum perpetuam immunitatem obtinebũt, sed eximia nouaq; luce vestientur. Atque hic rerum status supra conditionem naturę mortalis in perpetuum manebit.

IN LIBRVM SECVNDVM *de Cœlo.*

DISPVTATIO II.

De corpore cœlesti.

POST disputationem de vniuerso incipimus agere de eius partibus, & primò de Cœlo tanquam de perfectiori, postea verò in tertia de cæteris dicemus.

DVBIVM PRIMVM

An Cęlum sit?

1. CONclusio est affirmatiua, & patet ex illo genesis 1. *In principio creauit Deus Cęlum & terram.* Pro ratione autem fundamentali noto primò, Cœlum hìc sumi in sua propria significatione, quatenus scilicet est quintum corpus simplex supra quatuor elementa constitutũ. *simplex* dico, prout ly *simplex* distinguitur contra mixtum, non autem prout distinguitur contra compositum ex materia, & forma. Noto secundò, motum localem esse triplicem scilicet circularem, rectum, & mixtum. Motus rectus, alius est sursùm, idest, à centro ad circumferentiam, & alius deorsum, idest, à circumferentia ad centrum. His positis.

2. Prob. conclusio. Præter quatuor elementa poni debet quintum corpus simplex: ergo cùm hoc sit Cęlum, datur Cęlum. Consequentia patet ex primo notando. Antecedens verò probatur, omnis motus simplex conuenit naturaliter alicui corpori simplici: sed motus circularis est motus simplex, & non conuenit elementis; hæc enim ex propria natura mouentur motu recto sursum, aut deorsũ: ergo præter quatuor elementa poni debet aliud corpus simplex, cui motus circularis naturaliter conueniat.

3. Quærunt hìc aliqui; An Cęlũ à sua sede extractum, vel pars eius ab eo diuisa, moueretur naturaliter ad illam, vel naturaliter quiesceret? Est res certa, nec posse Cęlũ à pro-

pria sede extrahi, nec partem eius ab eo abscindi, atque in loco inferiori collocari naturali aliqua virtute, sed nec diuina per potentiam ordinariã: nec est minus certum, vtrumq; fieri posse per potentiam Dei absolutam; nam licèt sit naturæ eius dissonum, nullam tamen implicationẽ contradictionis inuoluit. Est similiter certum, quòd Cęlum, aut pars eius sic in loco inferiori existens; non moueretur ad propriã sedem motu naturali à principio intrinseco actiuo, sed ibidem permaneret immobilis, nisi ab extrinseco principio moueretur: & ratio est, quia cum repugnet à propria sede remoueri, non fuit ei cõcessa aliqua uirtus, per quam possit se restituere; frustra enim foret. Quo præsupposito in duobus posita est difficultas huius quæsiti: vnũ est, an quies in tali loco inferiori esset illi naturalis, vel violenta, aut præter naturam. Alterum, an si restitueretur in propriam sedem, talis motus esset ei naturalis, vel violentus, aut præter naturam.

4. Aliqui recentiores ad vtrumq; respondentes, dicunt primò; violẽtam esse quietem Cęlo, aut parti eius in inferioribus existenti. Et probãt, quia naturale est ei esse in superiori loco: ergo manere extra illum locũ est contra inclinationem naturalem: ac proindè violentum. ¶ Secundò dicunt, quòd si pars illa Cęli moueretur ab Angelo ad supremum locũ sibi proprium, motus ille esset naturalis; quia Cęlo, aut parti eius naturaliter debetur supremum vbi: ergo existens in loco inferiori naturaliter illud appetit; sed motus, quo mouetur corpus in locum, quẽ appetit naturaliter, est naturalis, cum procedat ex inclinatione naturali: ergo talis motus foret naturalis. Confirmatur, quia motus quo à proprio loco naturali extraheretur, foret violentus: nam impossibile est, aliquid separari à proprio loco naturali, nisi per violentiam, cum separatio illa sit contra naturalem inclinationem eius: ergo motus, quo rediret in eundem locũ naturalẽ, naturalis esse deberet, probatur consequentia, quia tales motus essent contrarij, & ideò si vnus esset violentus, alter deberet esse naturalis.

5. Assertio prima; Quies Cœli, aut partis eius in loco inferiori, non est violenta, sed præternaturalis. Prob. quia quies est terminus, in quẽ tendit motus: ergo non potest esse violenta, nisi violentus fuerit motus quem terminat: sed talis motus nõ fuit violentus: ergo nec quies violẽta est. Prob. minor, quia motus violentus debet esse oppositus motui naturali eiusdem corporis: sed talis motus, per quem Cœlum, vel pars eius in inferiorem locum peruenisset, non fuisset contrarius motui circulari eiusdem Cęli in propria sede, quia motus rectus, & circularis non sunt oppositi, sed quasi disparati: ergo quies per talem motum acquisita, non potest esse violenta, sed erit præternaturalis, quia à causa extrinseca, præter inclinationem corporis.

6. Assertio secunda. Cęlum, aut pars eius in loco inferiori existens, nullum motum naturalem habere potest, etiam ab extrinseca intelligentia, quo tenderet ad propriam sphęram. Prob. primò, quia Cœlo non est concessa à natura, vlla inclinatio ad motum, per quem se restituat in propriam sedem; si ab ea ex-

tra-

tractum fuerit, nam cum repugnet naturaliter ab ea extrahi, vel extra eam fieri, frustra daretur ei talis inclinatio, quam exercere naturaliter non posset: sed motus naturalis debet procedere ab inclinatione naturali mobilis: ergo repugnat talem motum fore naturalem Celo, sed præter naturam eius diceretur.

7. Prob. secundò ex doctrina Aristotelis lib. 1. huius operis cap 3. vbi negat expresè, quod Celum, vel pars eius possit moueri sursum, vel deorsum: sed talis motus si daretur, foret sursum: ergo est impossibilis. ¶ Resp. recentiores, Aristotelem solùm negare Celo, aut parti eius, motum naturalem sursum, ac deorsum à principio intrinseco actiuo, quia tale principium non potest esse nisi grauitas, aut leuitas, quibus carerere affirmat corpora cœlestia; sed non negat, quòd possint moueri motu recto naturali, à principio passiuo intrinseco, & actiuo extrinseco. ¶ Sed hæc solutio est omnino insufficiens, & contra mentem Aristotelis, qui cap. 2. eiusdem libri docuit, vni corpori vnam tantùm lationem naturalem conuenire posse, & hanc respectu Cœli esse circularem, quam ei dicit conuenire à principio passiuo intrinseco, & extrinseco actiuo, nẽpe intelligentia: ergo censet, nullam lationem rectam naturalem ei posse esse etiam à principio passiuo.

8. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ distinguendum est, quòd naturale sit Celo, aut parti eius supremum vbi; nàm si naturale accipiatur pro congruenti dignitate, ac nobilitate naturali eius, verum est; si verò vt cõsequendum per motum ex inclinatione aliqua naturali, sicùt terræ est naturale centrum, erit falsum; vndè quies in alio loco non potest esse ei violenta, nec motus ad proprium vbi naturalis. Ad secundum negãdum est antecedens, quòd scilicet motus, per quem separetur à propria sede, foret violentus; & cum dicitur fore contra inclinationẽ naturalem eius, etiam negamus, quia talis motus esset rectus, cum procederet mobile per eum de loco ad locum. Motus autem rectus non est opppsitus circulari, vt dictum est, sed tantùm disparatus.

DVBIVM SECVNDVM

An Cœlum sit diuersæ naturæ à corporibus sublunaribus?

9. EST duplex opinio; Prima affirmat, Cœlum esse eiusdem naturæ cum elementis, aut cæteris corporibus sublunaribus. Ita fere omes Philosophi antiquiores Aristotele, vt retulit Plutarcus lib. 2. de placitis Philosophorum cap. 11. & Picus Mirandulanus lib. 1. de examine vanitatum cap. 12. Fundamentum huius sententię est: quia accidentia oriuntur ex ipsamet natura substantię, vt eis ornetur ac perficiatur, eisdemq; vtatur ad operandum: sed cœlestia corpora cõstant accidẽtibus, nempe quantitate, raritate, & densitate, eiusdem naturę, & rationis, ac sublunaria corpora: ergo sunt eiusdem naturæ substantialis cum eis.

10. Secunda sententia asserit, corpora cœlestia esse quintam substantiam, & naturam simplicem, ab elementis, & mixtis diuersam, & eis perfectiorem. Hæc est expressa Aristotelis lib. 1. de Cœlo cap. 2. & 3. quam receperunt Philosophi omnes atque Theologi, & nobis tanquam

vera tenenda est. Probatur primò ratione Aristotelis cap. 3. allata, ex loco, & motu desumpta; Nam corporibus concessit natura locum, & motum iuxta propriam conditionē, & ideo corporibus eiusdem naturæ eundem locum, & motum, diuersæ verò naturæ diuersos, vt grauibus locum, & motum deorsum, leuibus sursum: sed Cęlo concessit diuersum locum, & motum ab elementis: ergo diuersam naturam. Probatur minor, quia locum ei concessit supra omnia elementa; motum verò circularem, qui valde diuersus est à motibus rectis sursum, & deorsum, quos concessit elementis: ergo. ¶ Probatur secundò ex influentijs vniuersalibus Cœli, & astrorum circa omnia sublunaria corpora; nam virtus influendi, & operandi tam varios ac mirabiles effectus, & circa corpora tam diuersa, specialis est in Cœlo, & elementis non concessa: sed talis virtus oritur ex natura eius, sicut alię virtutes aliorum corporum: ergo corpus virtutis adeo diuersæ, diuersæque etiam naturæ censeri debet. ¶ His duobus argumentis probatur etiam, quòd Cœlum sit diuersę naturæ ab omnibus mixtis.

11. Ad fundamentum oppositæ sententiæ distinguenda sunt duo genera accidentium; nam quædam sunt quasi vniuersalia, & quibuslibet corporibus communia, vt quantitas, densitas, & raritas; & hæc cum sequantur vniuersalissimam rationem corporum, non indicant diuersam naturam eorum. Alia sunt specialiora, orta à corporibus secundùm specialiorem rationem, vt colores, qualitates tangibiles, grauitas, leuitas, & alia quę vocantur secundæ qualitates, quia ortum habet ex concursu aut permixtione primarũ. De prioribus concedimus, communia esse Cœlo, & corporibus sublunaribus: sed ex eis non colligitur vnitas naturæ. De posterioribus verò accidentibus negamus, quòd communia sint Cœlis, elementis, aut mixtis; non enim habent veros colores, sed apparentes dumtaxat, circa quos absq; dubio fallitur visus noster eos pro veris accipiens. Qualitates verò tangibiles, non sunt in eis formaliter, sed tantùm eminenter, aut virtualiter, inquantùm eas producunt in corporibus inferioribus.

12. Quæres primò; An quantitas Cœlorum sit eiusdē speciei athomæ cum quantitate corporum sublunarium? Respondeo affirmatiuè, quod dupliciter probo. *Primò*, quia ratio essentialis, & propria cuiuslibet accidentis colligitur euidenter ex effectu formali, quem tribuit subiecto, vt propria ratio caloris ex eo, quòd natus est constituere subiectum formaliter calidum: ergo essentialis, & propria ratio quantitatis intelligenda est ex effectu formali, quem nata est tribuere substantiæ: sed eundem effectum prorsus tribuit substantiæ quantitas cœlestis, & sublunaris: ergo erunt eiusdem speciei. Probatur minor, formalis effectus quantitatis est, constituere partes substantię extensas extensione molis: atqui vtraque quantitas eodem modo hoc præstat suę substantię, vt patet: ergo. *Secundò*, quia communis & vera sētentia docet, quòd tres illæ species quātitatis continuę, videlicèt linea, superficies, & corpus sint athomæ, sub genere quantitatis cōtinuæ, quia nèc dantur lineæ distinctæ specie, nèc superficies, nèc corpora trinæ dimensionis: sed quantitas cęlestis & subla-

fublunaris pertinent ad has fpecies : ergo folo numero diftingui poffunt, & nullo modo fpecie.

13. Ob: 1. Quntitas eft propietas confequens fubftātiam corpoream, vel materiam primam: fed tàm hęc, quàm fubftantia corporea celeftis, & fublunaris diftinguūtur fpecie: ergo quantitates vtriufque etiam debent fpecie diftingui. ¶ Refp. quòd quātitas non confequitur materiā primam, aut fubftantiam corpoream in fpecie, fed in genere, & cēfetur propietas quafi fubalterna, ficùt fenfibilitas refpectu hominis & equi, non athoma; vt eft rifibilitas refpectu hominis; Vndè ex diuerfitate materiæ, aùt fubftantiæ, non infertur diuerfitas fpecifica quantitatis.

14. Ob. 2. Ad rationem intrinfecam quantitatis fpectat, effe receptiuam aliorum accidentium: fed hec potentia receptiua, aut paffiua, eft diuerfæ fpeciei in vtraque quātitate: ergo diftinguuntur fpecie. Prob. minor, potentiæ paffiuæ diftinguuntur per diuerfos actus, quos refpiciunt: fed quantitas corporum fublunariū natura fua eft receptiua qualitatum actiuarum & contrariarum, non verò quantitas corporum cæleftium: ergo iftæ duæ quantitates habent potētias paffiuas diuerfæ fpeciei. ¶ Refp. negando fuppofitum, nàm fi fecundùm fe accipiatur quātitates iftę, vtraquè poteft eadem accidentia recipere, quod euidentèr conftaret, fi Deus fepararet vtramquè à propria fubftantia, ficùt feparat quantitatem panis in Euchariftia: tùnc enim nulla poffet ratio affignari, cur circa quantitatem cęli non poffit naturalitèr agere ignis ei applicatus, & producere in ea calorem, ficut producit naturaliter in quantitate hoftiæ confecratæ. Vnde quòd non poffit naturaliter recipere fimilia accidentia, dum eft in proprio fubiecto, non prouenit ex parte eius, fed fubftantiæ cœleftis, quæ non eft eorum capax. Et poteft hoc exemplo valde fimili oftendi; quia quantitas fublunaris corporis poteft naturaliter diuidi in partes integrātes, & actu diuiditur quoties eodem modo diuiditur fubftātia, in qua eft, & tamen quantitas corporis cęleftis dum in eo eft, non poteft diuidi naturaliter, quòd omnes affirmant non prouenire ex parte eius, cum fit euidens, feparatam per miraculum à fuo corpore, poffe diuidi naturaliter, ficut diuiditur quantitas Euchariftiæ; fed ex incorruptibilitate fubftantiæ cœleftis, cui inhæret, quæ diuidi naturaliter non poteft: ergo ex eadem caufa prouenit, quòd non poteft fufcipere accidentia actiua, & contraria, & non ab effentia eius.

15. Quæres fecundò; An in Cœlo fint vera raritas, & denfitas eiufdem rationis cum fublunaribus? Refpondeo duabus fequentibus conclufionibus. Prima conclufio, in corpore celefti eft vera raritas, & denfitas. Ita Conimbricenfes lib. 1. de generat. cap. 5. quæft. 17. Ruuius lib. 1. de Cœlo cap. 3. quęft. 3. & plures alij. Probatur; quia in corpore cœlefti repetitur effectus formalis verę raritatis, & denfitatis: effectus autem formalis reperiri nō poteft fine forma: ergo in corpore cœlefti eft vera raritas, & denfitas. Probatur maior, in fole, luna, & ftellis reperitur plus materiæ fub minoribus dimenfionibus, quàm in partibus intermedijs Cœli: fed hi funt effectus formales raritatis, & denfitatis: ergo in Cœlo reperiuntur effectus formales raritatis

tis, & densitatis, ac proinde ipsa raritas, & densitas.

16. Secunda conclusio Raritas, & densitas Cœli sunt eiusdem speciei cum raritate, & densitate corporum sublunarium? Ita Auctores citati. Probatur; qualitates conferunt effectum formalem subiecto, cui inhærent, iuxta propriam naturam, & essentiam, vt calor facit subiectum formaliter calidum, & albedo formaliter album; ergo implicat contradictionem, conferre eundem effectum formalem illa, quæ sunt diuersæ speciei, vel diuersum illa, quæ sunt eiusdem speciei; sed raritas, & densitas corporis cœlestis, & corporis sublunaris, conferunt subiectis effectum formalem eiusdē speciei: ergo repugnat, esse diuersæ speciei. Prob. minor: Effectus formalis raritatis est separatio partium quantitatis inter se, ita vt pauciores partes, & minor multitudo materiæ contineatur sub maioribus dimensionibus; & effectus formalis densitatis est coniunctio partium inter se, ita vt plures partes, maiorq; multitudo materiæ, contineantur sub minoribus dimensionibus, sed tàm raritas, & densitas cœlestis, quàm sublunaris præstant hos effectus suis corporibus, ut manifestum est: ergo sunt eiusdem speciei.

17. Ob. 1. Raritas & densitas corporum sublunarium causant leuitatem, & grauitatem, mollitiem, & duritiem, quos effectus repugnat habere raritatem, & densitatem corporum cœlestium: ergo istæ raritates, & densitates sunt diuersæ speciei. ¶ Resp. negando minorem, nam quòd raritas, & densitas non producant illos effectus in corporibus cœlestibus, prouenit ex indispositione, & incapacitate subiecti, & ideo non arguit diuersitatem specificam. Sicut lux solis non producit calorem in Cœlo, producit tamen in inferioribus ob capacitatem eorum, & tamen ipsa lux est eiusdem speciei.

18. Ob. 2. Raritas & densitas corporis sublunaris procedit ex permixtione primarum qualitatum; raritas verò, & densitas corporis cœlestis nō procedit ex prędicta permixtione, quia in Cœlo nec sunt primæ qualitates, nec permixtio earum, sed ex alia causa. ergo non sunt eiusdem rationis. ¶ Respondetur quòd licet raritas, & densitas in corporibus sublunaribus procedant ex permixtione aut concursu primarum qualitatum, & in Cœlo non ex hac, sed ex alia causa diuersa; non tamen colligitur ex hoc esse diuersæ speciei, quia accidentale est eis, à talibus vel talibus causis procedere. Sicut diaphaneitas, aut transparentia in elementis procedit ex cōcursu duarum primarum qualitatum; in mixtis ex permixtione quatuor, vt in crystallo, & in pupilla oculi; in Cœlo verò ex nulla causa harum, sed ex alia diuersa, & tamen in omnibus est eiusdem speciei.

DVBIVM TERTIVM

An Cœlum sit compositum ex materia, & forma?

19. PRima sententia negat, Cœlos habere materiam, asseritque esse formas quasdam veluti subsistentes atq; cōpletas in genere substantiæ corporeæ, quemadmodum Angeli sunt formę subsistentes, & completę in genere spirituali. Ita Auerroes in lib. de substant. orbis cap. 2. & lib. 8. met. cap. 4. & lib. 1. huius operis ad tex. 7. & 10. Gabriel ibidem

quæst.

quæst. 1. Aureolus apud Capreolum quæst. vnic. ad 2. Maior dist. 14. q. 3. & alij, quos citat Ruuius in præsenti. Fundamentum huius sententiæ est; quia Philosophi ad cognoscendam materiam non alia via ingressi sunt, quàm per transmutationem ab esse ad non esse substantiale; sed Cœlum non est hoc modo trãsmutabile, aliàs esset corruptibile: ergo Cœlum non constat ex materia, sed est forma cõpleta in genere substantię corporeę. ¶ Confirmatur quia in rebus corporeis forma completa est possibilis: ergo de facto datur: sed hæc non potest alteri conuenire, nisi Cœlo: ergo Cœlum est forma corporea completa carens omni materia. Antecedens videtur certum, cum nulla implicatio contradictionis ostendi possit. Consequentia verò probatur; Essentia vniuersi postulat, habere in se omnes gradus essendi: ergo sicut propter hanc rationē de facto in ordine spirituali datur forma completa, & incompleta, ita dari debet completa & incompleta in ordine corporali.

20. Secunda verò sententia docet, Cœlos esse compositos ex materia, & forma. Ita D. Th. 1. p. q. 66. art. 2. Caiet. ibidem, D. Bonauentura, Ægidius, Capreolus, & cæteri scholastici in 2. dist. 12. Henricus quodlibeto 4. q. 3. Soncinas 11. met. q. 7. Iauellus lib. 1. q. 12. & omnes Recentiores, ita vt opposita ab scholis prorsus sit relegata. Probatur efficaci ratione; Si Cœlum esset forma sine materia, Cœlum non esset substantia corporea, sed spiritualis: atqui hoc est manifestè falsum, vt omnes fatentur; siquidem Cœlum habet quantitatem, quæ est propria affectio corporis; ergo dicendum est, Cœlum non esse formam sine materia, sed compositum ex materia, & forma. Probatur sequela maioris; Spirituale & immateriale idem sunt: immateriale autem illud dicitur, quod est seiunctum seu secrecatum à materia: ergo si Cœlum esset secrecatum à materia, esset substantia spiritualis, & non corporea.

21. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ respondeo, non ex transmutatione substantiali dumtaxat, sed etiã ex accidentaria sensibili, qualis est illuminatio, venisse Philosophos in cognitionem materiæ: itemq; ex motu physico, qui, & si in nuda materia non recipiatur, eam tamen latentem arguit. Ad confirmationem negatur esse possibilem substantiam corpoream simplicem, & completam vt ex dictis patet.

22. Quæres primò; An materia Cœlorum sit eiusdem speciei cũ materia corporum sublunarium? Resp. negatiuè cum D. Th. loc. cit. & alijs. Ratio est: quia Cœli sunt incorruptibiles, vt dub. seq. ostendetur: si autem eorum materia esset eiusdem speciei cum sublunari, essent corruptibiles, sicut corruptibilia sunt corpora sublunaria. Et probatur, quia ubi est eadem natura, est eadem capacitas: ergo si materia Cœli est eiusdem naturæ cùm sublunari, erit etiam eiusdem capacitatis, & consequenter capax aliarum formarum, sicut est capax materia sublunaris, & cum careat illis, habebit priuationē earum, & appetitum ad illas: sed constat, hanc priuationem, & hunc appetitum aliarum formarum esse totam radicem corruptionis corporũ sublunarium: ergo pari ratione essent corruptibilia corpora cœlestia.

23. Respondent aduersarij, Cœli formam esse perfectissimam, continen

tinentem in se eminentèr omnem perfectionem aliarum formarum; vndè eius informatio explet totalitèr appetitum materiæ ad cæteras formas: quo expleto non est periculum corruptionis. ¶ Sed hæc responsio in primis est falsa; anima n. rationalis, & quælibet viuens, est perfectior forma Cœli: ergo hæc non continet in se perfectionem omniũ formarum. Deinde non soluit nostrum argumentum; nam anima rationalis est perfectissima omnium, & nihilominus eius informatio non explet appetitum materiæ: ergo similiter etiam si admittatur, formam Cęli continere in se perfectiones cęterarum, non propterea eius informatio explebit appetitum materię, si hæc est eiusdem rationis cum sublunari.

24. Respondent secundò, hanc incorruptibilitatẽ prouenire ex speciali modo, quem habet forma cœlorum informandi materiam, cum dispositionibus scilicèt non habentibus contrarium. ¶ Sed contra, quia vel materia Cęli respicit essentialitèr formam inseparabili modo informãtem, & cùm talibus dispositionibus carentibus contrario, & ex hoc sequitur distinctio specifica materiæ, cùm ex se respiciat actum specie distinctũ in ratione formali actus; vel materia ex se indifferens est, & accidentalitèr determinatur per tales dispositiones ad formam inamissibilitèr informãtem: ergo potuit recipere alias dispositiones, & aliã formam; & cùm semper maneat eadem natura materiæ, modo poterit illas recipere naturalitèr, cùm cuilibet potentiæ passiuæ naturali respondere debeat potentia actiua naturalis, quæ illam ad actum reducat: ergo Cęlũ erit corruptibile.

25. Obijcies. Omnis distinctio specifica sumitur ab actu: sed materia Cœlestis & sublunaris sunt puræ potentiæ, nullum includentes actũ: ergo inter eas non potest dari distinctio specifica. ¶ Resp. quòd licèt materia in sua essentia non habeat aliquem actum physicum, cùm sit pura potentia, habet tamèn actum metaphysicum, scilicèt prædicatum aliquod perfectiuum, & determinatiuũ rationis communis materiæ ad talem speciem.

26. Quæres secundò; an materia cœlestis sit perfectior sublunari? Negant aliqui, & probant, quia perfectio essentialis potentiæ sumitur in ordine ad actum: sed materia sublunaris respicit nobiliorem actum, quàm cęlestis, nempè animam rationalem: ergo est nobilior potentia materia sublunaris, quàm celestis.

27. Prima conclusio. Materia cœlestis est perfectior sublunari, Probatur primò; quia materia ex propria natura est potentia passiua: sed potẽtia passiua in suo conceptu dicit imperfectionem (quam propterea Deo nullo modo tribuimus) ergo quo materia fuerit magis passiua, erit imperfectior. Sed constat, sublunarem esse magis passiuam, quàm cęlestẽ, quia indifferens est ad recipiendum omnes formas, vndè habet potentiã passiuam quasi infinitam, idest sine termino. Cœlestis verò non, cum vnius dumtaxat formæ capax sit. Ergo.

28. Prob. secundò; Quia perfectio passiua materiæ sumitur in ordine ad actum: sed materia celestis recipit actum formalitèr perfectiorẽ: ergo est perfectior. Prob. minor, ratio formalis actus sumitur ex modo actuandi potentiam; sed forma cęlestis

lestis perfectiori modo actuat materiam: ergo est perfectior actus formalitèr. Prob. minor: forma cęlestis actuat materiam satiando appetitū eius, & totam eius capacitatem cōplendo. Prætereà actuat se vniendo materiæ vnione indissolubili: sublunaris verò forma nec explet capacitatem materiæ, nec vnione indissolubili vnitur: ergo illa est longè perfectior.

29. Secunda conclusio: Materia sublunaris non solùm est imperfectior cælesti, sed imperfectissima omnium, quas Deus creare potest, ita vt nec per potentiam Dei absolutam creabilis sit alia inferior, aut imperfectior. Et ratio est: quia nō est creabilis alia potentia magis passiua, ac est materia sublunaris, cum hæc recipere possit omnes formas corruptibiles: nàm de incorruptibilibus euidens est, nullam esse possibilem materiam, quæ possit vtrasq; recipere, ita ut, tàm corruptibilium, quàm incorruptibilium naturaliter sit capax, quia incorruptibiles sua natura inseparabilitèr informāt. Sed constat, eo esse materiam imperfectiorem, quo magis passiua est, & eo magis passiuā, quo ad plures formas recipiendas indifferēs est, & plures recipere potest: ergo sublunaris materia à Deo creata, omnium est imperfectissima, quæ creari possunt per diuinam potentiam.

30. Ex dictis solutum remanet argumentum contrarium, nàm licèt anima rationalis perfectiorem naturam habeat, & perfectius esse tribuat materiæ, & composito, quàm forma cælestis; habet tamen modum informandi imperfectissimū, nempè amissibilitèr, secus verò forma cœlestis. Perfectio autem actus non sumitur ex entitate, sed ex modo informandi, vt dictum est.

31. Quæres tertiò; An materiæ Cęlorum sint diuersæ speciei intèr se? Supponimus dari plures Cęlos, vt inferius ostendetur, & de eorum materijs quærimus, an specie intèr se distinguuntur? Prima opinio docet, non distingui specie, sed solo numero; quam sequūtur Capreol. in 2. dist. 13. q. 3. Hispalensis ibidem, Soncinas 12. met. q. 10. Iauellus lib. 8. q. 11. & alij, quorum ratio est: quia materiæ non distinguuntur specie per ordinem ad formas specie distinctas secundùm gradus essentiales, sed secundùm modū informandi: sed formæ Cęlorum, etiamsi specie distinguantur secundùm gradus essentiales, habent eundem modum informandi materiam, quia omnes informant eam modo inseparabili, satiātes appetitū eius: ergo omnes sūt eiusdem speciei in ratione præcisa formarum: ergo etiam omnes materiæ erunt eiusdem speciei, cum respiciāt actum eiusdem speciei formaliter.

§ Confirmatur; formę sublunares distinguuntur specie secundùm propriam naturam, & nihilominus non distinguūt specie proprias materias, sed eiusdem speciei censentur, quia formæ habent eundem modum informandi modo separabili non satiātes appetitum materię: ergo nec cęlestes quantumlibet specie distinctę, secundùm propriam naturam, distinguent specie materias proprias, quia habent eundem modum informandi inseparabilem.

32. Secunda verò opinio distinguit specie materias cęlestes inter se, atque etiam formas in modo informandi inseparabiliter speciali cuiuslibet. Et hæc mihi videtur probabilior,

bilior, quàm sequuntur omnes recentiores Thomistæ. Prob. efficaciter sic: Non potest saluari incorruptibilitas Cęlorum, si omnes materię eorum sunt eiusdem speciei: sed corpora cælestia sunt incorruptibilia: ergo. Prob. maior, omnes istę materiæ sunt eiusdem speciei: ergo habēt potentiam, & capacitatem eiusdèm rationis: sed materia lunæ est capax suæ formæ, ac dispositionum, quibus medijs eam informat: ergo eiusdem formæ, & earum dispositionū capax erit materia solis, & in eius potentia continentur: sed forma, quę cōtinetur in potentia naturali materię, potest naturaliter educi ex ea: ergo poterit educi forma lunæ de potentia materiæ solis, & ita poterit luna ex materia solis generari, & erit generabilis, & ex consequenti ipse sol corruptibilis.

33. Confirmatur, in materia solis est potentia passiua naturalis ad formam lunæ, & dispositiones eius: ergo necesse est, dari agens naturale, à quo possit per dispositiones conueniētes tali formæ disponi, & per eductionē eiusdem formæ reduci in actū, quia cuilibet potētię passiuę naturali correspondere debet actiua, aliàs esset frustranea: sed hoc fieri non potest sine corruptione cōpositi: ergo euidenter conuincitur, omnia corpora cælestia habere principium radicale corruptionis, esseq; corruptibilia ex suis principijs essentialibus; si materiæ sunt eiusdem speciei.

34. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd omnes formæ Celorū habent eundem modum inamissibilitèr informandi genericum, per quem distinguuntur à sublunaribus, non specificum, per quem inter se formaliter differunt, ac proinde earum materiæ, vt ex dictis constat. Ad confirmationē dico, formas sublunarium habere tātùm eundem modum specificum, amissibilitèr informandi: formæ verò Cęlorum non solùm habent eundem modum genericum, sed etiam gaudent diuerso modo specifico, in ordine ad quem materiæ diuersitatem specificam sortiuntur.

DVBIVM QVARTVM

An Cæli sint inanimati, incorruptibiles, & solidi?

35 Dico primò, *Cęlos esse inanimatos*. Hæc conclusio est adeò certa, vt sine temeritate negari non possit. Prob. autem sic: omne corpus animatum est organicum: sed in corpore cęlesti nulla sunt organa: ergo corpus cœleste non est animatum. Probatur minor, in corpore cęlesti non cernitur varietas partium, per quas diuersitas vitalium operationum exerceatur, vt actus videndi, audiendi, & similes, nisi quis velit, solem, & lunam pro oculis deseruire Cœlo, ita vt per hęc astra videre dicatur; quod cōstat, ridiculū esse: ergo euidens est corpus cœleste non esse organicum. Confirm. primò: corpus cœleste, nec exercet, nec exercere potest aliquā operationē vitalē: ergo non est animatū. Prob. antecedēs, & *primò* de operationibus vegetatiuis; quia Cœlum nec simile generare potest, cum sit ex sua natura ingenerabile, & incorruptibile; nec nutriri vel augeri, quia nunquā illos macros ex defectu pabuli, aut ex eiusdā copia pingues experti sumus. *Secundò* de operationibus sensitiuis, quia operationes istę præsupponunt organa sensuum; organa autem sine tempe-

temperie quatuor primarum qualitatum, caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis esse non possunt: atqui corpus cœleste non est capax harum primarum qualitatũ: ergo. Et *tertiò* probatur de operationibus intellectiuis; Tùm quia hæ exerceri non possunt in corpore, nisi ministerio sensuum: ergo si Cœlum non est capax sensuum, nec erit capax harum operationum. Tùm etiam, quia si Cœli essent capaces rationis, aut essent in gratia, aut in peccato: si in gratia, tandem aliquando simul cũ alijs Beatis diuina potirẽtur essentia. Si in peccato, aliquando æternis addicerẽtur supplicijs. Quæ omnia chimerica sunt, alienaque à mente hominum. ¶ Confirmatur secundò; si corpora cœlestia haberent vitam intellectiuam, & essent substantialiter composita ex corpore, & anima rationali, eo ipso Cœli dicerentur homines, siquidem non est excogitabile compositum substantiale ex anima rationali, & corpore, tanquam ex vera forma, & materia, quod non sit homo, cum hæc sit essentialis compositio hominis: atqui hoc est omnino falsum, nam ex principio genesis constat, cœlestia corpora tanquam quid diuersum ab homine, esse creata: ergo.

36. Dices: Plures herbæ, atque virgulta generantur sine aliquo semine, immo quàplura animalia (licèt imperfecta) ex sola putri materia: sed vtriusque vitæ horum, nempe vegetatiuę herbarum, & sensitiuæ animalium, nulla potest assignari causa efficiens, à qua procedat, præter cœlestia corpora, à quibus procedere nequit vita, si ea carent, vt per se est manifestum: ergo necesse est, eis vitam concedere. ¶ Respond. omnia hæc produci à Cœlo, non tamen vt à causa principali, sed tanquam ab instrumento intelligentiæ, vt docet D. Th. 1. p. q. 70. art. 3. ad 3. dicens: *Corpus cæleste cum sit mouens motũ, habet rationem instrumenti, quod agit virtute principalis agentis, & ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia viuens, potest causare vitam.*

37. Dico secundò; *Cœlos esse incorruptibiles.* Pro intelligentia huius conclusionis noto, incorruptibile sumi dupliciter: primò pro eo, quod est omnino indefectibile, tàm ab intrinseco, quàm ab extrinseco, qualis est solus Deus. Secundò pro eo quod solùm ab intrinseco non est defectibile, quia scilicet non habet in se principia corruptionis, hoc est, qualitates contrarias. Et in hoc posteriori sensu intelligitur conclusio. Et probatur; quia quod caret qualitatibus contrarijs, est incorruptibile ab intrinseco. sed Cœlũ caret huiusmodi qualitatibus contrarijs: ergo est ab intrinseco, & sua natura sua incorruptibile. Probatur minor. Si Cœlũ haberet qualitates contrarias, hæ in sese inuicem agerent, & illud destruerent saltem secundùm partem: sed experientia tot ætatum, & seculorum docet contrarium: ergo non constat qualitatibus contrarijs.

38. Dices: Anno 1572. apparuit in Cassiopea quædam stella, quæ durauit per bienniũ, & postea euanuit, seù corrupta est, vt Astrologi illius temporis diligentissimè obseruarũt: ergo celi sunt corruptibiles. ¶ Ad hanc obiectionem aliqui respondẽt, hoc iubar, non stellam, sed cometam fuisse, infra lunæ globum degentem. Verùm hæc responsio non placet, quia omnes cometæ; qui in elementari mundo sub lunæ globo

videntur, non possunt eodem modo, & sub eodem aspectu omnibus vndequaque cernentibus apparere, nec in eodem loco ab omnibus notari, si cum stellis inerrantibus conferantur, vt ratum est apud Astronomos: At omnes Astrologi stellam illam denuò ortam sub eodem aspectu & distantia ad inerrantia astra ex diuersis mũdi plagis conspexerunt, ergo iubar illud non in elementari regione, sed in ętherea apparuit.

¶ Alij respondent, stellam illam in ætherea regione apparuisse, non tamen fuisse de nouo productam, sed fuisse vnam ex tredecim, quibus cassiopeæ sydus constat, quæ prius quasi in occulto consistens, denuò apparuit nobis. Sed neque hæc responsio placet, quia pleriq; Astronomi se obseruasse testantur alias tredecim stellas in cassiopea, præter illud nouum astrum, quibus in hac re fides est adhibenda.

39. His igitur relictis solutionibus, respondeo cùm alijs, nouam hanc stellam fuisse à Deo productã in octaua sphera virtute supernaturali. Quod duobus modis intelligi potest, hoc contigisse: aut ita vt forma illius nouæ stellæ producta fuerit per creationem cum noua materia, & simùl penetrata cum aliqua parte octauæ sphęræ, in qua apparuit: qua ratione integrè & perfectè saluatur incorruptibilitas cæli. Aut si corrupta à Deo aliqua parte formæ cęli, in eius partiali subiecto & materia induceretur ab agente supernaturali forma illius stellæ, quæ biennio transacto ab eodem agente corrumperetur, informata iterum materia, alia partiali forma, quæ cùm reliquis partibus formæ cœli, eam integram constituit. Qui modus, vel alius similis, & si minùs consonet naturæ cœli, non tamen adeò dissonat, vt comparatione agentis supernaturalis aliquam cõtradictionem inuoluat. In hoc enim stat, celum esse per se incorruptibile natura sua, & comparatione cuiuslibet agentis naturalis. Nec mirùm est, si difficultatis expediendæ gratia ad miraculum confugiamus. Cum.n. effectus insolens, & præter consuetum causarum naturalium cursum euenit, in quod, nisi in primum efficiens, à communi lege liberum, illum referuemus? Id quod nõ semel ab omnibus necessariò admittendum est; legimus enim *Iosue.* 10, solem diuina virtute constitisse, vt Iesus Naue inchoatam victoriam ad perfectum vsque statum perduceret. *Isaiæ* 38. eundem solem retrorsum commeasse ad longiorẽ Regis Ezechiæ vitam denotandam. Et Christo Domino moriente solẽ fuisse obscuratum Euangelica testatur historia. Hoc autèm ad diuinã, & absolutam Dei potentiam præter leges rebus creatis statutas operantem referẽda esse, quis ambiget?

40. Dico tertiò; *Cęlos non esse fluidos, sed solidos*. Ità ferè omnes antiqui scholastici, & sanior pars recentiorum Philosophorum, sequens Aristotelem lib. 2. de Cęlo à tex. 43. vsque ad 52. *Prob. primò* auctoritate Sacræ Scripturę, in qua *cap.* 34. *Iob.* dicitur, cœlos esse solidissimos, & quasi ære fusos. Et *cap.* 4. *ad Hebreos vers.* 14. habetur, Christum Dominum Cęlos conscendentem, eos penetrasse; quod non fuisset necessarium, si cęli essent fluidi, nàm cedere poterant, & dare locum *Prob. secundò*, ex motu regulatissimo & ordinatissimo Planetarum: si autèm

Celi

Cęli non essent solidi, sed fluidi, & Planetæ in eis fluerent, tanquàm pisces in aqua, vel aues in aere, eorum motus non essent ità regulati, & ordinati, vt patet. *Et tertiò probatur*; quia non sine magno strepitu stellas esse mouendas, si per corpus liquidum cierentur; videmus. n. volitantes aues proprio motu aerem quatientes non leuem sonitum edere. Talem autèm sonitum non edere, experientia compertum est nàm nunquàm stellas se mouentes audiuimus.

41. Ob. 1. Luna apparet inæqualis, habens montes & valles: ergo cęlū, per quod mouetur debet esse fluidum, aliàs per illud moueri non posset. ¶ Resp. primò, quòd etiam si luna habeat totam eam inęqualitatem, nihil probaret, cum n. luna sit immediata regioni aeris, poterit rectè cùm omnibus suis gibbis findere aerem, dùm mouetur, nec vlla erit planè necessitas, cęlos ponendi fluidos. ¶ Resp. secundò, cauitates illas posse perpetuò esse repletas corpore aliquo diaphano; vndè sicùt per aduersarios corpus fluidum replens cauitates, non impedit videri à nobis partes depressiores lunæ, & eminentiores, ita potest dari corpus solidum perpetuò replens cauitates illas, quod visui aditum non pręcludat ad omnes lunę partes suis positionibus distinctas percipiendas. ¶ Resp. tertiò, negando lunam habere reuera cauitates, valles, & montes; sed ex maiori vel minori luce, quam eius partes habent, apparere aliquas eminentiores vel depressiores alijs ad instar montium, & vallium. Vide tractatum de meteoris cap. 2. nu. 7.

42. Ob. 2. Visi sunt aliqui cometæ supra lunam, vt suis instrumētis obseruarunt aliqui recentiores astronomi: ergo Cęlum in quo sunt, non est densum, sed fluidum, vt his nouis corporibus cometarum locū cedat. ¶ Respondetur, nunquam cometas gigni supra lunam, sed in regione aeris, & propter nimiam distātiam nobis apparent intra ipsos Cęlos existentes. Astrologi autem decipiuntur, & non mirum, quia in mensuranda ea altitudine facillimè erratur, & error leuis instrumenti facit immensum errorem in conclusione ab eo deducta.

43. Ob. 3. Apparent aliquę stellę modo supra solem, modo infra, modo ad vnam, modo ad aliam partem; vt de Venere, Mercurio, & Marte obseruarunt Aliqui Mathematici: atqui hoc fieri non posset, si prędictę stellæ essent in Cœlo solido fixæ: ergo. ¶ Respondetur quòd prędicta varietas stellarum quando contingit, prouenit ab Epicyclis, qui proprios, & distinctos motus habent à motu Cęli, cui insunt.

DVBIVM QVINTVM

Quot sint Cœli, quem situm seruent inter se, & quam figuram habeant?

44. Circa numerum Cœlorū communis opinio docet, orbes cœlestes esse plures, & colligitur ex Sacra Scriptura, quæ multis in locis in numero plurali de Cęlo loquitur; psal. 148. *laudate eum Cœli Cœlorum, & omnia quæ super Cœlos sunt*. Eccles. 24. *Ego feci, quòd in Cœlis oriretur lumen indeficiens*. Ad Ephes. 4. *Ascendit super Cœlos Cœlorum*. Colligitur etiam ex motu stellarum, & planetarum: Nam planetæ in suo motu

motu nec ullum inter se, neque cum stellis ordinem seruant. Ex priori sequitur, non esse in eodem orbe, sed in diuersis. Ex posteriori verò nō esse in eodem orbe cùm stellis. Et ex vtroque plures esse orbes cœlestes. Difficultas est in assignando, quot sint? Nam aliqui volunt, esse tres, alij nouem, & alij vndecim.

45. Dico primò, Dari septem spheras, quibus septem planetæ affixi sunt. Fundamentum potissimum huius assertionis est, diuersi motus planetarum, qui continua obseruatione cognoscuntur: nam septē planetæ aliquando inter se separati conspiciuntur, & aliquando viciniores, vt in sole, & luna cunctis est manifestum: ergo necesse est, vel esse orbes distinctos, vel esse affixos diuersis orbibus, in quibus moueantur; quia repugnat in eodem hanc diuersitatem reperiri.

46. Dico secundò, Præter has septem spheras dari octauā pro stellis fixis, quæ propterea motu eius mouentur. Et probatur, quia de eis constat, distare plus à terra, quam planetas: ergo sphæra, cui insident, est distincta à sphæris planetarum.

47. Dico tertiò, Vltra has cœlestes sphæras dari nonam, quę Celum empyreum vocatur, estq; sedes Beatorum. Ita Magister in 2. dist. 2. D. Th. ibidem, & 1. part. q. 61. art. 4. & q. 66. art. 3. Alensis 2. part. q. 51. memb. 1. Albert. Magn. in tract. de quatuor coæuis quæst. 4. art. 2. & communiter Theologi, quorum sola auctoritate hæc conclusio probatur, quia superiores substantias, quales sunt cœlestes sphæræ, non possumus à priori cognoscere, cum sint naturæ superioris, nimisque à nobis distantes, & alterius conditionis à sublunaribus; sed solùm à posteriori per motum, vel effectum: motum verò huius corporis; immo neque vllum effectum sumus experti: ergo nulla ratione à priori, nec à posteriori ostendere possumus, quòd Celum empyreum sit in rerum natura, sed sola auctoritate Theologorum.

48. Dices: Si daretur Cœlum empyreum, esset corpus lucidum, vocatur enim empyreum, id est, igneum, non à calore, sed ab eximia luce, qua pollet: si autem eximia luce ex propria natura splendet, cur non inspicitur à nobis, nullus enim illud vidit: ergo signum est, quòd non datur. ¶ Aliqui respondent, causam huius esse, quia octauum Cœlum sua densitate impedit, ne Cœlum empyreum videatur à nobis. Alij verò dicunt rationem esse, quia solùm ex parte interna diaphanum est, ex parte verò externa nos respiciente, nimis densum, & hanc densitatē impedire, ne nos illud videamus. Alij denique tenent, causam esse, quia lux eius perfectissima excedit vim nostræ potentiæ visiuæ, & cum solis oculis corporis gloriosi proportionem habet.

49. Dico vltimò, Præter assignatos non dari alios Cœlos; & consequenter Cœli sunt tantùm nouem. Assertionē hāc latè probat P. Ruuius lib. 2. de Cœlo cap. 5. q. 2. ad quem remitto lectorem. ¶ Contra has conclusiones obijci solet illud D. Pauli, quòd raptus fuerit vsque ad tertium Cœlum, vbi vidit diuinam essentiā. Ex quo videtur colligi, Cœlos esse tantùm tres. Respond. quòd Cœlùm empyreum appellatur tertium Cęlū comparatione æthereæ regionis ex octo Cœlis mobilibus conflatæ, quę vnum per aggregationem Cœlum appel-

appellari potest, & aereę, quæ vna cum toto interuallo, quod est vsque ad concauum lunæ, dici potest alterum, patet enim ex scriptura, aerem appellari nonnumquam Cœlum vt psal. 8. *volucres Cæli*, hoc est, aeris, *& pisces Maris*.

50. Quæres; quot sint stellæ Firmamenti? Astrologi dicunt esse mille viginti duas; quod verum est, si intelligatur de illis, quæ facilè, & quouis ãni tempore notari possunt, nam quæ facilè designari nõ possut, sunt multo plures, vt colligitur ex sacris literis. Genes. 15. *suspice Cælum, & numera stellas si potes.* & cap. 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo sementuum, sicut stellas Cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris*. Quæ & similia loca maiorem procul dubio stellarum numerum conuincunt. Astronomi stellas firmaméti à se perspectas diuidunt in quadraginta octo constellationes, seu imagines, vt sic faciliùs stellæ per partes distinctę possint designari, in quibus pręcipua sunt duodecim signa cœlestia splendentia in zodiaco: constellatio autem est certus stellarum numerus, effigiem animalis alteriusue rei repræsentans; de quibus imaginibus quamplura Astronomi, & Iudiciarij dicunt.

51. Ordo verò, quem secundum situm seruant inter se Cœli, est, vt infimum sit Cęlum lunæ, secundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum firmamentum, & nonum empyreum.

52. Sed quæres; An Cœli quo eleuatiores sunt, eo nobiliores sint? Dico primò, inter orbes cœlestes eundem esse ordinem perfectionis, ac situs. Et probatur quia idem ordo, qui reperitur inter ea, ex quibus constat superior mundus, nempe angelicus & inferior, nempe elementaris, reperiri debet inter ea, ex quibus constat mundus medius, nempe cœlestis: sed inter ea, ex quibus componitur mũdus angelicus, & inter ea, ex quibus componitur elementaris, idem est ordo situs, & perfectionis: ergo idem etiam esse debet inter corpora cœlestia. Probatur minor, quia suprema Hierarchia in ordine, est etiam perfectione suprema, & eodem modo media, & infima apud D. Dionysium cap. 6. cœlestis Hierarchiæ, & apud Aristotelem 4. physic. tex. 49 idem est ordo situs, & dignitatis inter elementa: nam ignis situ excellens est omnium perfectissimus, & sicut terra obtinet infimum locum, sic etiam est omnium imperfectissima.

53. Dico secundò, inter astra non esse eundem ordinem situs, & perfectionis. Nam de singulis stellis fixis certum omninò est, nobilitate vinci à quacumque planeta, vt ostendunt nobiliores effectus, quos planetæ edunt, & quos nemo concedit singulis stellis firmamenti, & tamèn istæ situ excellunt omnes planetas. Rursùm inter ipsos planetas Sol est perfectior omnibus alijs; nàm cùm ex effectuum nobilitate mensurari debeat nobilitas causę, sequitur astrũ solis, à quo emanant tot nobilissimi, & vniuersales effectus, primum nobilitatis locũ obtinere intèr astra omnia, planetas omnes, omniaque cęlestia corpora: sed constat, non habere supremum situm: ergo intèr astra non est idem ordo situs & dignitatis.

54. Dices: videtur dissonum propriæ nobilitati, quòd perfectior planeta non collocatur in perfectiori

loco

loco. ❡ Resp. quòd bene potuit perfectior planeta in loco inferiori collocari, absque præiudicio suæ nobilitatis, quia partes ex propria natura ordinãtur ad perfectionem, & bonũ totius, cuius gratia fiunt, & fiunt quidem propter operationem propriam, vt per eam ipsum totum perficiant. Ergo talis situs debetur cuique planetæ in vniuerso, qualis congruit exercitio propriæ operationis. Multitudo autem, varietas, & excellentia operationum solarium, quasi medium locũ postulat in vniuerso: nam si superiorem haberet, nec illuminare, neque suo calore fouere posset sublunaria corpora, sed remisse quidem, propter nimiam distantiam, quare frigescerent omnia, & caloris defectu perirent.

55. Dices secundò; Astra sunt eiusdem naturæ cum suis orbibus, vt docet Aristoteles lib. 2. de Cœlo cap. 7. Ergo si inter orbes cœlestes idem est ordo situs, & perfectionis, idem etiam erit inter ipsa astra. ❡ Resp. negando antecedens, quia vnicum principium differnendi à posteriori diuersas rerum naturas, & essentias, est diuersitas propriorum accidentiũ & effectuum, quod maximè vim habet in corporibus simplicibus: quilibet autem planeta habet accidentia propria, distincta ab accidentibus orbis, cui insidet, & diuersus effectus tribuitur illi: ergo distinguitur essentialiter à suo orbe; & ita tenet D. Th. hic lect. 10. Aristoteles autem loquitur de identitate generica stellarum cum suis orbibus, solùm enim contendit, eas non esse naturę sublunaris, sed cœlestis.

56. Denique circa figuram, quam habent Cœli, dico eam esse rotundam, vt colligitur ex illo Eccles. 1. *Sol occidit, & in locum suum reuertitur, ibique renanscens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, lustrans vniuersa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur* Et ex illo Ecclesiastici 24. *Gyrum Cœli circuiui sola.*

57 Probatur autem ratione. *Primò* quia sol, & luna mouẽtur tam respectu terræ, quam maris, paulatim ascendentes ab origonte vsq; ad medium Cœlum, deinde ad occasum perueniunt paulatim descendentes, à quo iterum ad ortum circulari motu redeunt: atqui hoc fieri repugnaret, si Cœli, quibus affiguntur non essent figuræ rotundæ: ergo Cœli eam habent figuram. *Secundò*, quia figura rotũda quoad loci occupationem est minima, quoad capacitatem verò internam, est omnium maxima: atqui Cœlum huiusmodi capacitatem habere debuit in ordine ad finẽ, propter quem conditum fuit à Deo: ergo eam de facto habuit. Et *tertiò*, quia figura rotunda est omnium simplicissima, cum contineatur vna tantum linea aut superficie, cetere verò pluribus: ergo conuenire debet inter corpora simplicia perfectissimo: sed inter corpora simplicia Cœlum est omnium perfectissimum: ergo debetur Cœlo.

58. Ob. 1. Illud psalm. 103. *extendens Cœlum sicut pellem*. Et illud Isaiæ 40. *extendit Cælos sicut tabernaculum ad habitandum*: ergo ex scriptura colligitur Cœlos non esse figuræ rotundę. ❡ Resp. & ad primũ locum, quòd cum dicitur, Deum extendisse Cœlum, sicut pellem, non designatur eius, sed facilitas condẽdi illud; & ideo sensus eorum verborũ est, quem D. Augustinus eadem verba exponens lib. de Genes. 2. ad lite-

litteram affert, tàm facilè Deo fuisse Cœlum condere, quàm facilè nobis est, complicatam pellem, quam manu tenemus, extendere. Ad alterum locum dico, quòd in scriptura nomine tabernaculi non significatur figura Cœli, sed officium; quasi dicatur, sicut tentorium, tabernaculũ, vel camera obtegit ingredientes omnes, eos intra se recipiens, eodem pacto Cœlum est quasi operimentum rerũ omnium sub se degentium, & ideo veluti tabernaculum.

59. Ob. 2. Sol, & luna nostris oculis non sub sphærica figura, sed sub plana apparent: ergo non sunt corpora rotunda, sed alterius figuræ, & ex consequenti Cœlum, cui sunt affixa. ℣ Respondetur quòd sol, & luna apparent nobis corpora plana ob nimiam distantiam, propter quam facilè visus decipitur circa figuram; quemadmodum circa magnitudinẽ, nam de vtroque isto sydere iudicat, minoris longe magnitudinis esse, quàm terram, imo quàm turrim, vel aliud corpus apud nos degens.

DVBIVM QVARTVM

An Cœli moueantur, & à quo moueantur?

60. HIC non loquimur de Cœlo empyreo, quod certum est esse immobile, sed de reliquis octo, de quibus dico primò, omnes moueri motu primi mobilis; quod patet experientia, videmus .n. omnes stellas, tàm fixas, quàm errantes, ascendere ab ortu sup a nostrum orizontem, inde pergere in occasum, & rursus in oriente nasci: atque ita intra diem, & noctem, seu spatio 24. horarum integram circũitionem conficere, quam propterea diurnam vocant.

61. Dico secundò, Omnes sphæras infra primum mobile circunduci simul alio motu sibi proprio ab occidente in orientem. Hec etiam assertio probatur experientia; nam notum est, solem, & reliquos planetas non modo non seruare perpetuò eandem inter se cõiunctionem, sed neque eodem semper modo respondere stellis firmamenti: sed vno die coniungi cum certa aliqua stella, aut in aliquo gradu alicuius signi existere, postea ab eo sydere, & gradu distare. Quod plane indicat, inferiores Cœlos vnà cum planetis, quos circumuehunt, ab occasu in ortum remeasse.

62. Dico tertiò, Orbes cœlestes non moueri effectiuè à proprijs formis, sed ab intelligentijs. Prima pars huius assertionis patet, quia si corpora cœlestia mouerentur à proprijs formis, essent viuentia, quandoquidẽ vnum ex maximis signis vitæ est, habere in se principiũ sui motus: atqui cœlestia corpora sunt vitæ expertia, vt suprà ostensum est; ergo. Secunda verò pars probatur, quia principium extrinsecum, à quo effectiuè prouenit motus Cœli, nequit esse corporeum, cum nullum eiusmodi naturaliter sit supra Celum, neque in ipso Cœlo esse queat sine penetratione, viribus naturæ impossibili, siquidem tam ipsum, quàm Cœlum proprijs quantitatis dimensionibus prędictũ foret. A corpore verò aliquo sublunari Cęlum localiter moueri, est merum figmentum. Superest ergo, vt moueatur à substantia aliqua perfecta immuni à materia, & corpore: Hec autem nõ est ipse Deus se solo, quãdoquidem hoc per Angelos prestare optimè potest, cum innumera alia munia, & officia per suas crea-

turas, ipso cum illis concurrente, administrat: quod valde cōgruit ordini vniuersi: ergo id præstat per Angelos, cum non supersit alia substātia spiritualis completa ad id munus exequendum. Angelos vero posse, dubium non est, sunt enim insignis virtutis, & efficacitatis.

63. Quæres primò, An tot sint intelligentiæ motrices, quot orbes cœlestes? Affirmatiuè respondet Aristoteles 12. met. c 8. tex. 47 & ratio est: quia virtus Angeli est finita, & limitata, vt pote ortum ducens à natura finita, & limitata: ergo non valet quemcumque effectum attingere: sed motus omnium cœlestium sphærarum est valde insignis, & multiplex: ergo eidem virtuti adscribi non potest.

64. Quæres secundò, Qua virtute orbes cęlestes moueantur ab Angelis? Respondeo potentiam, qua Angeli mouent Cœlos, esse idem cum intellectu, & voluntate ipsorum, quatenus ad motum referuntur. Ita Capreol. dist. 7. q. 2 art. 1. Soncinas 12 met. quęst. 35. Zumel. 1. part. Mailhat hic, & alij. Quæ est sententia S. Th. q. 16. de malo art. 1. ad 14. & rationem reddit, *quia in Angelo aut Dæmone non est alia potētia, neq; operatio, nisi intellectus, & voluntas.*

65. Quæres tertiò, Quomodo Angeli moueant Cœlos? Aliqui dicunt per impulsū illis impressum; quorū ratio est, quia proprius modus mouendi localiter ab extrinseco, est per impulsum: sed Angelus est motor Cœli extrinsecus: ergo Angelus mouet Cœlum per impulsum. Alij verò volunt, Angelum mobili assistentem non imprimere illi impulsum, sed motum ipsum immediatè. Et hæc opinio est probabilior, quam expressè docet D. Th. de spiritualibus creaturis art. 6 ad 9. dicens: *substantia spiritualis, quæ mouet cęlestia corpora, vnitur eis secundùm moueri tantùm.* Ratio autem est, quia impulsus solùm adstruitur, vt instrumentū mouentis separati à mobili: at Angelus adest sphæræ mouendæ: ergo necessarius non est impulsus. Per quod patet ad fundamentum contrariæ opinionis, Angel⁹ enim ita est motor extrinsecus, vt sit debitè applicatus per suam virtutem motricē ipsi sphæræ cœlesti, & ideo sine impulsu eam mouere potest.

66. Quæres quartò; Quantū tempus cōsumunt orbes cęlestes ad perficiendas suas circuitiones? Respondeo, Primum mobile suam explere circuitionem ab ortu ad occasum spatio vigintiquatuor horarum, vt dictum est; quo motu incredibilis celeritatis secum rapit omnes inferiores globos. Saturnus verò propriū perficit motum ab occasu in ortum annis ferè triginta. Iuppiter item annis ferè duodecim. Mars annis ferè duobus. Sol diebus tercentis sexaginta quinque, horis quindecim, minutis circiter quadraginta nouem, quod spatium annus solaris nuncupatur. Venus, & Mercurius eodem ferè tempore, quo sol suum circulū peragunt. Luna denique suum conficit motum diebus viginti septem, horis ferè octo. Hæc autem omnia longa Astrologorum obseruatione reperta sunt.

DVBIVM SEPTIMVM

An corpora cælestia influant in hæc inferiora?

67. CONclusio est affirmatiua. Et prob. euidentibus experientijs:

tijs: nàm omnes experimur, solem sua luce inferiora corpora calefacere, dealbare ceram, exsiccareq́ lutum, plurésque alios effectus producere, quos non potest, nisi stolidus negare, vel alijs causis tribuere. Videmus etiam solis motum quadripartitam anni distinctionem afferre, quæ duo æquinoctia vere, & autumno, ac totidem solistitia æstate, & hieme complectitur, ac per vicissitudinem calorum, & frigorum rerum generationes, ac corruptiones efficere. Astra item suo congressu, ortuque atq; occasu sub certo quodam aspectu, sterilitatem, vel vbertatem terræ, tranquillitatéq; maris, aut tempestatem causare, & ad morbos inducendos, vel sanandos multum conferre, & ideo plurimum à medicis in eorum curatione obseruari, vt apertè docet Galenus lib. 3. de diebus criticis. Ergo certissimum est, corpora cælestia in hæc inferiora influere.

68 Queres I. Per quid corpora cęlestia influant in hæc inferiora? Est omninò certum, corpora cælestia influere in hæc inferiora per lucem: videmus enim lucē à sole per mediū effusam, non solum illuminare illud, ac reliqua corpora, sed calefacere, & sæpè intensum calorem circa ea producere. Difficultas est, an per solam lucem, vel etiam per alias qualitates operētur. Est duplex opinio, prima sentit per solā lucē agere. Quę probari potest primò testimonio Aristotelis, qui nullam aliam qualitatē, vel rationem agendi præter lucem concessit corporibus cælestibus, in tota sua philosophia: ergo præter mentem eius est, aliam ponere. Deinde prob. ratione; quia talis qualitas non est necessaria, sed pro omnibus effectibus lux sufficit: ergo nō est admittenda, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Prob. antecedens, quia cum lux sit qualitas superioris ordinis, eminenter cōtinet cæteras qualitates inferioris mundi: ergo poterit eas producere, & sic non est necessaria alia qualitas.

69. Secunda verò sententia, quæ est iam communis in scholis, præter lucē admittit alias qualitates in corporibus cælestibus, per quas aliquos effectus producunt. Ita D. Th. lib. 2. de Cœlo lect. 10 & in 2. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 5. Albertus Magnus qu. 1. D. Bonauent. dist. 14. quæst penult. Ferrariensis 3 cont. gent. c 84 Tolet. lib 2. de generat. q. 2. concl. 4. Conimbric. lib. 2. de Cœlo cap. 3. q. 3. Ruuius ibidem q. 2. & omnes recentiores. *Prob. primò*, quia corpora cęlestia generant in vltimis terrę visceribus (quę non potest lux permeare, quia impossibile est, tàm ingentem terræ crassitudinem peruadere) aurū, argentum, & cætera metalla: ergo necesse est eis aliam virtutem, aut influentiam concedere, per quam talē effectum producere valeant. Prob. antecedens, quia in visceribus terræ nulla potest dari virtus sufficiens ad hos effectus producendos longè perfectiores ipsamet terra: ergo ab ea produci non possunt. Sed neq; alia causa inferior excogitabilis est, à qua producantur, vt per se est manifestū: ergo à solis corporibus celestibus generari possunt. *Prob. secundò*, quia corpora cælestia in inferioribus corporibus producunt non solùm calorem, sed etiam frigiditatem, & alias primas qualitates: per solam autē lucem non possunt eas producere. Nec refert si dicas, lucem, inquantum est virtus vnius planetę, producere ca-

lorem, & inquantum est virtus alterius, frigiditatem. Quia nullum est fundamentum distinguendi speciē lucem diuersorum astrorum: ergo eidem luci tribui non possunt effectus specie diuersi, etiam si sit virtus diuersorum astrorum. *Et tertiò probatur*, quia fluxus, & refluxus maris ex communi sententia procedunt à luna, qui effectus, vt docet experiētia, duobus temporibus fit, quibus à luce eius procedere repugnat, videlicet in interlunio, quando eiusdem lunæ facies, quæ mare respicit, lumine destituta est, & luna etiam in altero hemisphærio existēte, nec propterea talis motus aquæ his temporibus remittitur: ergo signum est, non à luce, sed ab alia eius virtute, aut influentia à luce distinctā fieri.

70. Ad Testimonium Aristotelis respondeo, quòd licèt expressè non fecerit mētionem alterius qualitatis à luce, ex his tamen, quæ de influxu cælestium corporum docuit, colligitur, eam tanquam necessariam posuisse. ¶ Ad argumentum concedo luci excellentiam super cæteras qualitates, sed non tantam, vt sua virtute contineat omnes primas qualitates; hoc enim repugnat alicui determinato accidenti.

71. Quæres II. An motus circularis Cęli sit necessarius, vt corpora cęlestia influant in hęc inferiora? Resp. affirmatiuè, & ratio est, quia motus circularis defert virtutes Cęlorum ad hæc inferiora, eas applicans ad corpora, circa quæ operature sunt. Ex quo colligo cum D. Th. hic lect. 4. cessante motu Cœli, naturaliter cessare omnem motum generationis, & corruptionis. Et prob. quia nullū agens potest agere in distans: sed Cœli, si eorum virtus non deferatur per motum in diuersas partes, sunt distantes ab his inferioribus: ergo cessante motu Cęli, nō poterunt ipsi in hęc inferiora influere, nec in ipsis inferioribus aliquis effectus esse. ¶ Confirmatur, quia post Diem Iudicij non erunt generationes, & corruptiones in mundo inferiori: cuius nulla est ratio, nisi cessatio motus Cęli.

72. Quęres III. An corpora cælestia influere possint in intellectum, & voluntatem nostram? Respondeo negatiuè, & probatur; quia corpus propria virtute non potest agere in spiritum: sed Cœlum est corpus, & anima rationalis, eiusque potentiæ intellectus, & voluntas, atque harum operationes, sunt spirituales: ergo non potest circa illas operari, vel influere Cœlum propria virtute. Probatur maior, quia corpus propria virtute nullum potest effectum producere, nisi corporeum; cum debeat proportionari causa, & effectus; & si spiritualem produceret, effectus foret perfectior sua causa: sed spirituale subiectum est incapax effectus corporei in se recipiendi, cum sit ordinis superioris: ergo non potest illum recipere à corpore, nec proinde hoc agere in illud.

73. Probatur secundò quia corpora cœlestia operantur naturaliter, hoc est, ex determinatione ad vnum, & absque electione, vel libertate: ergo si agerent in voluntatem nostram, eam mouendo ad propriam operationem, eius operatio foret naturalis, ac determinata ad vnum, & non libera, nec ex electione: atqui hoc non solùm est cōtrariū fidei, sed euidenti experientiæ: ergo falsum est, corpora cœlestia agere posse in

volun-

voluntatem nostram, vel operationes eius.

74. Quæres IV., An astrologi ex syderum obseruatione futura certò prenunciare possint, quę ex humana libertate dependent? Resp. negatiuè, quia cognoscere huiusmodi futura est proprium solius Dei, iuxta illud Isaiæ 41. *Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus quia dij estis vos.* Et ideo Ecclesia aduersus Astrologos iudiciarios sæpe definiuit, falsas, & commentitias esse tales eorum prædictiones, damnans atque anathematizans iudiciariam facultatē, & eius vsum, vt constat ex 2. part. decretorum ca. 26. per primas quinque questiones, & in Concilio Bracharensi 1. cap. 9. & Toletano 1. in assertione fidei aduersus Priscillianum; & Sixtus V. celebrem constitutionem edidit anno 1586. nonis Ianuarij, & sui Pontificatus primo, quæ incipit: *Cœli & terræ creator Deus*, & cuius titulus est: *Contra exercentes astrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcumque diuinationum genera, librosque de his legentes, ac tenentes.* Quā constitutionem Vrbanus VIII. in Bulla *inscrutabilis* anno 1631. confirmauit, & innouauit. § Ex quo infero primò, non posse planetarios alicuius hominis casus aut fortunam certò cognoscere, nec prænunciare, quia horum plura dependent ex libera voluntate vnius, vel plurium hominum. Infero secundò, non posse eos, qui Physionomicam, aut Chiromantiæ artem profitentur, ex vultu hominis, nec ex lineis manuum, certò cognoscere, aut prenunciare futuros hominis mores; quia quamuis lineæ istæ, vultus, aut aliqua alia corporis dispositio, aliquo modo iudicare possint inclinationem hominis ad hæc vel alia vitia, ad hanc vel illam virtutem, aut manifestare aliquam aliam passionem, semper tamen relinquuntur particulares actus virtutum aut vitiorum in potestate voluntatis eius, ex quibus cum dependeant mores, exitus vitæ, aut successus eius, præcognosci certò repugnat.

IN LIBRVM TERTIVM, ET QVARTVM

De Cœlo.

DISPVTATIO III.

De elementis vt sunt partes Vniuersi.

1. DEfinitur elementum ab Aristotele hic lib. 3. cap. 3. esse *id, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus potentia inest, ipsum verò in specie diuersa est indiuisibile.* Dicitur *id; in quod cætera corpora diuiduntur*, quia corpora mixta resoluuntur in elementa, siquidem ex illis componuntur, & vnumquodq; in ea diuidi, & resolui potest, ex quibus componitur. Dicuntur prę tereà, elementa manere *potentia in mixtis*, quia manent in eis virtualiter, vt explicabitur in libris de generatione. Additur deniquè *indiuisibile in specie diuersa*, quia licèt elementum diuidi possit, non tamen in partes specie diuersas, sicut animal diuiditur in carnem, ossa, &c. quia omnes elementi partes sunt eiusdem speciei.

2. De facto in rerum natura dantur aliqua elementa, quod probatur ex definitione tradita: quia in vniuerso sunt aliqua corpora, quibus omnes conditiones in definitione ele-

elementi positæ conueniunt: ergo in rerum natura concedenda sunt aliqua elementa. Prob. antecedens; nam in carne, vel alio mixto, insunt in potentia terra, aqua, & alia, cùm ibi horum qualitates reluceāt, & in ea prædicta mixta diuiduntur; abeunt .n. dum intereunt, in puluerem, humorem, spiritum, & in partes igneas, quæ quidē elementis respondent, cùm tamen hæc in corpora specie diuersa nequeant diuidi; siquidem eorum partes sunt eiusdem rationis: ergo.

3. Hec autèm elementa sunt tantùm quatuor, nec plura, nec pauciora. Et prob. quia corpora simplicia, quę potentia in mixtis corporibus insunt, & in quæ mixta resoluuntur, sunt tantùm ignis, aer, aqua, & terra, nec est excogitabile aliud, cui conditiones elementi conueniant; his verò quatuor apprimè quadrant, vt per se est manifestum: ergo &c.

4. Terra in medio vniuersi constituta est; quia vniuersi apta dispositio postulat, vt elementum, quod deterioris notę est, iaceat in infimo loco: talis autèm est terrā, vt eius quasi bruta moles, ruditas, obscuritas, & grassities testantur: ergo terra est in infimo loco. Atqui locus infimus est, qui maximè à Cęlo distat: ità verò se habet centrum mundi: ergo in centro mundi constituta est.

5 Quæres I. An terra in medio mundi quiescat? Resp. affirmatiuè; & probatur primò ex illo psalm. 92. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Et ex illo Eccles. 1. *Terra autèm in æternum stat.* Deindè ratione; quia si terra non quiesceret, aut moueretur motu recto, aut circulari: neutrum dici potest: ergo quiescit. Prob. minor, quia si moueretur motu recto, sequeretur terram ascendere, siquidem quidquid à cētro discedit, ascendit: hoc autem non est dicendum, cùm graue natura sua feratur deorsùm. Quod neque moueatur motu circulari, prob. quia is motus aut esset ei naturalis, aut violentus: non naturalis, quia vni corpori simplici vnus dūtaxat motus naturalis competit, terræ autem naturale est descendere: non violentus, quia nullum violentum perpetuum: ergo nullo pacto terra mouetur.

6. Quæres secundò quænam sit causa huius immobilitatis? Resp. causam esse natiuam grauitatē ipsius terræ: hæc .n. cum maxima sit, facit vt terra locum maximè à Cęlo remotum, hoc est, medium mundi appetat, & suo impetu eò feratur, ibiq; fixo conquiescat; nec aliorsum, nisi per vim, educi possit: siquidē oporteret illam quocumque è cētro vergeret, contra naturam ascendere.

7. Aqua verò quamuis natura sua exposceret totā terram tegere, quia elemento minùs graui debetur locus supra aliud grauius; aqua autèm est elementum minùs graue, quàm terra, eò quod sit minùs grassa, minusque habeat de materia; Et ideò prima die creationis globus terrę illa fuit vndiquè coopertus, vt habetur *Genes.* 1. tamen ob animaliū habitationem, præsertim hominum, in vnum locum tertia die reducta est & ex ipsa ac terra vnica sphæra compacta: quod ex eo probatur seu demonstratur, quia aqua & terra in aere dimissæ, sublatis impedimentis per eandem lineam deorsum feruntur, non minùs quàm duæ partes terræ, vt manifesto experimento constat: at hoc nullatenus stare potest,

test, nisi idem esset centrum vtriusq; cùm nequeant diuersa centra eadem via occupari: ergo aqua & terra petunt idem centrum, & eundem globum constant.

8. Cùm autem asserimus, ex terra & aqua componi vnum globum, non loquimur de globo ad geometricam rotunditatem perfecto, & absoluto, cuius nimirùm centrum paribus à circumferentia radijs attingitur: sed de globo, in quo licèt aliquę eminentiæ & cauitates insint; eæ tamen parum momenti afferunt ad magnitudinem globi.

9. Verùm in hac globi inæqualitate explicanda magnum est inter Doctores dissidium. Quidam enim volunt, terram esse altiorem mari, seù superficiē conuexā terræ magis distare à centro mundi, quàm distet superficies conuexa aque. Hanc sententiam tenent Conimbricenses 2. de Cęlo cap. 14. q. 4. art. 2. Ruuius 3. de Cęlo c. 8. q. 3. & alij apud ipsos. Quam probant experientia; *primò* quia videmus flumina prono cursu tendere in mare: hoc autem fieri nō posset, si terra versus mare non esset decliuior, ipsique mare depressiori loco iaceret. *Secundò* quia insulæ nihil aliud sunt, quā eminentiores partes terrę in aqua existentes: atqui in medio maris plures visuntur insulæ: ergo mare non est altius, sed depressius terra. *Et tertiò*, quia certum est, nauem æquali ventorum flatu impulsam, cùm descendit, velociùs ire, promouente eam deorsū natiuo pondere: cùm verò ascendit, tardiùs progredi, reluctante in contrarium grauitate: ergo si mare est altius terra, quoties nauis è portu soluit, cùm ascendat, æquali flatu tardiùs feretur: & è contrario quoties portum petit, quia descendit, celeriùs perget: atqui hoc aduersatur experientiæ: ergo dicendum est, mare non esse altius terra.

10. Alij verò contrario asserunt, aquam esse altiorem terra. Quæ sententia mihi videtur probabilior, & eam sic existimat S. Th. 1. p. q. 69. art. 1. ad 2. & prob. primò ex sacris litteris, in quibus sæpè significatur, aquas esse terra altiores, & non sine miraculo, & Dei imperio cohiberi, ne iterum operiant terram. Prius habetur in psal. 103. *super montes stabunt aquæ*, hoc est, eminentiores erunt montibus, & eos tegent. Posterius verò in psal. 104 *terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* & Prouerb. 8. *legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et Ierem. 1. dicit Dominus, *me non timetis, qui posui arenam terminum mari, preceptum sempiternum, quod non preteribit.* Si autem terra esset eleuatior mari, quid mirum si aquis non operiretur? aut in quo potentia Dei commendaretur? cùm terræ altitudo naturaliter impediret aquæ, ne id faceret.

11. Probatur secundò, quia aqua, cùm sit minùs grauis quàm terra, ex sua natura petit locum superiorem, & non est asserendum Deum contra hanc particularem inclinationem egisse, nisi quantum exigebat bonum vniuersi: ergo quamuis ob huiusmodi bonum congregauerit aquas, ne totam terram operirent, non tamen ità vt eas infra terram depresserit, cùm hoc sit contra naturam illarum, nec bonum vniuersi id exigat.

12. Prob. tertiò, quia tanta aquarum immensitas, quæ totam operiebat terram, in vnum locum congre-

gregari non posset, & manere depressior terra, nisi consumpta multa aquarũ copia: atqui hęc consumptio non extat: ergo ex tali aggregatione aquarum in tumorem aliquem excrescere debuit mare, quo terram superuincat.

13. Prob. quartò, si mare non esset altius terra, non possent aquæ fluminum, quæ à mari originẽ ducunt (iuxtà illud Eccles. 1. *Ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*) montiũ cacumina subire: sed hoc est falsum, cum ex illis eas scaturire videamus: ergo mare est altiùs terra. Sequela maioris probatur; quia aquæ non ascendunt, nisi quantum descendunt: si autèm mare esset depressiùs terra, nullatenus aquæ fluuiales descenderent dũ ab illo procedunt: ergo nec ascendere possũt ad montium supercilia.

14. Ad argumenta autem prioris sententiæ, respondeo ad *primum*, terram secundùm partes eminentiores, è quibus flumina oriuntur, esse altiorem mari quoad partes ipsius depressiores spectato, ideoque prono cursu aquæ in illud tendunt: cum hoc tamen stat: ipsum mare secundùm partes profundiores consideratum, esse superius terra, vt iàm probatum est. Ad *secundum* dico, quòd vbi sunt insulæ, ibi non est tota altitudo maris, quam ipsum habet, vndè licèt ibi mare superetur ab illis montibus, seu insulis, in alijs verò partibus est longè altius. Et ad *tertium* respondeo, mare non ita sensibiliter à terra eleuari, vt circa portum possit depræhẽdi illa maior celeritas, vel tarditas accessus vel recessus nauis, quamuis re vera detur cęteris paribus.

15. Ex dictis colligitur, terrã partim ab aqua tanquam à suo loco naturali, partim ab aere circundari; & vtriusque, idest, terræ & aquæ locum adęquatum esse aerem. Vndè aer est superior terra & aqua, & ignis ipso aere, ità vt proprius & connaturalis locus ignis sit concaũ lunæ. Et probatur, quia ignis purus & elementaris est omnium elementorum leuissimum: ergo supremum inter illa debet occupare locum: aer verò, qui leuitatem habet igni proximã, debet cõsequenter locũ illi proximum occupare, inferiorem tamẽ, quia nõ est summè leuis sicùt ignis.

16. Quæres primò, Vtrum elemẽta in suis locis grauitent & leuitent? Resp. negatiuè: & de elementis extremis patet, quia neque ignis habet quo vlterius ascendat, neque terra quo plùs descendat: ergo neutrum eorum in propria sede conatur ascendere vel descendere, esset enim frustra talis conatus. In vniuersum autem ratio est: quia singula elementa mouentur ad propria loca tãquam ad propriam perfectionem: ergo illis adeptis quiescunt, & optata fruuntur requie.

17. Quæres secundò, An grauitas terræ, & aquæ specie inter se differãt: & similiter leuitas ignis, & aeris? Resp. affirmatiuè, quia grauitas terrę & aquę (& idem est de leuitate ignis & aeris) in diuersa loca natura sua inclinant, nempè grauitas terrę ad centrum vniuersi, & grauitas aquę ad superficiem conuexam terrę: rursùs emanant per se à formis essentialiter diuersis: ergo specie inter se differunt. Et hæc de quatuor libris de Cœlo dixisse sufficiant.

TER-

TERTIA PARS
PHYLOSOPHIÆ NATVRALIS
DE
Duobus libris de generatione, & corruptione.

PROOEMIVM.

1. *CIRCA obiectum adæquatum horum librorum sunt quatuor sententiæ. Prima asserit, esse corpus simplex, seu elementum in quantum moueri potest secundùm formã substantialem vel accidentalem. Secũda tenet, esse generationem, & corruptionem. Tertia dicit, esse corpus naturale, commune ad simplex, & compositum, in quantum est generabile, & corruptibile. Et quarta docet, esse corpus naturale, in quantum habet principium motus ad formam in communi, hoc est, abstrahentem à substantiali, & accidentali. Et hæc est omnibus alijs probabilior, & tenenda.*

2. *Probatur à sufficienti diuisione ex refutatione aliarum. Quia subiectum adæquatum debet formalitèr continere omnia, de quibus in tali scientia per se agitur, & si sit sciẽtiæ partialis, debet contineri formalitèr & per se sub totali subiecto integræ scientiæ: sed nullum aliud habet has duas conditiones preter ens mobile ad formam ita explicatum: ergo hoc solùm erit obiectum adæquatum huius partis. Probatur minor, primò de corpore simplici, quod pro obiecto ponit prima opinio, de quo euidens est non comprehendere omnia, quæ tractantur in hoc opere: in quo agitur per se de generatione, & corruptione omnium corporum, & non solùm de elementis: ergo elementum non potest esse adæquatum obiectum huius operis. Nec etiam comprehendit omnia, quæ tractantur in hoc opere, corpus vt generabile & corruptibile quod ponit pro obiecto tertia opinio, quia ratio sub qua hic agitur de corpore naturali, vniuersalior est, nempè vt habet principium non solùm generationis & corruptionis, sed alterationis, & augmentationis: ergo solùm vt generabile & corruptibile non potest esse adæquatum obiectum. Sed nec generatio & corruptio, quas ponit secunda opinio, quia non continentur directè & per se sub obiecto totius philosophiæ, quod est ens naturale: hæ enim sunt propietates quædam, & accidentia illius, vt per se est manifestum: ergo repugnat esse obiectum huius operis. Vndè sequitur solùm esse ens naturale, vt habet principium motus ad formam, quia in eo tantùm concurrunt duæ illæ conditiones: nam directè, per se, & formaliter continetur sub obiecto totius philosophiæ naturalis, quod est ens mobile, seu naturale; & formaliter continet omnia, quæ quæ in hac parte tractantur.*

IN PRIMVM LIBRVM DE GENERATIONE, ET CORRVPVIONE.

DISPVTATIO I.

De Generatione substantiali.

ARistoteles priùs de generatione, & corruptione egit, deindè verò de alteratione, quem ordinem nos etiam sequimur, & meritò quia non solùm nobilior est generatio, sed ex explicatione eius meliùs intelligitur natura alterationis.

DVBIVM PRIMVM.

An Generatio substantialis detur?

1 COnclusio est affirmatiua, quã docet Aristoteles hic cap. 3. & cùm eo tota eius schola peripatetica. Prob. supponendo priùs duo lib. 1. physic. iam satis demonstrata, & explicata. Primum est, res naturales compositas esse ex duobus principijs distinctis, nempe materia & forma, quorum primum se habet tanquam potentia, aliud verò tanquam actus. Secundum, quòd materia non sit producibilis per generationem, quia est primum subiectum, & ideo à solo Deo producitur ex nihilo per creationem.

2. His positis, conclusionem probo sic: Generatio substantialis est productio substantiæ ex præsupposito subiecto: atqui huiusmodi productio substantiæ ex præsupposito subiecto datur: ergo datur generatio substantialis. Probo minorem; agẽs naturale de facto ex ligno producit substantiam ignis: sed non producit materiam, nam hæc à solo Deo creatur, sed formam, quam ex eius potentia educit, eique vnit: ergo producit substantiã ignis ex præsupposito subiecto, nempe materia. Patet consequentia; quia substantia ignis nihil aliud est, quàm materia, & forma vnitæ: si igitur hæc substãtia producitur ex præsupposita materia, productio ista erit generatio, & sic generatio substantialis de facto datur.

3. Ob: 1. Si daretur generatio substantialis, per eam produceretur substantia: sed substantia per generationem produci non potest: ergo generatio substantialis non datur. Prob. min. Substantia, cùm sit ens simpliciter, non potest produci, nisi ex nõ ente simpliciter, nam vnumquodq; fieri debet ex suo opposito: sed ex non ente simpliciter non potest aliquid generari, quia non ens simpliciter est nihil, & ex nihilo nihil generari potest: ergo substantia nõ est producibilis per generationẽ.

4. Respondeo, quòd non ens simpliciter duobus modis sumi potest; primò vt negatio totius entitatis, secundò vt solùm negat ens in actu: & in prima significatione conuertitur cum nihilo, & verum est, quòd ex non ente simpliciter sic accepto nihil possit fieri per generationem: falsum verò quòd ens simpliciter, hoc est substantia, debet fieri ex hoc non ente simpliciter. In secunda autem significatione concedendum est, quòd ens simpliciter seu substantia debeat fieri ex non ente simpliciter, hoc est ex non ente in actu, sed solùm in potentia quod est materia prima: negandum verò, quòd ex non ente simpliciter sic sumpto nihil possit fieri per generationem.

5. Ob: 2. Nullum agens creatum edu-

educere potest formam de potentia materiæ, vel eam illi vnire: ergo generatio substantialis, quæ consistit in eductione, vel vnione formæ cum materia, non datur. Prob. antecedens; nullum agens creatum potest concurrere ad aliquam actionem, nisi medijs accidentibus; quia substantia creata nō est immediatè operatiua: sed in instanti generationis non sunt accidentia, medijs quibus generans possit educere formā de potentia materiæ, vel illi eam vnire: ergo.

6. Ad hoc argumentū respōdent, qui tenent accidētia recipi in materia prima tanquā in proprio subiecto, in instanti generationis permanere accidentia illa, quæ fuerunt impressa materiæ per præcedentem alterationem; sicut permanet materia in qua sunt: & ideo posse generans illis medijs in eo instanti agere, & opus generationis perficere. ¶ Sed hæc solutio nō est firma, quia solùm tenet, supposita illa opinione de subiecto accidentium: cuius opposita est longe probabilior; vt suo loco ostendemus.

7. Respondent secundò alij, ad rationem physici instrumenti non requiri, quòd in eodem instanti sit, in quo sequitur effectus, vel actio ab eo procedens; sed satis est in tempore immediato fuisse, & tunc aliquid fuisse operatum, ex quo in instanti terminatiuo illius temporis sequitur actio & effectus; qui licèt non dicantur procedere ab eo formaliter, procedunt tamen virtualiter, quia virtute eius, quod immediatè fecit, sequuntur actio & effectus. Exempli gratia semen dicitur instrumentū generātis ad generationē viuentis, quia disponit & organizat, & virtute huius dispositionis & organizationis sequitur eductio formæ de potentia materiæ, vel saltem vnio eius cum materia, & productio totius cōpositi, nec requiritur quòd actu existat in instanti generationis, sed satis est, tempore immediato fuisse, ex quo censetur quasi actu existere, hoc est ita effectum & actionem virtute eius sequi, ac si in eo instanti existeret.

8. Hæc etiam solutio non placet, & difficilè sustineri potest: quia agens nō potest agere nisi per actualem influxum in effectum: non potest autē præstare hunc actualē influxum, nisi actu sit; quia actualis influxus procedit ab entitate agentis, quod verò non existit, non habet entitatem: quare nisi generans actu existat per se, vel per suum instrumentū, non poterit esse causa generationis.

9. Vnde relictis his solutionibus ad obiectionem respondeo, generans per se, vel per suum instrumentum actu existere, & præsens esse, actuq; influere in instanti generationis, quod in generationibus rerum non viuentium satis est manifestum; cùm ignis à quo generatur alius ignis ex ligno, in instanti generationis permaneat, atque etiā calor in eo existens, quo vtitur tanquam instrumento ad generationem: quod verò non permaneat calor, & aliæ dispositiones, quas produxit in ligno per alterationes præcedentes, impertinens est, quia non concurrunt effectiuè ad generationē ignis, sed solùm in genere causę materialis disponendo materiam; & etiam si effectiuè concurrerent, necessarium non esset, quòd in eo instanti permanerent; sed satis est, vt permaneat

neat instrumentum coniunctum, quod est calor proprius ignis, quo medio actio generationis procedit ab igne.

10. In generatione autem viuentium permanet etiam virtus seminalis in instanti generationis, qua media tanquam instrumento generans agit, & producit effectum. Quod vt intelligatur, notandum est ex doctrina D.Th.2. cont.gent.c.57. & cap. 89. atque etiam quæst. 3. de potent. art. 9. & 11. semen duplices partes habere, quasdam grassas, alias verò tenues, & quasi spirituosas, in quibus sunt spiritus quidam similes vaporibus, & in his spiritibus contineri virtutem seminalem: vndè hæ partes seminis distinctæ sunt ab illis, quarum materia organizatur, & disponitur pro introductione animę in ea: & ideò possunt in illas agere per virtutem seminalẽ, quam continent, actione reali, cum distinguantur realiter. Possunt etiã spiritus illi simul cum virtute seminali perseuerare in instanti generationis, & reuera permanent, quamuis corrumpantur reliquæ partes seminis, in quarum materia introducitur anima: permanẽs verò virtus seminalis potest actu cõcurrere ad generationem, & compositum genitum tanquam instrumentum generantis, & consequenter potest actio generationis ab ea procedere in instanti generationis; post eã verò spiritus illi, in quibus residet virtus seminalis, resoluuntur, & pereunt.

DVBIVM SECVNDVM

Quid sit Generatio substantialis?

11. GEnerationis substantialis tres definitiones assignat Aristoteles diuersis locis. Prima habetur 8. lib.physic.cap.7. tex.2. *Generatio est mutatio de non ente ad ens*, seu *de nõ esse ad esse*. Secunda habetur cap. 4. huius libri tex.23. *Generatio est mutatio totius in totũ nullo subiecto sensibili permanente*. Tertia verò cap.5. eiusdem libri tex.25. *Generatio est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*. Et omnes istæ definitiones continent eundem sensum, nam per generationem producitur substantia composita ex materia, & forma, ita vt materia præsupponatur tanquã subiectũ circa quod operatur agens, & sua operatione educit formam de potentia eius, quã ei vnit, & ex tali vnione resultat cõpositum, quod est terminus productus per eandem generationem: & tandem quia materia est ens in potentia, dicitur fieri per generationẽ ens ex non ente, hoc est, ex non ente in actu, vel (quod idem est) ex ente in potẽtia. Et hoc est, quod per omnes istas definitiones explicatur; nam in omnibus dicitur, generationem esse mutationem de ente, vel substantia in potentia, quod est materia carens forma, ad ens vel substãtiam in actu, nempe ad compositum substantiale per eandem generationem productum, quod est ens actu, vel substantia actu. In secunda autẽ definitione dicitur, generationẽ esse mutationem totius in totum, non quia totum fiat per se ex toto; cum notum sit, ex sola materia carẽte forma per se fieri, atque adeo ex non ente; quod euidenter probatur ex eo, quòd si daretur materia separata ab omni forma, in quam ignis posset operari, & inducere propriam formam, produceret alterum ignẽ per veram generationem, & non esset talis

lis generatio mutatio totius in totũ, sed solius materiæ à priuatione formæ ad eandem formã, ex qua simul cum materia totus ignis generaretur. Vndè sequitur, per accidens esse ad generationem, quòd totum fiat ex toto, per se verò, quòd fiat ex materia; sed quia naturaliter materia nunquã est sine aliqua forma, ideò naturali modo fit semper totũ ex toto, nunquam tamen per se: & ideò solùm differt secunda definitio à prima & tertia, quòd istæ explicant id, quod est per se in generatione, illa verò illud etiam, quod contingit naturaliter, & non per se pertinet ad generationem.

12. Quæres: An generatio substãtialis sit essentialiter mutatio? Negatiuè respondent Complutenses hic disp. 2. num. 19. & alij, apud ipsos. Quorum fundamentum est: quia potest dari vera generatio sine mutatione: ergo mutatio non pertinet ad essentiam generationis. Antecedens probant sic: si Deus crearet aliquam materiam sine omni forma, ex qua in eodem instanti educeretur ignis, talis eductio esset vera generatio, cùm sit productio compositi substantialis, non ex nihilo, sed ex materia; & tamen nulla interueniret mutatio, cum materia illa nunquã fuisset sub priuatione prædictæ formæ eductæ: ergo potest dari vera generatio sine mutatione. ¶ Confirmatur, quia nutritio est generatio partialis ex sententia Aristotelis & omnium: sed hæc fit aliquando sine vlla mutatione materiæ: ergo mutatio non est de essentia generationis partialis, & consequenter neque de essentia generationis totalis, quia eadem est ratio vtriusque quantùm ad hoc. Prob. minor, in nutritione, quæ fit ex speciebus sacramentalibus in stomacho corruptis, ad quarum corruptionem Deus creat nouam materiam, cui vnitur anima rationalis in eodem instanti, & per talem vnionem producitur substantia partialis composita ex anima rationali, & noua illa materia; sed absque mutatione eiusdem materiæ: ergo mutatio non est de essentia nutritionis. Prob. minor, quia materia illa nec fit sub alia forma, nec sub priuatione animæ, alioqui duplicem habuisset formam in eodem instanti, vel eandem simul ac priuationẽ eius, quod repugnat: ergo non est mutatio ab vna in aliam formam, nec à priuatione vnius formæ ad eandem formam.

13. Secunda opinio tenet, generationem essentialiter esse mutationem. Et hæc est communior etiam inter discipulos D. Th. & videri possunt Ioannes à S. T. 1. de generat. quæst. 1. art. 1. Mailhat disp. 1. sect. 1. coroll. 3. & alij recentiores Thomistæ. Et videtur nobis probabilior, & iuxta mentem Aristotelis qui semper generationem substantialem definiuit per mutationẽ, vt patet in allatis definitionibus. Et 5. physic. tex. 7. distinguens essentialiter mutationem à motu, dicit: *quæ igitur ex non subiecto est in subiectum mutatio secundùm contradictionem* (hoc est de non esse ad esse) *generatio est*. vbi D. Th. sic ait: *Cùm enim generatio sit mutatio de non esse in esse &c. dicitur aliquid generari, quod ex non esse in esse mutatur.*

14. Prob. deinde ratione, quia tria sunt principia intrinseca generationis, materia, forma, & priuatio; materia tanquam subiectum, forma, & priuatio tanquam terminus *à quo*, & *ad quem*, vt docet, & probat Arist.

lib.

lib. 1. physic. ergo repugnat dari veram generationē sine his: Sed transitus de priuatione ad formam est mutatio: ergo generationi intrinsecum est, esse mutationem substantialem materiæ inter hos duos terminos. Et si dicatur hæc tria principia concurrere ad generationem solùm, vt fit modo naturali ab vna in aliā formam, & ideò hoc tantùm modo esse mutationem, & non essentialiter. Probo hoc esse falsum; quia ex eo sequitur, priuationem non esse principium per se generationis. Quod. n. per se conuenit alicui, debet omnibus eiusdem essentiæ conuenire: ergo si priuatio nō est principiū cuiuscumq; generationis, non erit principium per se: vel si est principium per se, necesse est cuicumq; verę generationi conuenire. Falsitas verò sequelæ constat: quia vt passim docēt Aristoteles, & D. Th. vnumquodq; pōt se fit ex suo contrario, vt homo ex non homine, seu ex priuatione hominis; equus ex non equo, & sic de alijs.

15. Confirmatur, nam si loquamur de generatione, prout naturali modo fit, tunc generatio semper, & necessariò est à forma in formā, quandoquidem materia non potest esse denudata ab omni forma, & nihilominus forma præexistens, & corrūpenda, à qua transit materia, non cōnumeratur inter principia intrinseca generationis, vt communiter docent omnes Philosophi: ergo signū est, priuationem non assignari tanquam intrinsecum principium generationis, solùm prout naturali modo fit, sed etiam secundùm se consideratæ.

16. Ad fundamentum autem cōtrariæ sententię Rubius hic q. 2. negat, ignem illum fieri per generationem, sed per solam eductionem, quę est actio (ait) realiter, & essentialiter distincta, tàm à generatione, quā à creatione. Sed hęc solutio falsa est: nam generatio, & eductio idem sunt cum habeant eundē terminum formalem, nempe substantiam productā ex præsupposito subiecto, actiones autem sumunt speciem à termino formali. Quare ea relicta respōdeo ad argumentum, quòd adhùc in casu posito datur mutatio, quia ad mutationem satis est, materiam pręcedere in aliquo instanti naturæ, & signo rationis priuatam forma, quatenus in illo primo signo facta fuit materia præcisè secundùm suam potentialitatem, & ita tunc non intelligitur habere formam, sed concipitur esse sub priuatione illius: in secundo verò signo producitur forma, & consequenter intelligitur materia transire ab hoc, quod est secundùm se, & in priori signo non habere illā, ad habendam illam in posteriori. Per quod patet ad confirmationem. Vide ea, quę diximus lib. 1. phys. disp. 3. dub. 3.

DVBIVM TERTIVM

Quis sit terminus generationis substantialis?

17. VT intelligatur quis sit terminus generationis substantialis, explicare oportet, quot, & quæ producantur per ipsam generationē. Et in primis certum est, produci formam de potentia materię. Fit etiam vnio substantialis, per quam eadem forma coniungitur materiæ. Et tertiò fit compositum ex materia, forma, & modo vnionis constans. Hoc autem compositum duplex est, nem-

pe

pe natura, & suppositum, vt natura humana, & homo; compositũ, quod est natura, resultat immediatè ex materia, & forma vnitis; suppositum verò non ex his immediatè, sed ex natura ex his constituta, & subsistẽtia tanquàm termino eius. Et hæc quidem omnia fiunt per generationem rerum omnium, excepta generatione hominis, per quam non fit forma, nempè anima rationalis, sed supponitur facta à solo Deo per creationem in eodem instanti; fiunt tamen cætera omnia.

18. Noto secundò, quòd terminus generationis est duplex, vnus *qui* seu *quo*, & est res illa quæ producitur: alius *quo*, & est ille, per quem habet esse eadẽ res producta vt *quod*, prior dicitur terminus *totalis*, posterior verò *formalis*. His positis.

19. Dico primò, Terminum totalem generationis substantialis, non esse formam, nec compositũ ex materia, & forma, sed suppositum. *Prima pars huius assertionis facile suadetur*, quia terminus totalis est ille, qui producitur per generationem: forma autem substantialis non est huiusmodi, vt patet in generatione humana, in qua anima rationalis nõ generatur, sed à Deo creatur. *Secunda verò pars probatur*; quia terminus adæquatus, & totalis generationis substantialis est substantia integra, & perfecta, cum generatio substantialis per se primò tendat ad ponendum à parte rei rem integram, & perfectam in genere substantiæ: sed compositum præcisè ex materia, & forma non habet omne complemẽtum in genere substantiæ, quia sic consideratum, non est adhuc in se subsistens: ergo non erit terminus totalis, & adæquatus generationis substantialis. *Per hanc rationem etiam probata manet tertia pars conclusionis*. Et confirmatur, quia generatio substantialis tendit ad ponendam rem genitam à parte rei: ergo id erit terminus totalis, & adæquatus generationis substantialis, quod est capax existentiæ: sed solùm suppositum, nõ autem natura, est huiusmodi, vt patet: ergo solùm suppositum est terminus totalis, & adæquatus generationis substantialis, non verò natura, seu compositũ ex materia, & forma. Ratio est S. Th. 1. p. q. 45. art. 4. vbi sic ait: *illis propriè conuenit fieri, quibus conuenit esse: quod quidem conuenit propriè subsistentibus*.

20. Dico secundò, Terminum formalem *quo* generationis substantialis partialem, esse formam substantialem, totalem verò naturam, seu compositum ex materia, & forma. Prob. quia terminus formalis *quo* generationis est ille, qui vt *quo* constituit terminum *quod*: sed tàm forma substantialis, quã natura constituunt terminum *quod*, illa quidem per modum naturæ partialis, hæc verò vt significatur per modum formę totalis: ergo vtraque proportionatè ad suam essentiam erit terminus formalis *quo* generationis.

21 Ob. 1. Terminus *quo* debet vt *quo* produci per generationem: sed datur generatio absq; eo quod producatur natura: ergo natura nõ est terminus *quo* generationis. Probatur minor; Generatio Verbi Diuini est perfectissima generatio, vt docẽt Theologi 1. p. q. 27. art. 2. atqui in generatione Verbi Diuini natura nõ producitur, sed eadem est in Patre, & in Filio: ergo datur generatio absque eo quod producatur natura.

¶ Resp. nos non dixisse, naturam vt pro-

productam esse terminum *quo* generationis, sed naturam, vt communicatam supposito genito: in generatione autem Verbi licèt non producatur natura, ea tamen communicatur Verbo genito, in qua communicatione naturæ ratio formalis generationis consistit, ideoq; est vera generatio.

22. Ob: 2. Generatio substantialis idem est ac vnitio formæ cum materia: sed vnitio sumit speciē ab vnione: ergo terminus formalis generationis substantialis est vnio. Et confirmatur, quia si per impossibile agēs naturale educens formam, non vniret illam materię, sed separatam produceret, tunc nulla esset ibidem generatio; siquidem materia nō transiret à non esse formę ad esse sub illa: ergo ratio formalis generationis solū attenditur penes vnionem. ¶ Resp. in primis quòd vnio non specificat, sed specificatur ab extremis. Deinde nego quòd generatio substantialis, idem sit, ac vnitio formæ cum materia; est enim cōmunicatio naturæ supposito genito: communicatio autem naturæ supposito genito non sumit speciem ab vnione, sed ab ipsa natura communicata. Ad confirmationem concedo non interuenire in eo casu veram generationem, sed ideò, quia natura non communicatur supposito, non autem quia ratio formalis, & specifica generationis sumatur penes vnionem formæ cum materia.

DVBIVM QVARTVM

In quonam generatio substantialis subiectetur?

23. OMnes conueniunt, subiectum mutationis in generatione substantiali esse solam materiam primam. Et ratio huius est: quia illud est subiectum mutationis, seu motus quod est subiectum terminorum, inter quos motus versatur: constat autem quòd termini, inter quos versatur generatio, vt mutatio est, sunt forma, & priuatio, & vterque habet pro subiecto materiam primam, nam ipsa est priuata forma substantiali, & ipsa etiam immediatè informatur forma substantiali: ergo ipsa est subiectum huius mutationis, quæ est generatio.

24. Difficultas est de subiecto inhæsionis generationis, sumendo generationem pro actione illa substantiali distincta ab alteratione. Nam aliqui volunt esse materiam primam alij verò compositum genitum. Sed vtraq; hæc sententia mihi displicet: prima quidem, quia generatio est accidens de prędicamēto actionis: ergo debet sustentari à subiecto, in quo inhæret: sed hoc repugnat materiæ: ergo etiam ei repugnat, quòd sit subiectum, cui inhęreat generatio. Prob. minor, subiectum sustentans accidentia debet habere esse: materia autem nullum habet esse nisi à forma: ergo materia ante receptionē formæ nullum accidens sustentare potest. Secunda verò, quia repugnat aliquid esse terminum alicuius actionis, & simul subiectum illius: sed compositum genitum est terminus generationis substantialis: ergo compositū genitum non potest esse subiectum inhęsionis generationis substantialis. Probatur maior. Actio prius existere debet, quàm terminum producat: ergo prius esse debet in subiecto, in quo existit, quàm sit terminus ab ipsa productus: ac proindè repugnat terminū alicuius actionis esse simul subie-

subiectum illius.

25 His igitur relictis opinionibus, Dico subiectum actionis generatiuę esse ipsum generans. Et prob. quia illud est subiectum generationis vt est actio, quod est subiectū actionis: sed subiectum cuiuscumque actionis est agens: ergo subiectum generationis vt est actio, erit ipsum generans. Minor, in qua solùm est difficultas, probatur primò auctoritate Aristotelis; qui 2. de anim. tex 26. asserit, actum esse in eo, cuius est actus. Et 3. lib. physic. tex. 18. & 20. docet, actionem esse actum agentis. Ergo ex vtroque testimonio simul sumpto sequitur, Aristotelem sentire, actionem esse in agente.

26. Deinde auctoritate S. Thomę, nam in 2. dist. 40. q. 1. art. 4. ad 1. sic ait: *Cùm actio sit in agente, & passio in patiente; non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio, cum vnum accidens non possit esse in diuersis subiectis*. Et 2. cont. gent. cap 9. dicit: *Actio, quę non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subiecto, & ideò inter nouem genera computatur*. Et quæst. 7. de potentia art. 9. ad 7. vt ostenderet, quòd etsi actio secundùm modum significandi, & concipiendi significetur, vt ab agente, non in agente: attamen ex parte rei conceptæ semper est in agente, quia est accidens illius: sicut & si relatio significetur, vt ad terminum; attamen re vera est in relato, non verò in termino; concludit his verbis: *Actio ex hoc, quod est actio, consideratur vt ab agente, in quantum verò est accidens, consideratur in subiecto agenti*. Quod etiam prosequitur quæst. 8. sequent. art. 2. & tandem ibidem concludit sic: *Nihil prohibet aliquid esse inhærens, quod tamen non significetur vt inhærens; sicut etiam actio non significatur, vt in agente, sed vt ab agente, & tamen constat, actionem esse in agente*.

27. Tertiò probatur ratione: nam forma, seu actus in eo est, vt in subiecto, cui tribuit suam denominationē realem, quia inhærendo tribuit illā; sed actio denominat agens; ergo est in agente. Nec satis erit, si dixeris, actionem esse formam denominantem extrinsecè agens, & ideò nō esse necessarium, quòd sit in illo. Nam contra est: quia omnis forma denominans extrinsecè aliquid subiectū, debet aliud intrinsecè denominare, sed actio nec passo, nec alicui alij subiecto, nisi ipsi agenti, potest denominationem intrinsecam agētis tribuere, vt ex se constat: ergo, &c. Confirmatur, quia actio est actus secundus, mutans intrinsecè ipsū agēs nam per eam transit de potentia ad actum; ergo est intrinsecè in ipso agente, patet consequentia; quia mutatio intrinseca non potest fieri nisi per aliquid intrinsecum.

28. Dices; Esto actio immanens sit perfectio intrinseca agentis, & in illo maneat: at verò actio transiens hoc ipso quòd sit transiens, non manet. Resp. differentiam, quæ est inter actionem transeuntem, & immanentem, non esse quòd hæc maneat in agente, non verò illa: sed quòd immanens ita maneat, vt non producat aliquid in externa materia; actio verò transiens ita manet, vt aliquid producat in illa.

29. Instabis: Actiones diuini intellectus, & voluntatis sunt immanentes, & tamen producunt aliquid in externa materia, nempè creaturas. Resp. actiones diuini intellectus & voluntatis ob suam infinitā per-

perfectionē habere, quòd sint formaliter immanētes, & etiam virtualiter transeuntes,& quatenus virtualiter transeuntes producere ad extra creaturas. ¶ Hæc autem solutio non opponitur doctrinæ traditæ disp. 11. physicæ nu.7. vbi loquutus sum solū de actione formaliter transeunte. Et hac occasione obiter aduerto lectorē, quòd licèt in mea sententia quælibet actio subiectetur in agēte,vt satis ostensum est; ibi tamen ex defectu subiecti intuli, creationem non esse actionem formaliter transeuntem, quia hæc cum sit accidens,debet recipi in aliquo subiecto, non in Deo, quia Deus non est capax accidentis, neque in alio subiecto, quia in creatione nullum datur, cum sit productio rei ex nihilo: ergo (intuli) creatio consistere debet in actione formaliter immanente. Et hæc est vis illius rationis.

DISPVTATIO II.

De corruptione substantiali.

QVia generatio, & corruptio habent inter se aliquem nexum, iuxta illud commune axioma, *Generatio vnius est corruptio alterius*; ideò statim post precedentem disputationem, hanc instituimus de corruptione substantiali.

DVBIVM PRIMVM

Quid sit corruptio substantialis? Vbi etiam alia quæruntur.

1. TItulus dubij supponit, dari corruptionem substantialem in rebus, quod euidens omninò est, suppositis ijs quæ dubio primo precedentis disputationis dicta sunt: quandoquidem non potest noua forma introduci in materia, nisi vetus expellatur: si ergo de facto datur introductio nouæ formæ, debet etiam dari expulsio veteris ab eadem materia. Et solùm quid sit quærit.

2. Vnica conclusio. Corruptio substantialis est transitus materię ab esse sub forma substantiali ad nō esse sub illa. Ita Arist. hìc cap.3, D.Th. ibidē, & omnes communiter. Prob., quia generatio, & corruptio sunt mutationes oppositæ; sed generatio est trāsitus materię à priuatione formæ ad esse sub illa; ergo corruptio erit transitus eiusdē materiæ ab esse formæ ad non esse sub illa. Ex quo habes, mutationes istas esse inter se distinctas; habent enim distinctos terminos *à quo, & ad quem*: vbi autem prædicti termini sunt distincti, sunt distincti transitus, & consequenter distinctæ mutationes.

3. Quæres I., An corruptio substantialis sit mutatio positiua? Est omnino certum, corruptionem substantialem esse veram,& realem mutationem, cùm verè, & realitèr à parte rei materia prima transeat ab esse sub forma ad non esse sub illa. Difficultas est, an talis mutatio sit positiua, vel negatiua; & respondeo esse negatiuam, quia specificatio desumitur à termino *ad quem*; atqui terminus *ad quem* corruptionis substantialis est quid negatiuum, nempè non esse formæ: ergo corruptio substantialis est mutatio negatiua.

4. Quæres II., An corruptio substantialis sit formaliter actio, idētificata cum actione generatiua, ita vt in vna, & cadem entitate generationis, sint duę actiones distinctę formaliter, quarum vna attingit formā, & compositum generandū, alia verò ter-

terminetur ad formam, & compositum corrumpendum? Affirmant aliqui, quia non solùm (aiunt) producere leonem v.g. est agere, sed etiam corrumpere illum: ergo sicut generatio est actio, quæ terminatur ad formam, & compositum genitum; ita corruptio erit vera actio, quę terminatur ad formam, & compositum corrumpendum. Sed hęc opinio est falsa, quia omnis actio est productio alicuius esse: ergo cùm corruptio substantialis non efficiat, sed destruat esse, implicat quòd sit actio.

5. Dico igitur, in actione generatiua non esse formalitatem aliquam, cuius munus sit terminare ad expulsionem formę, & destructionem cōpositi pręexistentis: sed hoc esse effectum secundarium tantùm in genere causæ formalis. Prima pars huius assertionis patet ex ratione facta. Secunda verò suadetur sic: Destructio compositi nihil est aliud, nisi separatio formę à materia: sed talis separatio fit per informationem nouę formæ, nàm ex eo quòd forma adueniens informat materiam, expellitur forma pręexistens: ergo destructio compositi fit in genere causę formalis, vt secundarius effectus in tali genere.

6. Queres III. In quo sensu sit verum, generationem vnius esse corruptionem alterius? Respondeo, generationem vnius esse corruptionem alterius, neq; in sensu formali, neque in sensu identico esse verum, sed solū in sensu causali, vel concomitanti. Hęc responsio habet quatuor partes, & quo ad omnes sigillatim probo, *& primò quoad primam sic*; ad hoc vt in sensu formali prædictum axioma sit verum, ratio formalis vtriusq; debet esse eadem: sed ratio formalis generationis non est eadem, ac ratio formalis corruptionis, cùm generatio sit transitus de non esse ad esse, corruptio verò transitus de esse ad nō esse: ergo prædictū axioma in sensu formali intellectum, est falsum. *Secundò quoad secundam partem*; quia generatio, & corruptio opponuntur inter se: sed quæ inter se opponuntur, nequeunt esse vna, & eadem entitas: ergo generatio vnius identicè non est corruptio alterius. *Tertiò quoad tertiam partem*; quia per generationē introducitur noua forma in materia, & materia non est capax duarum formarum: ergo ad introductionem illius expellitur præexistens; & sic generatio vnius compositi, est causa corruptionis alterius compositi. *Et denique conclusionem probo quoad quartam partem*; quia semper, ac est generatio vnius, est etiam corruptio alterius, cùm hęc sequatur ex illa: ergo predictum axioma optimè intelligi potest concomitanter.

7. Dices: In generatione vermiū ex speciebus sacramentalibus inuenitur vera generatio substantialis, & tamen ibi nulla substantialis corruptio intercedit: ergo predictum axioma in sensu causali, & concomitanti intellectū, vniuersaliter non est verū. Respondeo prædictum axioma non habere locum in omnibus generationibus substantialibus, sed solùm in illis, in quibus materia præsupponitur actuata aliqua forma: in generatione autem vermiū ex speciebus sacramentalibus materia non præsupponitur actuata forma, & ideò ibi nulla intercedit corruptio.

8. Quæres IIII. An generatio sit prior corruptione, vel corruptio generatione? Prima conclusio in nullo

instanti reali generatio est prior corruptione, vel corruptio generatione. Prob. quia si in aliquo instanti reali generatio esset prior corruptione, in illo instanti, in quo esset generatio, & non esset adhuc corruptio, materia esset informata duplici forma, nempe forma genita, & forma corrumpenda: quod quidem implicat. Si autem è contra corruptio in instanti reali esset prior generatione, in illo instanti, in quo esset corruptio, & non esset generatio, materia maneret sine vlla forma: quod etiã implicat. Ergo in nullo instanti reali generatio potest esse prior corruptione, vel corruptio generatione.

9. Secunda conclusio, Loquendo de instãti naturæ, generatio est prior corruptione in genere causę formalis: & corruptio est prior generatione in genere causę materialis. Prob. quia in genere causæ formalis prius est informatio formæ aduenientis, quàm expulsio formæ pręexistentis, nã hęc est effectus secundarius illius. In genere verò causę materialis prius est, materiam esse expoliatam forma præexistenti, quàm quòd forma adueniens recipiatur in illa, quia forma adueniens non recipitur, nisi in materia nude sumpta. Ergo in genere causæ formalis generatio est prior corruptione: & in genere causæ materialis corruptio est prior generatione.

10. Quæres V. An corruptio substantialis sit per se intenta à generãte? Resp. affirmatiuè, & probatur; quia generans per se intendit generare compositũ: ergo per se intẽdit omnia illa, quæ habent necessariàm connexionẽ cùm generatione noui compositi, & quæ necessariò ad illã conducunt: sed corruptio substantialis est huiusmodi, quia non potest generari nouum compositum, nisi corrumpatur præexistens: ergo corruptio substantialis est per se intenta à generante, licèt non intentione primaria, sed secundaria, nam non propter se, sed propter generationẽ intenditur à generante. Vnde licèt secundùm se sit malum, tamen vt cõducit ad generationem noui compositi, secundùm quam rationem intenditur à generante, habet rationem boni.

11. Quæres VI. An corruptio substantialis sit iuxtà inclinationẽ materiæ? Respondeo affirmatiuè, & ratio est: quia materia sublunaris natura sua recipit plures formas successiuè habendas, & in hoc distinguitur à materia cęlesti, quæ tantùm vnica forma satiatur; ergo inclinat in corruptionem vnius, & informationem alterius.

12. Dices 1. Terminus inclinationis materiæ est illud, ad quod inclinat per se appetitus eiusdẽ materiæ: sed appetitus materię solùm inclinat ad introductionem formarum, & nõ ad earum expulsionem, cũ materia respiciat formas, vt possidendas, non vt dimittendas: ergo. ¶ Respõdeo, hanc instantiam solùm probare, materiam non inclinare per se primò in corruptionẽ alicuius formæ, nõ autẽ quòd secundariò in eam non inclinet, quatenus corruptio vnius formę est necessaria ad aliarum acquisitionem, in quas propendit.

13. Dices 2. Materia habet esse à forma, à qua informatur: ergo nõ potest appetere corruptionem illius; aliàs naturaliter appeteret suum non esse. ¶ Respondeo, quòd quia materia appetit suum esse, ideò appe-

tit

tit non esse formæ; nam cùm nulla forma possit ei esse fixum tribuere, nec ipsa remaneat sine esse, propterea appetit aliam, & aliam formam, à qua semper recipit esse.

DVBIVM SECVNDVM.

An in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?

14. Resolutio physico modo accepta, vt accipitur in præsenti, idem est, quòd desitio realis, vel corruptio: vndè sensus dubij, *an in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?* est, an dum corrumpitur compositum substantiale, præter materiam permanentem, cætera omnia desinant esse simpliciter, vel desinant esse in materia, itaut sola, & nuda materia permaneat, in qua noua forma recipiatur; vel aliqua forma substantialis, aut accidentalis perseueret in eadem materia, & maneat etiam in nouo composito? In qua difficultate in tres sententias diuisi sunt Philosophi; nam aliqui volunt, in corruptione substantiali nõ fieri resolutionem omnis formæ substantialis, sed remanere in materia formam corporeitatis, cum qua ipsa materia fuit comproducta, & à qua nunquam denudatur. Alij verò dicunt, in corruptione substantiali materiã denudari omni forma substantiali, sed nõ accidentali, nam in eo instanti dispositiones accidentales perseuerant in materia. Alij denique docent, in corruptione substantiali materiam spoliari omni forma, tàm substantiali, quàm accidentali, & consequẽter fieri resolutionem vsque ad materiam primam. Et hæc est vera sententia, pro qua sit.

15. Prima conclusio. In corruptione substantiali materia prima denudatur omni forma substantiali. Hæc conclusio est contra Scotũ in 4. dist. 1. q. 3. Durandum in 3. dist. 21. q. 2. & omnes illos, qui concedunt materiæ primæ formam corporeitatis eidem coæuam, à qua nunquam spolietur. Prob. tamen efficaciter; quia si in corruptione substãtiali materia prima non denundaretur omni forma substantiali, materia prima in generatione substantiali actuaretur duplici forma substantiali, scilicèt forma illa corporeitatis, quæ remaneret, & forma de nouo producta per generationem: atqui materia prima neque per diuinam potentiam actuari potest duplici forma substantiali, vt lib. 1. physic. disp. 25. dub. 3. iam satis ostensum est: ergo in corruptione substantiali materia prima denudatur omni forma substantiali.

16. Respondent Aduersarij, formam corporeitatis, à qua materia nunquam denudatur, esse incompletam, sicut incompleta est forma de nouo genita, & ideò hæc potest actuare materiam iam actuatã forma corporeitatis, quia solùm duæ formæ completæ non possunt in materia simul esse. *Sed contra*: Forma corporeitatis constituit compositum completum: ergo est forma completa: idem argumentum fieri potest de forma genita: ergo duæ formæ substantiales completæ essẽt simul in materia, quod implicat. Prob. Antecedens, Forma corporeitatis constituit corpus, quod est directè ponibile in prædicamẽto substantiæ; sed quod est directè ponibile in aliquo prædicamento, est ens comple-

pletum:ergo constituit compositum substantiale completum.

17. Deinde;Forma corporeitatis est illa, quæ tribuit gradum corporis: sed gradus corporis tribuitur à forma athoma: ergo in composito substantiali forma corporeitatis non est distincta à forma athoma. Prob. minor, hoc ipso quòd forma ignis vnitur materiæ constituit compositum substantiale materiale:sed compositum substantiale materiale est idem, ac compositum substantiale corporeum: nàm per hoc distinguitur compositum corporeum à spirituali,quòd illud sit substantiale materiale, istud verò substantiale spirituale: ergo forma ignis constituit compositum corporeum:sed nō potest constituere compositum corporeum, nisi tribuat illi gradum corporis:ergo gradus corporis tribuitur à forma athoma: & sic forma corporis non distinguitur ab athoma, & cōsequentèr,cum materia in corruptione substantiali spolietur forma athoma,spoliabitur etiam forma corporietatis, & remanebit denudata omni forma substantiali.

18. Ob.1. ex D.Th.qui in 2.dist. 8. quæst. 5. art. 2. sic ait. *Prima forma, quæ recipitur in materia, est corporietas, à qua nunquàm denundatur*: ergo per D. Thomā materia prima in corruptione substantiali non spoliatur omni forma substātiali.❡ Resp. negando consequentiā,nam D. Th. in adductis verbis solùm vult, quòd quæuis forma priùs prioritate naturæ tribuat esse corporeum, quàm athomum, & quòd qualibet destructa,subsequens semper tribuat prædictum esse,sicut materia prima dicitur nunquàm denudari ab existentia, licèt eam habeat à diuersis formis, quia licèt destructa vna forma amittat esse existentiæ, quod ab ea habebat, acquirit tamèn aliud in eodem instanti per formam subsequētem.

19. Ob.2. Anima rationalis cum sit spiritualis, non potest tribuere gradum corporis: ergo in homine saltem forma tribuens gradum corporis distinguitur ab athoma ❡ Respondeo, negando antecedens, nam licet anima rationalis sit spiritualis, est tamē forma corporis,& corporea vt *quo*, & sic composito substantiali tribuere potest gradum corporis.

20. Ob. 3. Christi corpus mortuum idem fuit, ac viuum, vt colligitur ex illo Ioan. 19. *hic accessit ad Pilatum, vt tolleret corpus Iesu*. Sed non fuisset idem,si materia nō mansisset cum eadem forma corporeitatis,quia variata forma variatur compositum: ergo in corruptione substantiali materia non denudatur forma corporietatis. ❡ Ad hoc argumentum respondent aliqui,Corpus Christi mortuum fuisse idem cum viuo, non quia remansit forma corporeitatis, sed quia materia,quæ informabatur anima Christi,post mortem sine vlla forma mansit vnita hypostaticè supposito Verbi. Sed hæc solutio displicet, tum quia materia sola assumi non poterat ad vnionem hypostaticam,vt verior sententia tenet;tum etiam quia non satisfacit, nam si sola materia māsit post mortem Christi vnita hypostaticè Verbo: ergo non mansit corpus, quod antea erat; siquidem corpus dicit compositum ex materia & forma.

21. Hac igitùr solutione relicta, dico in morte Christi introductam fuisse in materiam formam cadaueris,

ris, ſicut in morte reliquorum hominum fieri ſolet: quæ quidem forma, unà cum materia fuit hypoſtaticè aſſumpta à Verbo. Vnde ad argumentum in forma reſpondeo, diſtinguēdo maiorem: Corpus Chriſti mortuum fuit idem ac viuum, in ratione *ſuppoſiti*, concedo, in ratione *compoſiti*, nego: & eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Itaque Corpus Chriſti mortuum & Corpus Chriſti viuum fuerunt diſtincta compoſita ſubſtantialia propter diſtinctas formas ſubſtantiales, à quibus in eſſe corporis cōſtituebantur; non tamen fuerunt diſtincta ſuppoſita, quia ad multiplicationem nominis ſubſtantiui (quale eſt ſuppoſitum) requiritur multiplicatio formæ: forma autem conſtituens ſuppoſitum, eſt ſubſiſtentia, & ſic niſi multipliciter ſubſiſtentia, non multiplicantur ſuppoſita.

22. Secunda concluſio, in corruptione ſubſtātiali materia prima ſpoliatur omni forma accidentali. Eſt contra Suarez diſp. 14. met. ſect. 3. & alios recentiores. Prob quia ſubiectum proprium & immediatum, cui inhærent accidentia, eſt compoſitū, vt ſuo loco oſtendam: ergo deſtructo compoſito, deſtruuntur omnia accidentia: ſed in corruptione ſubſtantiali deſtruitur compoſitum: ergo in corruptione ſubſtantiali deſtruuntur omnia accidentia, & ſic materia denudata manet omni forma accidentali. ¶ Confirmatur quia materia eſt potentia ſubſtantialis, & primum quod reſpicit potentia ſubſtantialis, eſt actus ſubſtantialis: ergo primum cui vnitur, eſt idem actus ſubſtantialis, quia eo ordine vniuntur actus potentijs, quo ab eis reſpiciuntur. Ex quo ſequitur, in corruptione non manere vllum accidens in materia, quia ſi maneret aliquod, prius materia eſſet ei vnita, quàm formæ ſubſtantiali aduenienti.

23. Ob: 1. Accidentia diſpoſitiua materię in inſtanti generationis manent: quia ſi perirent ſimul cū compoſito corrupto, materia non eſſet diſpoſita ad receptionē nouæ formę, nec determinata ad hanc potius, quā illam, ſiquidem per accidentia determinatur, & diſponitur: ergo in corruptione ſubſtātiali materia nō ſpoliatur omni forma accidētali. ¶ Reſp. negando antecedens, & ad probationem dico ſufficere, quòd prædicta accidentia ſint virtualiter in inſtanti generationis, vt diſponant, & determinent materiam ad receptionē nouæ formæ; Si enim manerent formaliter, & ſecundùm propriam entitatem, potiùs impedirent generationem, quā diſponerent, quia forma adueniens adueniret materiæ iā actuatæ ab illis, ac proindè accidentaliter, & non ſubſtantialiter. Hæc autem permanentia virtualis conſiſtit in ipſa pura, & nuda materia, vt connotante talia accidentia, & non alia; nàm ex eo quòd præceſſerunt hæ diſpoſitiones, ſeu hæc accidentia, & non alia, materia determinatur ad hanc numero formam, & non ad aliam.

24. Ob: 2. In cadauere videmus eandem cicatricem, eundem colorē, & eandem figuram, quæ erant in viuente: ergo in corruptione ſubſtantiali ſimul cùm corruptione compoſiti non corrumpuntur omnia accidentia. Et ſi dicatur, apparere eadē numerò iudicio ſenſus, non tamen eſſe ſic, & ideò ſenſus fallitur, & corrigendus eſt ab intellectu. Contra

hoc

hoc est, quòd sensus circa proprium sensibile debitè approximatum non fallitur: sed in cadauere debite approximato indicat visus eandem numerò permanere cicatricem, eandem numero colorem, eandem numero figuram: ergo hoc indicium non potest esse falsum.

25. Resp. sustinendo solutionem datam, & dum dicitur, sensum circa proprium sensibile debitè approximatum, & cum alijs circumstantijs propositum, non falli, concedendũ est; negandum tamen, quòd identitas numerica, vel diuersitas accidẽtis sit proprium sensibile; quia idem est, quòd accidens sit idem numerò, vel diuersum, ac quòd sit vnum, vel duo: esse autem vnum, vel duo ad numerum pertinet, quem Arist. 2. de anima inter communia sensibilia numerauit. Circa verò sensibilia cõmunia sensus falli possunt, nam si alicui ostendãtur duo oua valdè similia vnum post alterum, facilè iudicabit esse idem. Et ità si sensus indicat cicatricem hominis, & cadaueris eius esse vnam, & eandem, corrigi debet per intellectum iudicantem ex diuersitate numerica subiectorum diuersam numerò esse cicatricem.

26. Si autem quæras, quænam sit necessitas cicatricis ad formam cadaueris introducendam in materia? Breuiter respõdeo, necessitatem esse, quia dum res naturalis corrumpitur, nõ transfert eam natura de extremo ad extremum sine medio, sed per media quædam similia: & ideò dum animal corrumpitur, non statim fit elementum, quia elementum est corpus homogeneum, animal verò ethe. rogeneum: sed succedit animæ expulsæ à corpore alia forma substantialis similis, quæ dicitur cadaueris; hęc verò ex se petit similem organizationem ei, quam habet corpus animalis, quia ex se nata est succedere animæ in corpore: & propterea cicatrix, dum contingit esse in corpore viuo, sequitur similis in cadauere, ne similitudo intenta à natura in forma succedente deficiat ex hac parte.

27. Dices: Non potest assignari causa, à qua producatur. ¶ Resp. negando antecedens; nam causa generatiua cadaueris, consecutiuè producit etiam accidentia illa similia, quia hæc forma cadaueris sine illis similibus accidentibus in materia esse non potest.

28. Instabis: Cum animal frigore consumptum perit, in visceribus eius manet calor naturalis, vt experientia constat: sed ille calor nõ potest produci à generante cadauer: ergo solutio data corruit. Prob. minor, quia causa productiua, seù generatiua cadaueris in casu de quo loquimur, esset frigus: frigus autem non potest producere calorem. ¶ Resp. quòd in prædicto casu licèt forma cadaueris, & alia accidentia producerentur à frigore, calor tamen ille fuisset productus à causa vniuersali, quæ semper supplet defectum causæ particularis, ne natura detrimentum aliquod patiatur.

29. Tertia conclusio, In corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam. Ita D. Th. 1. p. q. 75 art. 6. & lib. 1. de generat. lect. 10. Alensis 4. p. quæst. 57. memb. 4. Ægidius lib. 2. de generat. text. 25. Caiet. de ente, & essent. cap. 7. q 17. Ferrara 4 cont. gent: c. 81. Iauellus 8. met. q. 7. Soncinas ibidem quæst. 9. Capreolus in 2. dist. 13. q. vnic. ar. 3. Bannez lib. 1. de generat. cap. 4. q 10. &

& cæteri Thomistæ, alijque plures. Hęc cóclusio probata manet ex duabus præcedentibus conclusionibus; nam in corruptione substantiali fieri resolutionem vsq;ad materiā primā, nihil aliud est, quàm quòd materia ibi spolietur omni forma, tàm substantiali, quàm accidentali: sed materia prima in corruptione substantiali, ita spoliatur, vt iam satis ostensum est: ergo in corruptione substātiali fit resolutio vsque ad materiam primam.

30. Dices: Ex hac conclusione sequitur, non esse salubrius vesci prętiosis, & delecatis cibis, quàm alijs vilioribus, & magis grassis; quod quidem est contra experientiā. Sequela prob. quia materia in omnibus cibis est eiusdem rationis: ergo si in trāsmutatione substantiali eorum in substātiam aliti nil aliud remanet, nisi materia, non magis proderit vti his, quàm illis cibis, nec magis nutrietur animal per hos cibos, quàm per illos. ¶ Resp. negando sequelam, quia viliores cibi, & magis grassi, dū sub propria specie in stomacho manent, possunt nocere, quia afferunt qualitates dissonas, & nociuas saluti hominis; è contra verò cibi prętiosi, & salutiferi ratione qualitatum benignarum, & humani corporis temperamento magis expediētium, solent, dum sub propria specie in stomacho manent, magis prodesse.

DISPVTATIO III.

De alteratione.

POstquam Aristoteles explicuit rationem generationis, & corruptionis substantialis, iam incipit agere de varijs generationibus accidentalibus, & primò de alteratione, quæ euidenti experientia constat, quò sit in rerum natura, cùm non solùm videamus, sed sensu tactus experiamur ex calefactionibus, & frigefactionibus alterari corpora. Vndè in hac disputatione prætermissa quæstione de existentia, alias excitabimus, in quibus naturam, quidditatem, eiusque diuisionem explicabimus.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit alteratio, an sit motus continuus, & in quas species diuidatur?

1. PRima conclusio, Alteratio est *motus physicus, qui inter contrarias qualitates versatur*. In hac definitione *motus physicus* ponitur loco generis, quia in eo conuenit alteratio cum augmentatione, & alijs motibus physicis; à quibus per cæteras particulas distinguitur, & primò à mutationibus, quæ non versātur inter contrarios terminos, sed contradictoriè, vel priuatiuè tantùm oppositos: alteratio verò eo ipso, quòd versatur inter qualitates contrarias, versatur inter terminos positiuos, quia vera contrarietas inter extrema positiua solùm reperitur. Distinguitur etiam à cæteris motibus successiuis; qui versantur suo modo inter contrarios, & positiuos terminos, ex eo quòd ad qualitatem tendit tanquàm ad terminum *ad quem*; alij verò motus ad quantitatem, vel vbi.

2. Secunda conclusio, Motus alterationis est continuus. Est Arist. c. 4. huius libri, & colligitur euidenter ex principijs ipsius, nam 5. physic. tex. 18. docet, motum propriè dictum, vt distinguitur à mutatione, tres tā-

cùm ſpecies habere, nempe alterationem, augmentationem, & lationem. Et tex. 39. dicit, omnem motum propriè dictum eſſe continuum. Ergo ſecundùm Ariſtotelem motus alterationis eſt continuus.

3. Deindè probatur experientia; nam videmus, manum igni approximatam, magis ac magis calefieri, & calorem ipſum ſentire. Nec dici poteſt, diſcõtinuationem fieri per morulas imperceptibiles; quia ſine efficaci fundamento hoc dicitur, nam interrogo, cur in illis morulis ceſſet agens ab actione, & cur iterum ad illam redeat? nõ enim eſt agens voluntarium, vt pro ſuo arbitrio nunc ceſſet ab agendo, poſtea iterum agat: nec ex parte eius poteſt reddi ratio, nam ſupponitur habere ſemper eandem virtutem, & ęqualem, vel maiorem propinquitatem ad paſſum: nec ex parte paſſi, quia illud eſt idem, & ęque vel magis diſpoſitum: ergo ſine fundamento aſſeritur ab aliquibus, alterationem illam diſcontinuari.

4. Tertia concluſio. Motus alterationis in communi adæquatè diuiditur in alterationem, intenſionem, & remiſſionem. Nomine autem alterationis, quæ eſt primum membrũ huius diuiſionis, non intelligitur alteratio vt eſt quaſi genus ad omnem alterationem ſucceſſiuam; ſed alteratio vt dicit ſpecialem productionem ſucceſſiuam totius qualitatis, quæ antea non erat; nam ſæpiſſimè fit diuiſio generis alicuius in ſpecies, quarum altera propter nominũ penuriam vendicat ſibi generis nomen; vt cùm diuiditur diſpoſitio in habitum, & diſpoſitionem, vbi diſpoſitio retinet nomen generis, licèt ſupra ipſam generis naturam addat differentiam, ſcilicet eſſe facilè mobilem.

5. Hæc concluſio probatur; nam motus alterationis, ſicut cæteri alij ſpecificantur, & multiplicantur penes terminum *ad quem*: ſed terminus *ad quem* alterationis tantùm eſt triplex, ſcilicet qualitas ſecundùm ſuam entitatem, eſſe intenſum, & eſſe remiſſum illius; nec apparet in qualitate alia ratio, per quam poſſit terminare motum: ergo motus alterationis eſt tantùm triplex iam dictus.

6. Ob: 1. Qualitas non poteſt naturaliter produci, niſi vnita, & communicata ſubiecto: ergo producitur vel ſub eſſe intenſo, vel ſub eſſe remiſſo; nam qualitas vnita ſubiecto, non poteſt non eſſe in illo, vel parũ, vel multum radicata: Si primum, erit ſub eſſe remiſſo: ſi ſecundum, ſub eſſe intenſo. Ergo alteratio adæquatè ſolùm diuiditur in intenſionẽ, & remiſſionem. ℟. Reſp. negando priorem conſequentiam; ad probationem dico, quòd intenſio, vel remiſſio non terminatur ad quamcũque radicationem qualitatis in ſubiecto, ſed ad illã, quæ aduenit qualitati iam productæ: & ſiclicèt alteratio, prima ſpecies, producat qualitatem radicatam in ſubiecto, tamen quia eam productã non præſupponit, ſed eſt actualis productio illius, ideò non eſt intenſio, neq; remiſſio. Sicut enim augmentatio eſt motus à minori ad maiorem quantitatem, ita intenſio eſt motus à minori ad maiorem radicationem in ſubiecto; Et ſicut illa ſupponit in ſubiecto quantitatem augendam, ita iſta qualitatem radicandam.

7. Ob: 2. In quantitate non datur motus terminatus ad ipſam entitatem

titatem secundùm se, sed tantùm ad augmentū,& decrementum: ergo similiter in qualitatibus motus alterationis solùm terminabitur ad esse intensum, vel remissum, & non ad qualitatem ipsam secundùm suā entitatem. ¶ Respondetur negando paritatem; nam ideo ad quantitatem secundùm se non datur motus, quia quantitas secundùm se non producitur successiuè; fit enim per resultantiam, quæ est instantanea, & non ex contrario, quod non habet. Ceterùm qualitas (de qua loquimur in præsenti) producitur successiuè ex suo contrario, vt patet in ligno, dum ex frigido fit calidum, tunc enim intercedit ibi verus motus alterationis, quandoquidem fit ex suo contrario, & calefactio illa incipit per vltimum non esse, nec præsupponit calorem productum, sed est ipsa productio caloris.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum motus intensionis solùm detur ad qualitates?

8. EST omninò certum, motum intensionis terminari posse ad qualitates, quia intensio est species alterationis, vnde sicut alteratio est ad qualitates, ita & intensio. Difficultas est, an solę qualitates, vel etiā res aliæ intēdi possint, & remitti? Hoc posterius suaderi potest *primò*, quia inde colligimus qualitates esse intēsas, vel remissas, quia fortius & minus fortiter modò, quàm antea operantur; & ita calor tunc censetur intensior, quando fortiùs calefacit; tūc verò remissior, quando minus fortiter: atqui substantiæ fortiùs & minùs fortiter solent per modum causæ principalis operari in vno tempore, quam in alio: ergo etiam substantiæ erunt intensibiles, & remissibiles. *Secundò*, quia ideo charitas vnius iusti est intensior charitate alterius iusti, quia vnus habet plus de charitate, quàm alius: sed etiam vnū quantum habet plus de quantitate, quàm aliud: ergo vnum quantum est intensius alio. Et *Tertiò*, quia album vt sex magis assimilatur alteri albo vt sex, quàm albo vt quatuor: ergo relatio similitudinis suscipit magis & minus, & consequenter est intensibilis & remissibilis.

9. Nihilominus communis sententia docet, nec substantiam, nec quantitatem, nec relationem esse capaces intensionis, ac proinde eam in sola qualitate inueniri. Ita expressè tenet Philosophus, nam in cap. *de substantia* ponit inter propietates eius non suscipere magis & minus; & de quantitate idem dicit in cap. *de quantitate*, & de relatione etiā docet, quòd non suscipit magis & minus, nisi ratione fundamenti.

10. Probatur primò ratione communi; quia intensio est motus strictè dictus: sed ad ista tria prædicamenta primò & per se non datur motus strictè dictus: ergo neque intensio. Probatur minor, nam substantia cōstat fieri per mutationem, & non per motum, cùm fiat ex materia. Similiter quantitas quando primò producitur, consequitur ipsam generationem sine alio motu; quando autem postea extenditur, admittit motum augmentationis, sed non intensionis. Ad relationem deníque non datur per se motus, solùm n. relatio resultat posito fūdamēto & termino.

11. Probatur secundò in particulari; & de substantia ratio reddi po-

test, quia illa non est in subiecto, latitudo autem intentionis non potest intelligi, nisi in ordine ad subiectum, si enim sit extra subiectum, erit latitudo extensiua nõ intensiua. Quę ratio est quidẽ optima de materia prima, & de quacũq; re subsistẽte vt sic. Tamen de formis substantialibus materialibus, quæ suo modo insunt materiæ, & de eius potentia educuntur, non procedit illa ratio, nam eo modo, quo sunt in materia, poterunt etiã magis radicari in illa, vel magis educi ex illa. Vndè non defuerunt, qui dicerent, formas substantiales elementorum esse intensibiles, & remissibiles.

12. Nihilominus tamen veritas est, huiusmodi formas nõ posse intendi, & remitti: alioquin etiam effectus earum, seu composita ipsa reciperẽt magis, & minus. Sicut enim est magis calidum, quod intensiorem habet calorem, ita esset magis ignis, qui intensiorem haberet formam ignis. Ratio autem huius rei à priori est: quia forma dat speciem: ergo nõ potest non consistere in indiuisibili; si enim id, quod speciem constituit, haberet latitudinem, vel tota illa latitudo requireretur ad constituendã speciem, vel sine tota posset species constitui, etiam si aliquid illius deesset. Si primum, non saluatur diuisibilitas in tali forma, siquidem nõ constituitur species per ipsam eius latitudinem, sed per totalitatem, & consumationem eius, quod vtiq; indiuisibilitatem dicit, vt patet. Si secundum, ergo sine aliqua parte illius latitudinis saluatur species, & sic illud sine quo saluatur, non spectat ad cõstitutionem speciei, neq; est prædicatum quidditatiuum, cum sine ipso quidditas saluetur.

13. De quantitate discreta ratio est euidens; nam cum non possit suscipere magis, & minus, repugnat esse intensibilem, & remissibilem. Vndè sic formo argumentum: Formæ, de quarum ratione est indiuisibilitas, seu indiuisibiliter participare, nõ possunt suscipere magis, & minus: atqui de ratione quãtitatis discretę est prędicta indiuisibilitas, nam si aliquid addas, vel demas à numero ternario verb. gr. destruit illum: ergo quantitas discreta nequit suscipere magis, & minus; ac proindè intendi, & remitti. De quantitate verò continua probatur, quia intensio fit in eadem parte subiecti: quantitas autem cõtinua hoc modo augeri non potest, quia habet partes extra partes non correspondentes eidem parti subiecti: ergo non est capax intensionis.

14. Et denique de relatione probo sic: quia si aliqua relatio susciperet magis, & minus, maximè relatio similitudinis inter duo alba, quorum vnum esset, vt quatuor, & aliud vt sex, in quantum scilicet si hoc remitteretur vsque ad quatuor, fieret magis simile albo vt quatuor, quàm si permaneret vt sex: atqui prædictæ relationes non suscipiunt magis, & minus: ergo nullæ. Maior est *manifesta*, & minorem probo; contra naturam formæ intensibilis est, quòd intendatur absque motu intensionis ad ipsam terminato: atqui in exẽplo posito non datur motus intensionis terminatus ad relationem maioris similitudinis, quę inter illa duo alba intercederet, quippè motus terminatus ad fundamentum (qui solus in præsenti reperitur) non est intẽsionis, sed remissionis ab albedine vt sex ad albedinem vt quatuor: ergo huius-

huiusmodi relationes non sunt intensibiles, & remissibiles.

15. Restat vt respondeamus argumentis contrarijs. Et ad primum dico, substantias nō operari nisi medijs accidentibus, & ita fortior, & intensior modus operandi earum refunditur in accidentia, seu qualitates, vt in principium proximum, in substantiam verò, vt in principium radicale. Et ideò non sequitur, eam esse intra lineam substantiæ intensibilem, & remissibilem, sed esse radicem intensionis, & remissionis accidentium. ¶ Ad secundū respondeo, charitatem non ideò esse intensiorē in vno iusto, quàm in altero, quia vnus habet plus de charitate præcisè quàm alter; sed quia in vno est magis radicata in eadem parte subiecti, quā in altero, quod non habetur in quātitate, & sic licèt vnum quantum habeat plus de quantitate, quàm alterū nō propterea erit intensius illo. ¶ Et ad tertium deniq; concesso antecedenti, negatur consequentia; nam quòd album vt sex magis assimiletur alteri albo vt sex, quàm albo vt quatuor, non prouenit ex intensione relationis, sed ex eo quòd album vt sex diuersam relationem in indiuisibili consistentem sortitur respectu alterius albi vt sex, ac respectu albi vt quatuor.

16. Pro intelligentia huius solutionis noto, album vt sex triplici relatione specie distincta referri ad cętera alba. *Prima* fundata in essentia albedinis, per quam ad omnia alba, siue aliàs intensa, siue remissa, terminatur. *Secunda* fundata in conuenientia in gradu, per quam assimilatur cunctis albis vt sex, & non alijs. Et *tertia* fundata in eodem gradu vt sex, collato cum cæteris albis magis vel minus intensis, quæ eadem relatione dissimilitudinis respicit. Ratio huius doctrinæ est: quoniam sicut ad relationem similitudinis fundatam in ipsa essentia albedinis, requiritur omnimoda conuenientia in essentia illa, ita ad similitudinem gradualem quatenus talem, desideratur omnimoda conuenientia in gradu: vndè quemadmodum ob illam rationem datur duplex relatio specie distincta, vna similitudinis, & alia dissimilitudinis in natura: ita ob eandem rationē dabitur duplex alia relatio specie etiam diuersa, vna similitudinis, & alia dissimilitudinis in latitudine graduali. Et sicut relatio dissimilitudinis in natura est vna, & eadem respectu omnium, à quibus talis natura differt, licèt plus ab vno, quàm ab alio discriminetur; ita vna, & eadem relatio dissimilitudinis in gradu terminatur ad omnia alba non habentia prædictum gradum, licèt magis vel minus ab illo distent. Ex his habetur iàm solutio ad argumentum, & intelligentia nostræ responsionis.

17. Sed contra hanc doctrinam vrgent tria argumenta. *Primò*, quia repugnat, plures relationes eiusdem speciei inesse eidem subiecto: ergo in albo vt sex non datur duplex relatio similitudinis. *Secundò*, quia si per eandem relationem dissimilitudinis album vt sex esset dissimile albo vt quinque, albo vt quatuor, & albo vt duo, eadem relatio dissimilitudinis susciperet magis, & minus: nam album vt sex est magis dissimile albo vt duo, quàm albo vt quatuor; & minus dissimile albo vt quinque, quàm alijs albis. Et *tertiò*, quia relatio in indiuisibili consistens, petit terminum indiuisibilem: ergo albū,

vt

vt sex nequit indiuisibili dissimilitudinis relatione esse dissimile omnibus, ac ferè infinitis albis in gradu illo non conuenientibus.

18. Resp. & ad primum concesso antecedenti negatur consequentia, quoniam licèt prædictæ relationes conueniant in ratione generica similitudinis, differant tamen in ratione specifica, cum vna fundata sit in natura, & altera in conuenientia graduum; ideoq; eidem subiecto inesse possunt. ¶ Ad secundum negatur sequela, ad cuius probationem dico, relationem illam dissimilitudinis nō respicere album vt quinque, album vt quatuor, & album vt duo, formaliter, vt quinque, vt quatuor, & vt duo, sed tantùm vt quid dissimile: magis autem, vel minus dissimile de materiali se habet ad talem respectū; ideoq; nō suscipere magis, & minus. ¶ Ad tertium denique respondetur, album vt sex eadem dissimilitudinis relatione respicere omnia illa alba non conuenientia in gradu per modum vnius termini indiuisibilis, qui est *esse dissimile*: quòd autem in multis talis terminus reperiatur, de materiali se habet. Sicut eadem indiuisibili relatione paternitatis Pater respicit plures filios per modum vnius indiuisibilis, qui est *esse filij*; quod quidem *esse* de materiali est, quòd à pluribus participetur.

19. Quæres: Quænam qualitates sint capaces intensionis? Respondeo, solas qualitates primæ, & tertiæ speciei: non verò qualitates secundę, & quartæ, nisi quatenus aliquid ex alijs speciebus participant. De quarta specie, scilicet figura, ratio est euidens; quia figura est quidam terminus quantitatis: vndè cū quantitas non suscipiat intensionē, nec figura illam suscipiet: maximè cum terminus vt sic postulet indiuisibilitatem. In hac specie ponitur etiam forma, seu pulchritudo, quæ potest intendi, & remitti in quātum constat aliqua passibili qualitate, vt albedine, vel alia simili. De potentia, vt intellectus, voluntas, sensus, & similes, idē patet, quia hę qualitates sunt intrinsecè manantes ab essentia substantiali, ita vt non possint aliter fieri, & ideò participant indiuisibilem entitatem proportionatam essentiæ.

20. Quòd autem qualitates primę, & tertiæ speciei intendi possint, & remitti, probatur, quia in his qualitatibus inueniuntur omnia, quæ ad hanc latitudinem intensiuam sufficere possunt. Nàm omnes illę fiunt, vel saltem fieri possunt per proprias actiones; habent contrarium; & ex vi suarum rationum essentialium nō includunt indiuisibilitatem huic latitudini intensiuæ repugnantem: ergo.

DVBIVM TERTIVM

An intensio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum; an verò per maiorem radicationem eiusdem in subiecto?

21. DE extensione qualitatis ad diuersas partes subiecti certū est fieri per productionem noui gradus, quia alia pars caloris producitur in manu, dùm calefit homo, & alia in pede, vel in brachio. Dubium est de intensione, per quam perficitur qualitas circa eandem partem subiecti, an fiat per additionē noui gradus, vel nouæ partis qualitatis, aut solùm per hoc, quòd ille idem gradus, vel pars, quę priùs fuit producta, ma-

magis radicetur in eadem parte subiecti.

22. Super qua difficultate est duplex opinio, Prima tenet, intensionem fieri, non per solam radicationē, sed per additionem noui gradus, seu nouæ partis qualitatis ad præexistētem. Ita Scotus in 1. dist. 17. q. vlt. Fonseca 5. met. cap. 10. q. 1. sect. 5. Suarez. tom. 2. met. disp. 46. sect. 1. & 3. Vasquez. 1. 2. disp. 82. c. 3. & 4. Ruuius hic tract. 3. q. 5. Noster Spinula disp. 3. sect. 2. Maurus lib. 3. q. 27. & alij plures recentiores. Probatur *primò* auctoritate D. Th. nàm 2. 2. q. 24. art. 4. ad 5. & qu. 1. de verit. art 11. dicit: *proprium voce ignorant qui dicunt qualitatem intendi per radicationem, & non secundùm essentiā.* Ergo vult S. Doctor intensionē fieri non per solam radicationem, sed etiā per additionem nouę qualitatis. *Deindè ratione*; nàm vnio, & inhærentia qualitatis non est diuisibilis, sed semper eadem, quia naturaliter inhæret subiecto, & sic inhæret quātum potest, & tota inhæret: ergo nō apparet quomodo crescere possit ista inhærentia sine additione nouæ qualitatis. *Tertiò*, quia intensio est motus realitèr distinctus à prima productione qualitatis, & est vera alteratio: ergo debet producere qualitatē realiter distinctam à prima. Patet consequentia, quia alteratio est motus ad qualitatem: ergo distincti motus alterationis producunt distinctas qualitates. *Quartò*, quia virtus agendi in qualitate est ipsamet entitas qualitatis, vt virtus calefaciēdi in calore non est aliud, quàm entitas ipsius caloris: ergo maior virtus agendi est maior entitas qualitatis: sed qualitas intensa habet maiorem virtutem agendi, quàm remissa, cùm producat effectus perfectiores, vt patet in calore intenso: ergo habet plus entitatis superadditum per intensionem. *Quintò*, quia gratia sanctificans intenditur in anima iusti per additionem nouæ gratiæ sanctificantis: ergo idem dicendū est de augmento intensiuo aliarum qualitatū, cùm eadē sit ratio in omnibus. Prob. antecedens: id quod aduenit iusto per augmentum gratiæ, reddit illum obiectum congruum maioris dilectionis diuinæ: ergo debet esse noua pars gratiæ sanctificantis, quia sola gratia sanctificans reddit hominem obiectum congruum diuinæ dilectionis. Et *vltimò*, quia si qualitas intensa, & remissa solùm differunt per maiorē radicationem in subiecto, sequitur quòd si separentur à subiecto per diuinam potentiam, non erunt vllo modo distinctæ, quod patet esse falsum. Sequela probatur, quia separatæ à subiecto, non possunt retinere modum actualis inhæsionis, vel radicationis.

23 Secunda verò opinio (quam pro conclusione statuo) docet, per intensionem non produci nouā partem qualitatis, sed præexistentem qualitatem magis radicari in eadem parte subiecti. Magis autem radicari nihil aliud est, quàm magis educi de potentia eius, & perfectiùs ab eo participari. Exempli gratia calor in manu remissus, si intendatur ab igne, intendi non est, nouum aliquem calorem illi aduenire, sed solùm quòd antiquus magis radicatus sit in eadē manu, magis eductus de potentia eius, fortiùsque aut firmiùs ei inhæreat. Est expressa S. Th. in pluribus suæ doctrinæ locis vt in 1. dist. 17. qu. 2. art. 2. & de verit. qu. 2. art. 1. & 2. 2. q. 24. art. 5. & 1. 2. q. 52. art. 2.

ybi

vbi sic ait: *huiusmodi augmentū habituum, & aliarum formarum, non fit per additionem formæ ad formam, sed fit per hoc quòd subiectum magis, vel minus participet vnam, & eandem formam.* Quem sequūtur omnes eius Discipuli, Soncinas 8. met. q. 21. Ianellus quęst. 6. Flandria q. 4. Caiet. & Medina 1. 2. q. 52. art. 2 & 2. 2. qu. 24. art. 4. & 5. Complut. hic disp 4. qu. 9. Ioannes à S. Th. quęst. 4. art. 2. Mazziotta qu. 11. sect. 2. Philippus à Sanctiss. Trinit. qu. 11. art. 5. Mailhat disp. 2. sect. 2. & cæteri Thomistæ, aliique plures.

24. Probatur primò, quia multiplicatio entitatum quantò minor fuerit, tantò est conuenientior naturæ, quæ semper abhorret superflua: ergo si non fuerit impossibile, quòd sine additione nouæ entitatis fiat intensio, asserendum est, intensionem ita fieri de facto: sed impossibile non est, quòd eadem qualitas sine additione nouæ entitatis magis vel minus communicetur subiecto, & per hoc quòd magis vel minus communicatur subiecto, intenditur vel remittitur: ergo intentio de facto ita fit. Prob. minor aliquibus exemplis; nam videmus quòd forma substātialis animæ sine additione nouę entitatis potest se diuerso modo explicare, & vnire materiæ aduenienti per nutritionem, & in vna parte vnum effectum præbere, in alia aliū. Similiter in gratia videmus, quòd vnita vni subiecto, explicat aliquem effectum, v. g. facere filium adoptiuum, quem in alio subiecto, vt in Christo propter incapacitatem personæ facere non potest. Itēm species visibilis in aere nō reddit subiectum informatum intentionaliter, sed solùm entitatiuè, in oculo verò etiam intentionaliter informat sine vlla additione entitatis. Et similia multa alia exempla suppetunt, quæ manifestè ostendunt, eandē formam sine additione entitatiua posse explicare diuersos effectus formales, vel eundem diuerso modo: Ergo nulla est repugnantia, quòd eadem qualitas diuerso modo subiectum actuet, & diuerso modo se explicet in illo secūdùm latitudinem, quam habet.

25. Prob. secundò, ostēdendo intēsionem fieri non posse per additionem nouæ qualitatis, & consequenter fieri debere per maiorem radicationem præexistentis in subiecto sic. Intensio fit in eadem parte subiecti, ad distinctionem augumenti extensiui, quod fit in diuersa parte subiecti: ergo fieri non potest per additionem nouæ qualitatis. Prob. consequentia, quia cum accidentia indiuiduentur à subiectis, impossibile est, duo solo numero distincta esse simul in eadem parte subiecti: sed si intensio qualitatis v. g. caloris fieret per additionem noui caloris, iam duo accidentia solo numero distincta, nempè dicti duo calores, essent simul in eadem parte subiecti: ergo impossibile est, intēsionem fieri hoc pacto. Probatur minor, calor de nouo superadditus realiter distinguitur à præcedenti, cum ei realiter adueniat, & potest prior esse sine posteriori: atqui non distinguitur specie, quia omnes calores sunt eiusdē speciei: ergo solo numero.

26. Nec valet, si respondeas, esse duo accidentia partialia constantia vnum totale. Nam contra hoc est, quòd sicut accidēs totale indiuiduatur à subiecto totali, ità accidēs partiale à subiecto partiali: ergo sicut propter hanc indiuiduationem implicat

plicat duo accidentia totalia esse simul in eodē subiecto totali, ita propter eandem indiuiduationem implicabit, duo accidentia partialia esse simul in eadem parte subiecti; seu in eodem subiecto partiali.

27. Confirmatur: Qualitas de nouo adueniens non potest intendere præexistentem, nisi ei vniatur in eadem parte subiecti: atqui ei vniri non potest: ergo intensionem fieri per additionem nouæ qualitatis est impossibile. Prob. minor, nam vel vnitur ei sicut actus potentiæ; vel per continuationē, sicut vna pars aquæ vnitur alteri: non primo modo, quia duo indiuidua eiusdem speciei non possunt se habere per modum actus & potentiæ inter se: neque secundo modo, quia vniri per continuationē est proprium quantitatis: ergo.

28. Ex dictis facilis est responsio ad argumenta contraria. Et ad primū desumptū ab auctoritate dico, quòd augeri secundùm essentiā apud D. Thomam, non est augeri per additionem, sed per maiorem inhæsionem in subiecto, siquidem ad hoc intrinsecè ordinatur essentia formæ, vt subiectū informet. Vnde loc. cit. ex 2. 2. art. 4. ad 3. postquam dixit, quòd ignorant propriam vocem, qui dicunt charitatem non augeri secundùm essentiā Subdit: *quia nihil aliud est eam secundùm essentiam augeri, quàm eam magis inesse subiecto, quod est magis radicari in subiecto*. ¶ Ad secundum respondeo, inhærentiam qualitatis habere suam latitudinem; & cum dicitur, quòd inhæret naturaliter & quantum potest, distinguo, quantum potest iuxtà exigentiam subiecti & dispositionem, concedo; quantum potest absolutè ex vi formæ, nego. Modus autem maioris radicationis non se tenet ex parte formæ, ita quòd illi addat nouā vim informandi, vt aliqui volunt, quia vis informatiua non est aliquid superadditum formæ, sed ipsa entitas formæ, non enim forma informat, & causat effectum suum formalem per aliquid superadditum, sed per communicationem suæ actualitatis & entitatis. Sed est applicatio de nouo illius formæ, qua modo perfectiori se communicat subiecto, sine qua applicatione forma non dat illum effectum formalem perfectiorem, qui anteà præhabebatur in forma, quia tota ibi erat, sed non explicata totaliter in subiecto. ¶ Ad tertium concedo, intensionem esse motum realiter distinctum à prima productione qualitatis, & quòd per se terminetur ad qualitatem tanquàm vera alteratio; non tamen ad qualitatem entitatiuè, sed ad qualitatem vt explicatam magis, & communicatam subiecto; & in hoc differt intēsio ab alijs motibus, quia in alijs acquiritur aliquid distinctum ab illo, quod inhærat, vt in augmentatione noua pars, in motu locali nouum vbi, in intensione verò qualitas, quæ prius inhærat, solùm radicatur magis, magisq; inhæret subiecto. ¶ Ad quatum, & quintum dico, effectus correspondere formę vt subest tali communicationi & ideò vt aliqua virtus causet nouos effectus, non requiritur additio nouę entitatis, sed sufficit eadem entitas diuerso modo communicata. ¶ Et ad vltimū respondeo, in eo casu qualitates illas esse diuersas propter ordinem ad præteritam radicationem.

DISPVTATIO IIII.

De rarefactione, & condensatione.

DVBIVM PRIMVM.

An per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdatur?

1. Supponimus primò, rarefactionem & condensationē esse in rerum natura, quod euidens experientia nobis ostendit, nam videmus rarefieri aquam, & vapores condensari, dùm illa maiorem extensionem acquirit, quàm prius habebat, & vapores minorem dùm in nubem transeunt.

2. Supponimus secundò, per rarefactionem non acquiri nouā substantiam, nec per condensationem deperdi. Cuius ratio est, quia corpus, quod rarefit, vel condensatur, solùm mutatur accidētalitèr per nouam aliquam extensionem, vel quid simile. Solùm ergo potest dubitari, an mutetur circa quantitatem, ita vt dum rarefit, maiorem acquirat, quàm prius habebat, & dum condensatur aliquam deperdat, & ad minorem reducatur. Et de hoc est dubium præsens.

3. Circa quod est duplex opinio. Prima tenet, non posse rarefactionē fieri sine productione nouæ partis quantitatis; neque etiam condensationem, quin aliqua pars quantitatis præexistentis corrumpatur. Ita Scotus in 4. dist. 22. q. 4. Marsilius 1. de generat. quæst. 15. Herueus quodlib. 2. q. 15. Burridan. 4. physic. ad tex. 84. Toletus ibidem q. 11. & alij. ¶ Secunda verò negat, per rarefactionem produci aliquam partē quātitatis, aut per cōdensationē corrumpi: sed rarefactionem fieri docet per extensionem eiusdem quantitatis præexistentis ad maiorem locum, condensationē verò per contractionem eiusdem ad minorem. Ità D. Th. 4 physic. lect 14. & 1. 2. q. 52. art. 1. ad 1. Durandus in 1. dist. 17. q. 7. num. 12. & in 2. dist. 18. q. 1. Capreolus in 4. dist. 12. art. 3. ad 4. Soncinas 8. met. q. 27. & omnes alij communiter. Et hæc tenenda est, quæ probatur primò, quia si per rarefactionem acquiritur pars quantitatis, & per condensationem deperditur, idem erunt cum augmentatione & diminutione, quia per se terminabuntur ad maiorem & minorem quantitatem: consequens autem est contra Aristotelem, qui semper loquitur de his mutationibus, tanquam de diuersis; Et ratio euidens est, quia augmentatio ex propria ratione semper est coniuncta cum acquisitione nouæ partis substantiæ, & diminutio cum deperditione illius; secùs verò rarefactio & condensatio: ergo.

4. Prob. secundò, quia ex opposita sententia vnum ex duobus sequitur, nempe dari accidens sine subiecto, vel penetrationem corporū; sed vtrumque est naturaliter impossibile: ergo etiam erit impossibile, quòd producatur per rarefactionem pars quantitatis. Probo sequelam maioris; quia non adueniente noua parte substantiæ, inquiro, in quonam subiecto inhæreat pas illa quantitatis de nouo producta? Et si dicas, in aliqua parte substantiæ præexistentis, sequitur dari penetrationem; quia quælibet pars substantiæ habet suam partem quantitatis: ergo non potest nouā partem quantitatis productam

ductam in se recipere, quin habeat duas quantitates, & dabitur penetratio earum. Si verò dicas, non recipi in aliqua parte substantiæ præexistentis; sequitur, non habere subiectum, quia nulla pars substantię de nouo aduenit, in qua recipi possit.

5. Prob. tertiò, quia experientia constat, species sacramentales vini consecrati condensari posse, & condensari aliquando, postea verò rarefieri, & post rarefactionem continere sanguinem Christi, non minùs, quàm ante illam. Si ergo acquiritur noua pars quantitatis in rarefactione, duo sequuntur inconuenientia. Vnum est, quòd per creationem producatur, quia nullum est ibi subiectum, de cuius potentia educatur, & sic fieret ex nihilo. Alterum est, quòd detur quantitas sine subiecto, sub qua non continetur Christus, contra communem modum sentiendi Doctorum. Et probatur; quia Christus non continetur, nisi sub speciebus consecratis: sed pars illa quantitatis de nouo creata, non fuit consecrata: ergo sub ea non continetur Christus: & ideò non potest dari sine subiecto, quia accidentia vini solùm remanent sine subiecto ex vi transubstantiationis, per quam desinit esse substantia vini cōuersa in sanguinem Christi, in qua inhærebant; sed pars illa quantitatis non fuit vnquam in substantia vini definente, tanquàm in subiecto: ergo ex vi desitionis non potest permanere sine subiecto. Ex quibus sequitur, quòd species Sacramentales non possunt naturaliter rarefieri, neque condensari, contra communem modum sentiendi omnium scholasticorum, & contra veritatem ipsam. quia certum est, posse ab agente naturali frigefieri, & calefieri. ergo etiam condensari, & rarefieri.

6. Ob: 1. si per rarefactionem nō produceretur aliqua noua pars quātitatis, quæ per condensationē corrumperetur, sequeretur totam ipsā quantitatem esse simul in diuersis locis, vel aliquas eius partes se penetrare in eodem: atqui vtrumque est falsum: ergo etiam est falsum id, ex quo sequitur. Prob. sequela, quia corpus per rarefactionem extenditur ad maiorem locum, & per condensationem reducitur ad minorē: ergo si permanet eadem quantitas, quando fit rarefactio illa eadem occupabit antiquum locum, & etiam nouum, ad quam extenditur: & quādo fit condensatio, occupabit minorem; quod non videtur intelligibile, nisi quædam partes reducantur ad locum aliarum: quod patet non esse possibile, nisi se penetrentur.

7. Resp negando sequelam maioris; & cum dicitur, quantitatem per rarefactionem occupare maiorē locum, concedendum est, sed negandum quod ex eo infertur, nempe singulas partes quantitatis occupare duplicem locum, videlicet antiquum & nouum, ad quem, se extendunt; hoc .n. sequeretur, si rarefactio fieret sine vlla mutatione loci, ita vt quælibet pars corporis immutata prorsùs occuparet nouam partem, & antiquam loci: non tamen ita fit, sed quælibet extenditur ad nouam partem loci, deserendo antiquā Quomodo autem hoc fiat, explicabitur solutione sequentium argumentorum, & eo explicato cōstabit, ex rarefactione & condensatione non sequi, quòd partes corporis sint in diuersis locis simul, vel se penetrent in eodem.

 8 Ob:

8. Ob 2. extensio partium in ordine ad locũ,est propria passio quantitatis: ergo repugnat ex alia causa prouenire,quàm ex eadem quantitate: sed corpus per rarefactionem acquirit maiorem extensionem in ordine ad locum: ergo acquirit maiorem quantitatem. Prob.cõsequentia,quia sicut extensio non potest procedere, nisi à quantitate, ita maior extensio non potest procedere, nisi à maiori quantitate.

9. Resp. concedendo, extensionẽ partiũ in ordine ad locum esse propriam passionem quãtitatis, & quòd non possit prouenire ab alia causa, nisi à quantitate secundùm diuersos modos, quibus potest se habere in ordine ad locum; & ideo secundùm eos potest correspondere maiori vel minori spatio. Itaque quantitas ex se habet aptitudinem,vt sit actu extensa in loco, & etiam habet aptitudinem, vt sic vel aliter afficiatur in ordine ad locum,& secundùm diuersum modum quo afficitur, diuerso etiam modo se habet ad locum: per raritatem verò ita afficitur,vt partes eius magis sint inter sese distantes,& ideo maiorem habent extensionem in ordine ad locum, & maiori loco correspondent,& per condensationẽ ex opposito sic afficitur vt partes eius magis sint inter se coniunctæ, & minùs distantes, & ideo minori loco vel spatio correspondent. Ex quo intelligitur, non tenere argumentum factum.

10. Ob.3. Causa efficiens vel formalis inuariata, non potest habere perfectiorem effectum: sed extensio partium in ordine ad locum,procedit à quantitate, & ab ea sola,tanquã à causa efficienti vel formali:ergo repugnat, corpus habere maiorem vel perfectiorem extensionem, inuariata quantitate eius.

11. Resp. concedendo, quòd immutata vel inuariata quantitas non possit habere maiorem,vel minorem extensionem ad locum: sed dupliciter variari potest,vel secũdũ additionem partium,vel secundùm diuersũ modum se habendi secundùm easdẽ partes;& ita potest ex vtroque capite variari actualis extensio eius in ordine ad locum,siue procedat ab ea tanquam à causa efficiente, siue tanquam à causa formali:quamuis extẽsio partium vt sic,proueniat ex quãtitate secundùm se considerata, hoc est abstrahente ab his duobus.Exemplum esse potest in calore secundùm probabilem opinionem, quæ dicit, perfectiorem posse effectum producere,si sit in materia densa, quàm in materia rara,quamuis eundem habeat gradum entitatis in vtraque. Quo posito nõ sequitur: calefacere prouenit à calore secundùm se: ergo perfectius calefacere prouenit à perfectiori calore, nisi fortè sumas calorem perfectiorem pro perfectiori extensiuè, & tunc eodem modo se habet quantitas rarefacta.

12. Itaque dico,quòd sicut extensio in ordine ad se, est effectus primarius quantitatis, in ordine verò ad locum,secundarius,ita maior aut minor extensio in ordine ad se, vel in ordine ad locum, est effectus maioris vel minoris quantitatis:quia tamen vna qantitas dupliciter potest dici maior alia, primò entitatiuè, quia scilicet habet plures partes quãtitatis, secundò explicatiuè, quia quamuis non habeat plures partes quantitatis,habet tamen illas beneficio raritatis magis dilatatas & explicatas;ideo maior extensio,seu dilatatio

tio partium, quæ fit in rerefactione, est effectus formalis quantitatis, explicatiuè dumtaxat maioris, seu per raritatem modificatæ & dilatatæ: & sic non est necessarium, quòd per rarefactionem quantitas fiat maior entitatiuè, sed solùm explicatiuè.

DVBIVM SECVNDVM.

An rarefactio, & condensatio per se primo terminentur ad qualitatem, an vero ad nouam extensionem, vel nouam præsentiam localem?

13. NOto, per rarefactionem acquiri nouam extensionem ad locum, & ex consequenti nouam præsentiam localem Et ratio est euidens, nam corpus post rarefactionem maiorem locum occupat, quàm ante illam: ergo maiorem habet extensionem ad locum, & maiori spatio præsens est: sed non potest habere maiorem extensionem ad locum, nec maiorem præsentiam localem, nisi destructis minoribus; cum constet, maiorem extensionem ad locũ, & maiorem pręsentiam esse nouum, atque diuersum modum se habendi in ordine ad locum, vel spatium, incompossibilem cum minori: ergo. Quærit ergo titulus, an extensio localis, vel localis præsentia terminent per se primò motum rarefactionis, vel potius rarefactio per se primò terminetur ad raritatem, quæ sit qualitas, consequenter verò & quasi secundariò terminetur ad extensionem, vel localem præsentiam.

14. Communis & vera opinio docet, raritatem & densitatem esse qualitates quasdam, per quas disponatur corpus ad maiorem vel minorem extensionem, maiorem vel minorem præsentiam localem habendam, vel acquirendam: rarefactionem verò & condensationem esse motus alterationis per se primò tendentes ad has qualitates: maiorem verò & minorẽ extensionem in loco & præsentiam consequi naturaliter rarefactionem & condensationẽ Ita D.Th.1.de generat lect. 14.& 3.p.q.77.art.2.ad 3. quem sequuntur omnes eius discipuli, & alij plures.

15. Probatur vnica & efficaci ratione sic: Rarefactio & condensatio per se primò terminantur ad raritatem & densitatem corporis, vt ex terminis ipsis constat: sed raritas, & densitas non sunt extensio, vel localis præsentia corporis, sed distinguũtur realiter ab illis: ergo raritas, & densitas non terminãtur per se primò adhas, sed tantum secundariò, quia ex raritate & densitate oritur maior, vel minor extensio, ac præsentia corporis rari vel densi in ordine ad locum. Prob. minor: in mysterio Eucharistiæ quædam partes Corporis Christi sunt densiores alijs, aliæ alijs rariores, vt ossa densiora sunt carne, & humores rariores carne & ossibus, & tamen constat, non habere extensionem in ordine ad locum, neque præsentiam localem, sicut nec eam habet ipsum corpus: ergo raritas & densitas reperiuntur sine maiori extensione, ac maiori præsentia locali, ac proinde realiter distinguuntur ab illis.

16. Huic argumento respondent aduersarij, negando quòd partes Christi in Eucharistia existentes, habeant raritatem vel densitatem. Sed immeritò hoc negant: nam Rarum est, *quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus*; Densum verò,

quod multum habet materię sub parvis dimensionibus; vt colligitur ex Aristotele 4. physic. tex. 84. & lib. 7. tex. 15. sed definitiones istæ conueniunt partibus Christi in Eucharistia existentis: ergo ibi habent veram & formalem raritatem,& dēsitatem. Prob. minor; quia euidens est, ossa eius plus materiæ habere, quàm carnem; & iecur plus quàm sanguinem,& reliquas partes; & hoc ex proprio, ac naturali temperamēto, quod in Eucharistia habere,non potest negari,cum habeant suum esse naturale partes istæ:habent etiam sub minoribus dimensionibus;quod sic probo. Partes istæ sic existentes sunt occupatiuæ minoris loci,& minorem occupant in cælo,vbi habent localem extensionem: ergo minores habent dimensiones.Prob.consequētia quia dimensiones per se primò sunt maiores vel minores, non per actualem occupationem maioris loci, sed per aptitudinem, quam euidens est non amittere,etiamsi actuali ordine ad locum careant, ex quibus sequitur,densiores esse alias,alias verò rariores, quia maioris loci sunt occupatiuæ.

17. Vt autem veritas huius sententiæ meliùs intelligatur, declarare oportet, quinam sint effectus formales harum qualitatum. Et breuiter dico, effectum primarium raritatis esse, dilatare partes quantitatis in ordine ad se; secundarium verò in ordine ad occupandum maiorem locum. E contra effectum primarium densitatis esse, comprimere ac restringere partes in seipsis; secundarium verò in ordine ad occupandum minorem locum. Seu:(quod idem est) effectum primarium harū qualitatum esse, constituere partes corporis magis vel minùs explicatas, & dilatatas in ordine ad se; secūdarium verò in ordine ad locum.

18. Ex quo colligitur primò id, in quo decepti sunt auctores oppositæ sententiæ, qui ponentes pro essentia raritatis maiorem extensionē localem, vel maiorem præsentiam: consequenter ad hoc asserunt, rarefactionem & condensationem esse motus per se terminatos ad huiusmodi maiorem vel minorē extensionem, vel præsentiam localem. Quod suppositum à priori probo esse falsū hoc argumento. Priùs intelligitur, quantitatem habere maiorem extensionem partium inter sese, maioremque magnitudinem & molem,quàm intelligatur habere maiorem extensionem in ordine ad locum, maioremq; pręsentiam; nam hæc ex illa oritur, tanquam effectus ex causa: Ergo priùs intelligitur. Sed eo ipso, quòd habet maiorem magnitudinē sine additione nouę partis, intelligitur rarefacta, quia non potest intelligi habere maiorem magnitudinem in se, seclusa additione partis, nisi per rarefactionem: ergo raritas non consistit in maiori extensione locali, sed in alio priori.

19. Colligitur secundò,raritatem & densitatem posse esse in corpore non extenso in ordine ad locum per potentiam Dei absolutam; quia extensio maior in ordine ad locum est effectus,quantitatis rarefactæ, & distinctus ab ea ex natura rei:ergo potest ab ea separari, & separatur de facto in corpore Christi in Eucharistia, existenti cum sua raritate, & densitate naturali, & sine vlla extensione ad locum.

20. Colligitur tertiò, per rarefactionem & condensationem partes cor.

corporis fieri magis & minùs distãtes, quia sic afficiuntur ab his qualitatibus, vt maiorem & minorem explicationem habeant. Quod cerrere licèt in aere & aqua, quibus si duo vasa æqualis mensuræ eis repleantur, constat minorem explicationem partium habere aquam, magisque inter sese coniunctas, quàm aerem.

DISPVTATIO QVINTA.

De Nutritione.

DVBIVM PRIMVM.

An detur nutritio, in quo nam consistat, & vtrum sit actio distincta ab augumentatione?

1. PRima opinio negat, veram nutritionem dari in viuentibus. Quam tenuit Magister sententiarum in 2. dist. 3. duobus vltimis paragraphis, vbi afferit, viuens nunquam acquirere nouam substantiã, sed cum ea, quam accepit per primã generationem conseruari per totam vitam: cibo tamen, vel alimento indigere, nõ vt illud conuertat in propriam substantiam, sed vt sit pabulum, vel fomentum caloris naturalis, circa quod operatur, ne agens circa propriam substantiã viuentis, eam consumat. Per operationem verò caloris naturalis (ait) illud conuerti in excrementa, quæ per virtutem expulsiuam eiusdem viuentis à corpore expelluntur.

2. Fundamentum huius opinionis primò desumitur ab auctoritate; nam Christus Dominus Matth. 5. dicit: *Omne quod in os intrat, in ventrẽ vadit, & in secessum emittitur*, ex quo loco sic formari potest argumẽtum; Quod per secessum emittitur, non transit in substantiam aliti, in quo transitu nutritio consistit: sed omne quod in os intrat, & in ventrẽ vadit, emittitur per secessum: ergo nihil est in alimento, per quod animal nutritur. Secũdò ab incouenienti; quia si alimentum transiret in substantiam aliti, quidquid in animali deperderetur, restaurari posset, sumendo tantum de alimento, quantum de animali fuerit deperditum: atqui hoc est manifestè falsum: aliàs enim animal posset per sumptionem alimenti contra mortem se perpetuò tueri: ergo.

3. Nihilominùs dicendum est primò, dari in viuentibus veram nutritionem. Hæc conclusio est adeò certa, vt contrariam irrationabilem vocet D. Th. 1. p. q. 119. art. 1. nãm euidenti experientia constat, hominem & cętera animalia, partem substãtię, in qua geniti sunt, deperdere per continuam actionem caloris naturalis, quod præcipuè ostenditur, dum grauem aliquem patiuntur morbũ: necesse est ergo substantiam deperditam aliquo modo reparari, vel citò consumi, nullum est autem medium excogitabile, quo possit reparari naturaliter præter conuersionem alimenti in substantiam aliti, quæ verè & propriè est nutritio: ergo necessariò admittenda est. ¶ Confirmatur quoniam quando animal crescit, acquirit nouas partes substantiæ, vel ergo prædictæ partes adueniunt illi per creationem nouæ substantiæ, vel per conuersionem alimenti: non per creationem nouæ substantiæ, vt patet, quia partes illę ab animali naturaliter acquiruntur: ergo per conuersionem alimenti in substantiam aliti

aliti, in qua substantiali conuersione nutritio consistit.

4. Dicendum est secundò, nutritionem consistere in conuersione substantiali, per quam alimentum desinit esse, & materiæ eius vnitur substantialiter anima. Vndè definiri potest, *mutatio substantialis, per quā materia alimenti transit ex priuatione formæ viuentis ad formam ipsam.* Vel *productio partialis substantiæ viuentis ex conuersione substantiali alimenti.*

5. Dicendum est tertiò, nutritionem esse distinctā̄m actionem ab augmentatione. Hęc conclusio est communis inter Philosophos, vt testatur Ruuius hic tract. de augment. q. 2. Probatur autem sic: illi termini, quorū vnus non intenditur propter alium, petunt distinctas realiter actiones: sed termini nutritionis & augmentationis sunt huiusmodi, nam natura alia intentione intendit restaurare partes deperditas, ne scilicet animal pereat, & alia intentione intendit maiorem quantitatem, scilicet vt animal exercere possit perfectè suas operationes: ergo mutatio & augmentatio sunt distinctæ actiones. ¶ Cōfirmatur quia animal semper nutritur, non tamen semper augetur: ergo augmentatiò non est intenta propter nutritionē, nec nutritio propter augmentationem: ac proinde terminus vnius nō potest habere rationem termini secundarij respectu alterius.

6. Restat vt respondeamus ad fundamentum primæ opinionis. Et ad testimonium ex Euangelio dico, sensum illius propositionis non esse, quòd omnes cibi, qui in ventrem vadunt, secundùm omnes suas partes emittantur in secessum; sed quòd ex quocumque cibo aliquid emittatur, nempe terrestre illud atque impurum, quod relinquitur ex ciborū concoctione, atque expurgatione in stomaho facta. Itaque vniuersalis est propositio ex parte ciborum, sed in ordine ad partes eorum est indefinita. Et hæc expositio verborum cōgruit intentioni Christi Domini dicentis, ea solùm coinquinare hominem, quæ exeunt è corde, vt fornicationes, adulteria, &c. non verò ea, quæ intrant per os; cuius rationem reddit, quia omne quod intrat coinquinat hominem, hoc est ratione alicuius impuritatis totum autē quod habet impuritatis cibus intrans per os, eijcitur, atque adeo non coinquinat.

7. Ad secundum respondet S. Th. loc. cit. his verbis. *Dicendum quòd omnis virtus in corpore passibili per continuam actionem debilitatur, quia huiusmodi agentia etiam patiuntur, & ideò virtus conuersiua in principio quidem tàm fortis est, vt possit conuertere non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augumentum: postea verò non potest conuertere nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi, & tunc cessat augumentum: demum nec hoc potest, & tunc fit diminutio: deinde deficiente huiusmodi virtute totaliter animal moritur: sicut virtus vini conuertentis aquam admixtam, paulatim per admixtionem aquæ debilitatur, vt tandem totum fiat aquosum, vt Philosophus exemplificat 1. de generatione.*

* * *

DV-

DVBIVM SECVNDVM.

Quis sit terminus nutritionis? vbi etiam resoluitur, an substantia materialis habeat partes?

8. Circa hanc posteriorem difficultatem, ex cuius decisione pendet resolutio prioris, aliqui Thomistæ volunt, substantiam materialem intra propriam lineam substantię nullas habere partes; & consequẽter negant terminum nutritionis esse substantiam partialem viuentis. Ita inter alios Complutẽses in log. disp. 13. quæst. 3. & lib. 1. de gener. disp. 5. quæst. 3.

9. Hæc tamen opinio semper mihi visa est difficilis; vnde cum communi sententia dico primò, substãtiam materialem intra propriam lineam habere partes. Assertio hæc est S. Th. 1. 2. qu. 17. art 4. in corp. vbi sic ait: *Quæcunque sunt vnum secũdùm substantiam, sunt vnum simpliciter, & multa secundũ quid: sicut totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est vnum simpliciter; nam totum est ens, & substantia simpliciter: partes verò sunt entia, & substantiæ in toto.* Ecce quomodo D. Th. expressè docet, totũ in genere substantiæ cõstare ex partibus integralibus.

10. Respondent Complut. D. Thomam in hoc loco loqui iuxtà sententiã probabilẽ aliorũ, non autẽ iuxtà sententiã propriã. Sed hęc responsio absq; fundamento ponitur, nã quãdo D. Th. vtitur sententijs aliorum, colligitur, vel ex ipso contextu, vel ipse expressè fatetur, & neutrum in testimonio allato inuenitur. Adde quòd si admittatur hic modus explicandi testimonia D. Thomæ, nullum erit firmum ad ostendendam eius mentem.

11. Prob. autem conclusio rationę sic. Quod est diuisibile, habet partes: sed substantia materialis est diuisibilis; quando enim diuiditur panis ver. gr. non solùm diuiditur eius quantitas, sed etiam substantia ad diuisionem quantitatis: ergo substantia intra lineã substantiæ habet partes. ¶ Confirmatur quia illæ res, quarum vna non est alia, inter se distinguuntur: sed in animali ver. gr. substantia quæ est in capite, non est substantia quæ est in pede: ergo in animali substantia quæ est in capite, & substantia quæ est in pede, sunt duæ partes substantiæ totalis eiusdẽ animalis inter se distinctæ. Probatur minor, abscisso pede, abscinditur substantia illius; sed non propterea abscinditur substantia capitis: ergo in animali substantia quæ est in capite non est eadem cum substantia, quæ est in pede: quando enim duo identificantur, ablato vno aufertur, & aliud.

12. Dices; Ex hac ratione, & cõfirmatione sequi solùm, substantiam materialem habere partes substantiales, non tamen ex se, sed vt subest quantitati. Ita Mailhat in libris de anima disp. 4. sect. 3. §. 1. Sed contra est: quia substantia prout actualiter substat quantitati, nihil habet, quod antecedenter ad illam non haberet, nisi effectum formalem eius: sed habere partes intra lineam substantiæ non est effectus formalis quantitatis: ergo si tunc habet partes, eas habebat etiam antea. Prob. minor, quia partes prouenientes à forma accidẽtali tanquam effectus formalis illius, sunt accidentales, & extra lineam substantiæ, sicut, & ipsa forma: ergo

habere partes intra lineam substantiæ non est effectus formalis quantitatis.

13. Cõfirmatur supponendo priùs, quòd Deus separare possit substantiam materialem à quantitate, & eã sine quantitate conseruare (quod nemo rationabiliter negare potest, fieri posse à Deo. Nàm si Deus in Sacramento Eucharistię conseruat quãtitatem sine substantia, quomodo negari potest, posse conseruare substantiam sine quantitate? cum multò maior sit dependentia accidentis à substantia, quàm substantiæ ab accidente) Hoc autem posito sic argumentor. Auferat Deus quantitatem à substantia oceani, & etiam auferat quantitatem à substantia formicæ, & conseruet vtramque substantiam: tũc substãtia oceani esset quid plus, & substantia formicæ quid minus, vt patet: vbi autem datur, plus & minus, datur distinctio partium, quia quod habet plus excedit illud, quod habet minus in aliquo reali: ergo plures partes sustantiæ haberet substãtia oceani, ac habet substantia formicæ: atqui eas non habet formaliter à quantitate, quia vtraq; substãtia supponitur sine quantitate: ergo.

14. Dico secundò, substantiam habere partes intra propriã lineam, prouenire ex eo, quia est radix partium quantitatis. Hæc conclusio sicut & præcedens est Magistri Didaci Ortiz in log. tract. 5. conf. 2 Probatur autem sic: substantia totalis, quia est radix quantitatis totalis, est totaliter substantialiter distincta à qualibet alia substantia totali: ergo quia est radix partium quantitatis, habebit partes substantiales partialiter distinstas. Antecedens pro modo supponitur vt certum, nàm in metaphysica ostẽdam principium indiuiduationis esse quantitatem radicaliter præhabitam in materia. Consequentia verò prob. à paritate, nã m si quantitas totalis præhabita vt in radice in substantia totali, dat totalem substantialem distinctionem, non videtur ratio disparitatis, vt ipsæ partes quantitatis præhabitæ in entitate substantię, non causent distinctionem substantialem partialem.

15. Ex dictis facilis est resolutio prioris difficultatis, scilicet, quis sit terminus nutritionis, Dico enim esse substantiam viuentis prout intra lineam substantiæ habet rationem partis. Ratio autem est; quia in illo priori, in quo intelligitur terminus nutritionis, non adhuc intelligitur quantitas producta per augmentationem, quia productio subiecti semper est prior productione accidentis in eo recipiendi: sed in illo priori substantia viuentis terminans nutritionem est partialis; non enim est totalis, ergo partialis: ergo habet rationem partis non formaliter à quãtitate, sed intra propriam lineã pro vt est radix quantitatis partialis in posteriori naturæ producendæ per augmentationem.

16. Negant Complutenses minorem, & dicunt terminum nutritionis esse substantiam neque vt totalem, neque vt partialem intra propriam lineam; sed vt est potens recipere à quantitate hoc quod est, esse partialem. Sed contra: nàm substantia illa, quæ intra propriam lineam substantiæ vt terminat nutritionem dicitur potẽs recipere à quãtitate hoc quod est esse partem, realiter distinguitur à substantia, quæ præerat in nutrito; quia substantia illa ante nutritionem non erat, substantia verò præexistens

existens erat: sed non distinguitur tanquàm totum & totum intra eandem lineam, vt patet, aliàs enim nutritum non vnum, sed multiplex esset: ergo tanquam pars & pars: ergo terminus nutritionis erit substantia prout intra lineam substantiæ habet rationem partis.

17 Contra has nostras assertiones opponi solent aliqua argumenta, quorum primum desumitur ab auctoritate, nam D. Th. lib 4. cont. gent. c. 67. docet, totam substantiã esse sub tota quantitate, & totã sub qualibet parte. Et 3. part. q.76. art. 1.3. & 4. explicans quomodo corpus Christi sit sub speciebus panis & vini, dicit esse totum in toto & totum in qualibet parte: cuius rationem reddit, quia est per modum substantiæ, cuius est proprius prædictus modus essendi sub quantitate. Ergo D Th. sentit, substantiam intra suam lineam esse indiuisibilem, & non habere partes.

18. Et si dicatur, hoc testimoniũ sic esse intelligendum, quòd tota substantia, id est, tota natura, seu species illius sit sub qualibet parte, v. g. sub qualibet parte aquę est tota species, seu tota natura aquæ, non autẽ tota entitas. Insurgunt Complutenses sic: quia in hoc quòd tota substantia sit sub qualibet parte quantitatis, aliquid proprium substantiæ assignat D. Thomas, pro vt substantia distinguitur à quantitate: at in hoc, quòd tota natura, & species substantiæ sit in qualibet parte conuenit substantia cum quantitate: siquidem tota natura, & species quantitais est sub qualibet parte quantitatis: ergo vt D. Th. assignet aliquẽ modum specialem substantiæ distinctum à modo quantitatis, vt intendit assignare, non debet explicari de tota natura, vel specie substantiæ.

19. Respondetur, quòd quando D. Th. ait, totam substantiam esse in toto, & totam in qualibet parte, debet intelligi iuxta solutionem datam; nàm ipse loc. cit. ex 4 cont. gent. exemplificans suam doctrinam subdit: *sicut tota natura & species aquę est sub qualibet parte aquæ*. Ecce quomodo loquitur de totalitate naturæ seu speciei substantiæ. Et ad impugnationem, dico, doctrinam D. Thomæ sic esse intelligendam, quòd sicut natura & species substantiæ panis erat sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte; ita Corpus Christi succedens substantiæ, est totum in tota hostia, & totum sub qualibet parte, nam sequitur modum illum specificum, quem seruabat substantia panis sub sua quantitate. Diuersitas autem inter substantiam & quantitatem in eo consistit, quòd proprius modus essendi quantitatis est, quòd tota commensuretur toti loco, & partes eius partibus loci: at substãtia habet alium modum essẽdi iam assignatum, qui est ita proprius substantiæ, sicut alter est proprius quãtitatis.

20. Ob. 2. Si substantia haberet partes substantialiter distinctas, non esset vnum per se in genere substantiæ; quia in tali casu essent duo tota substantialia, primum constans ex materia, & forma substantiali, quod dicitur totũ physicum; & aliud constans ex partibus prædictis substantialibus, quod dicitur totum entitatiuum: ex duobus autem totis completis substantialibus non potest fieri vnum per se; siquidem, quod aduenit toti completo substantiali, aduenit accidentaliter: atqui hoc est ma-

ximum inconueniens : ergo.

21. Resp. prædicta tota non distingui realiter, sed sola ratione: etenim entitas materiæ, & entitas formæ cum vnione sunt ipsæ entitates reales, quæ à nobis dicuntur partes substantiales, & istæ sunt ipsa materia, & forma; in quo sola distinctio rationis interuenit, quatenus illud idem realiter totum consideratur vt compositum ex materia, & forma, & sic dicitur totum physicum, & consideratur vt compositum ex illis partibus substantialibus entitatiuis, & sic dicitur totum entitatiuum.

22. Ob. 3. Si substantia haberet partes, ante quantitatem præsupponeretur extensa: sed substantia sine quantitate non est extensa, sed extenditur per quantitatem: ergo substantia non habet partes ante aduentum quantitatis. ¶ Ad hanc obiectionem respondent aliqui, concedendo compositionem illam, quam substantia intelligitur habere ex suis partibus substantialibus, esse extensionem, quia extensio partiũ (aiunt) solùm est, quòd vna non sit alia; sed hoc habent partes substantiæ ante aduentum quantitatis: ergo substãtia ante aduentum quantitatis habet aliquam extensionem. Et ad obiectionem dicunt, extensionem, quam confert quantitas, in hoc consistere, quòd res affecta quantitate, ex vi illius nata est habere extensionẽ partium in ordine ad locum. Sed quid quid sit de hac solutione, meliùs respondeo cum alijs, substantiã habere quidem partes integrantes, non tamen partes extensionis: seu habere partem, & partem, non tamen partem extra partem, sed hoc prouenire à quantitate, nam vt ait D. Th. 1. par. quæst. 14. art. 12. ad 1. *de ratione quantitatatis est ordo partium.*

DVBIVM TERTIVM

An nutritio fiat in tempore, vel in instanti?

23. PRima opinio asserit fieri in instanti, itaut tempore aliquo disponatur materia alimenti per alterationem successiuam à calore naturali, & in instanti terminatiuo illius temporis illa pars alimenti, quæ fuerit perfectè disposita, cõuertatur in substantiam aliti, tempore verò sequenti disponatur alia pars, & in instanti terminatiuo eius conuertatur; Et quia anima postulat determinatam quantitatem in materia, vt introduci possit, itaut in minori nõ possit, & materia sub illa determinata quantitate appellatur minimũ quod sic, ideo istæ partes alimenti, quę in instantibus terminantibus tempus alterationis conuertuntur, dicuntur minima; & ex hoc dicitur, nutritio fieri in instantibus per minima. Ita Toletus lib. 1. de generat. quæst 11. Pomponatius de nutr. & augment. cap. 19. & 8. met. disp. 7. cap. 4. & alij.

24. Qui priùs quàm probent, *supponunt ex communi sententia, quòd* viuentia terminẽtur termino intrinseco paruitatis, ita vt sub minori anima in materiam introduci nõ possit. Hoc supposito ita arguunt. Id, quod producitur per nutritionem, est partialis substantia viuens per introductionem animæ in materia alimenti: ergo petit determinatam materiam, itaut sub minori non possit introduci. Sed talis materia minima simul, & in instanti debet esse completè disposita, & non vna pars eius

prius

prius alia, nam si ita fieret, cum non possit introduci anima in parte illius minimi, daretur vltima dispositio in materia, in qua non esset introducta forma, quod naturaliter est impossibile: sequitur ergo dari necessariò minimum alimenti, quod simul, & in instanti fit completè dispositũ pro introductione animæ, & non prius vna pars eius, quàm altera. Sed vltimam dispositionem sequitur naturaliter forma in eodem instanti: ergo concedendum est, simul,& in instãti introduci animã in illa minima materia alimenti, & ita in instanti semper fieri conuersionem, & nutritionem in ea consistentem.

25. Secunda,& vera opinio docet, nutritionem fieri successiuè, & non in instanti. Ita D.Th. 3 par. qu.33. art.1. in corpor.& ad 4.Marsil. lib.1. de generat. q.14. Sotus lib. 1. physicor q.4. art.3.Iandunus lib.8. physic. q.7. Complut. hic disp.5.q.8.& omnes ferè communiter. Quam vt probemus, duo sunt præsupponenda, ab omnibus ferè recepta. Primum est, quòd agens naturale approximatum passo diuisibili,& sibi contrario,fortiùs agat in partes eius sibi propinquiores, quã in remotiores, vt ignis approximatus ligno fortiùs agit in partes superficiales eius, quàm in profundiores, quia proximiores sibi sunt illæ, quàm istæ, & illis medijs calefacit has. ¶ Secundum præsupponendum est, quòd licèt viuentia, quantùm ad primam sui generationem postulent minimum materiæ, in quo introducatur anima, itavt in minori parte eius introduci nõ possit: in nutritione verò non postulãt tale minimum, imò nec materiam sic determinatam, quia in quacumque minori cuiuslibet minime introduci possit anima. Et ratio manifesta est, quia anima in prima generatione postulat determinatam materiam ad sui introductionem, quia cum sit actus corporis physici, & organici, in quo diuersas debet operationes exercere, determinata membra, certæque magnitudinis postulat, per quæ tanquàm per instrumenta, eas exerceat, nam adeò minima esse possunt, vt inepta prorsus sint ad exercendas operationes, vt per se est manifestum. Nutritio verò supponit animam iam introductã in corpore sub debita quantitate, & proportione omnium membrorũ eius, & operantem per eadẽ membra,& est quædam extensio eiusdem animæ ad nouam materiã pro consecutione perfecti status naturalis in ea: ergo nõ postulat determinatam materiam, quin in qualibet minima, atque in eius medietate introduci possit, quia quamlibet minimam, & minorem minima potest disponere calor naturalis, & in ea introduci anima, & quolibet minimum alimentum, & minus minimo conuertere in substantiam aliti, & quolibet minimo conuerso efficere corpus maius.

26. His duobus præsuppositis probatur nostra,& communis sententia, primò testimonio Arist.lib.5.physic. cap.2. vbi docet, augmentationem esse motum per se ad quantitatem. Ex quo ita arguo: Nutritio,& augmentatio apud omnes fiunt simul, hoc est, in eadem duratione, quia eo ipso, quòd producta est partialis substantia per nutritionem, consequitur naturaliter quantitas maior, per quã viuens augetur: sed de augmentatione docet expresè Aristoteles, quòd sit verè, & propriè motus, & ideò quòd sit successiua, & in tempore:

pore:

pore:ergo idem sentit de nutritione.
¶ Dices: hoc argumentum solũ probat de nutritione, quæ comitatur augmentum, non de illa quæ fit in statu, & decremento. Sed contra: quia ratio, quæ per aduersarios obstat, ne nutritio sit successiua, est quia forma alimenti non potest successiuè corrumpi, nec forma aliti successiuè introduci. sed in nutritione, quæ comitatur augmentum, hoc totum fieri potest: ergo nulla est ratio, quare in reliquis nutritionibus sic non fiat. Adde, quòd omnis nutritio quocumque tempore fiat, est simul cum productione nouæ partis quantitatis, aliàs daretur pars substantiæ sine quantitate: ergo si productio quantitatis est successiua, etiã & nutritio quocumque tẽpore fiat, erit successiua.

27. Deinde prob. ratione; quia calor naturalis est naturale instrumentum animæ, & agit in alimentũ sibi dissimile, & contrariũ, & priùs ac fortiùs in partes proximiores illius, quàm remotiores: ergo citiùs disponit illas, quàm istas: sed introductio animæ in materia alimenti sequitur vltimam dispositionem: ergo priùs introducitur anima in proximiores, quàm in remotiores partes, & priùs illæ conuertuntur in substantiam aliti, quàm istæ. Probatur consequentia, quia anima ad quamcunque minimam materiam dispositam informandam potest se extendere, postquàm semel introducta est per primam generationem, vt probauimus. Sed vbi datur prius, & posterius, datur successio: ergo nutritio non simul, sed successiuè fit, & in tempore.

28. Vnde ad fundamentum oppositæ sententiæ distinguendum est suppositum nempe quòd viuentia postulent terminum intrinsecũ paruitatis, nàm in generatione verum est; in nutritione verò apertè falsum, siquidem cum iam præsupponatur anima esse introducta in materia debitæ magnitudinis, & substantia genita cum suis omnibus membris sub magnitudine proportionata in ordine ad opera vitæ exercenda, indifferenter nutriri, & augeri possunt secundùm quamlibet partem minimam substantiæ, & quantitatis, & sub minori minima, & sub medietate minimæ, vt probauimus, & ideo successiuè, & in tempore nutriuntur, & augentur, & non simul, vel per minima in instantibus terminatiuis partium temporis.

29 Quæres. An naturaliter repugnet, nutritionem fieri in instanti? Respondeo affirmatiuè, quia agens naturale fortiùs agit in passum sibi contrarium, quò magis est ei approximatum: Sed alimentum non potest naturaliter æque approximari secundùm omnes partes, sed necessariò debet esse magis approximatum secundùm aliquas, quàm secundùm alias; ergo, repugnat, calorem naturalem vniformiter, & non difformiter agere circa omnes, & consequenter simul omnes disponere, atque conuertere in substantiam aliti; sed necesse est magis approximatas priùs disponere, & priùs conuertere. Prob. minor, nam cætera per se patent; Quodcumque alimentum quantumlibet paruum, in angustissimis poris existens, est corpus naturale habens trinam dimensionem: ergo est diuisibile secundũ profunditatem. Vnde sequitur, quòd etiam si secundùm superficies extremas omni ex parte tangat extremas partes pori, repu-

repugnat esse æque eis approximatũ secundùm profunditatem, nam cum hæc sit diuisibilis, necesse est partes eius minùs profundiores esse etiam proximiores extremis superficiebus cuiuslibet pori, & partes profundiores esse remotiores; & ex consequẽti repugnat calorem naturalem in poris residentem vniformiter agere in omnes, sed necesse est, in proximiores citiùs, & fortiùs agere, & priùs in eas vltimam dispositionem introducere, & animam ipsam, quod est priùs has, quàm illas conuertere, & ideo successiuè omnes.

DVBIVM QVARTVM

An nutritio sit continua?

30. DVplicem sensum habere potest titulus huius dubij. Prior est, an à principio vitæ vsq; ad finem nutritio incessanter fiat, & absque vlla interruptione, quemadmodum motus Cœli à principio, quo Cœlum factum est, vsque ad diem iudicij, sic est continuus, vt nunquã interrumpatur. Secundus sensus est, licèt interrumpatur aliquando, dum tamen fit, tempore continuo fiat. Et loquando in hoc secundo sensu.

31. Dico primò, nutritionem esse continuam. Et probatur, nàm nutritio sequitur alterationem, & dispositionem alimenti, quia eo ipso, quòd dispositum est, conuertitur in substãtiam aliti. Sed alteratio & dispositio alimenti est continua: ergo continua etiam erit conuersio eius, in qua consistit nutritio. Probatur minor, quia calor naturalis disponens alimentũ per alterationem, est agens naturale: sed agẽs naturale agit in passum sibi approximatum vniformiter difformiter, hoc est, non æqualiter in omnes partes eius, sed priùs, & fortiùs in proximiores, quàm in magis distantes: ergo calor naturalis hoc modo agens in alimentum, motu continuo eius partes disponit, itaut proximiores priùs, posteriùs alias, & successiuè omnes.

32. Loquendo verò in priori sensu Dico secundò, posse naturaliter viuens pro aliquo tempore in vita cõseruari sine vlla conuersione alimẽti, seu nutritione. Hoc est ita certum vt probari possit euidenti ratione: nam euidens est, hominem in primo instanti, in quo generatur, nutriri nõ posse, quia non dum sumpsit alimẽtum, nec etiam si haberet approximatum, posset illud in instanti alterare, atque disponere, quia alteratio fit successiuè, & in tempore: ergo indiget tempore sequenti adsumendum cibum, eumque alterandum, ac disponendum; quo tempore etiam est euidens non dari vllam conuersionem; & ideo necesse est cõcedere, quòd sine operatione nutritionis conseruetur.

33. Dico tertiò, Valde probabile esse, quòd non semper fiat conuersio alimenti, nec semper nutriatur viuẽs, sed pro aliquo tempore interrumpatur nutritio. Et probatur, quia ad conuersionem duo requiruntur, nẽpe calorem naturalem esse bene dispositum ad agendum circa alimentum; atque etiam alimentum aptum ad conuersionem, ei approximatum: sed vtrumq; potest deficere naturaliter: ergo naturaliter potest nutritio interrumpi pro aliquo tempore. Prob. minor, quia calor naturalis nõ minùs subditur morbis, quã cætera membra & partes corporis: ergo sicut membrum quodcumq; potest tali morbo affici, vt motus eius omnino impediatur,

diatur, ita calor naturalis potest morbo aliquo debilitari, vel alio modo impediri à sua operatione, ita vt per aliquod tempus agere non possit, vel adeo remissè, atque imperfectè, vt non possit alimentũ perfectè disponere, neque illud conuertere. Ex parte etiam eiusdem alimenti potest impediri conuersio, si ineptum sit ad conuersionem, vel difficile, nam tunc necesse est pro aliquo tempore cessare conuersionem. Aliquando etiam potest cibus omnino deficere, & tunc cessabit nutritio ob defectum alimenti.

34. Confirmatur, quia licèt calor naturalis continua operatione, & nunquam interrupta ageret circa alimentum, non est tamen naturaliter possibile, alimenta omnia, neque partes omnes eiusdem alimẽti adeo vniformes esse, vt æquali tempore disponantur; sed quædam citiùs, aliæ tardiùs disponuntur; etiam si omnes æqualem habeant approximationem successiuam, ita vt vna sit post aliam eodem modo approximata: ergo nõ sequitur; statim post couersionem vnius partis magis accommodatæ ad conuersionem, conuerti alteram ei proximam, minùs aptam, sed necesse erit per aliquod tempus expectare, vt completa sit dispositio eius, & pro hoc medio tempore cessabunt conuersio, & nutritio.

35. Contrariam sententiã tenent aliqui, quorum fundamentum est, quia actio caloris naturalis, per quã disponitur alimentum, nunquã cessat; neque vnquam deest alimentũ, quod disponitur: sed nutritio naturaliter sequitur dispositionẽ alimẽti: ergo nutritio sẽper erit. Maior quoad secundam partem, scilicet quòd nunquam deficiat alimentum, prob. quia vltimum alimentum conuertẽdum est sanguis: sed nunquam deficit sanguis, quandiu animal viuit: ergo nunquam deficiet actio naturalis circa illum.

36. Resp. negando maiorem, quòd nunquam deficiat alimentum, & cũ dicitur, sanguinem esse vltimum alimentum, distinguendum est, quia non quicunque sanguis est alimentum, sed ille, qui ex cibo assumpto præparatur, hic autem potest deficere, vt ex dictis patet: præter quẽ datur alius, qui non est nutrimentalis, nec nutritioni inseruit, vt in libris de anima dicemus, & hic sanguis est, qui quandiù animal viuit, nunquam deficit.

DVBIVM QVINTVM

An materia alimenti, priùs quàm fiat nutritio, vniatur materiæ corporis viuentis?

37. PRima opinio tenet materiam sanguinis priùs in aliquo instanti reali per vnam actionem vniri materiæ corporis viuentis, & postea tempore sequenti per aliam actionẽ fieri conuersionem eius in substantiam aliti. Ita recentiores aliqui, & probant sic: quia non potest naturaliter vna forma informare duas materias discontinuas, sed eo ipso quòd manus vel bracchium discontinuatur à corpore, desinit informari ab anima: ergo non potest materia alimenti informari à forma viuentis, nisi priùs continuetur cum materia corporis viuentis: ergo continuatio priùs fieri debet, quàm nutritio, & consequenter per distinctas actiones.

38. Sed hæc opinio meo videri est omnino improbabilis, quia si materia alimenti continuatur cum materia

ria corporis viuentis, priùs quàm informetur anima: ergo datur vnum indiuisibile commune vtrique materiæ, cum continua sint, quorum vltima sunt vnum: sed hoc repugnat: ergo repugnabit etiam talis continuatio. Minorem probo, quia indiuisibile illud, quo continuantur materiæ, aliqua forma debet informari, ne detur materia etiam indiuisibilis sine vlla forma: sed non est maior ratio, ob quam informetur forma viuentis, quàm forma alimenti: ergo à neutra, vel ab vtraque simul informatur, & vtrumque patet esse impossibile; quare impossibilis quoque erit talis continuatio.

39. Vndè opposita sententia tenenda est, quam docet Fonseca 5. met. c.4.q.3. & probatur efficaciter; quia non sunt multiplicandæ actiones reales sine vrgenti causa: sed non datur causa vrgens multiplicandi aliā actionem præcedentem, per quam continuatur materia alimenti cum corpore viuente, sed per eandem actionem, per quam conuertitur, potest continuari, vt patebit ex solutione argumenti contrarię sententiæ: ergo non debet poni alia actio pro continuatione alimenti cum corpore viuente distincta à cōuersione, sed per eandem conuersionem conuertitur simul, & continuatur.

40. Et sic ad fundamentum contrariæ opinionis concedo antecedēs, quòd non potest anima informare partes materiæ separatas, nego tamē consequentiam, quòd priùs in duratione seu instanti reali debeat continuari materia alimenti cum corpore viuente, sed satis est, quòd simul ac informatur anima, & conuertitur in substantiam aliti, continuetur: nam eadem actio diuerso modo considerata simul est conuersiua, & vnitiua, vel continuatiua, ita vt in quantùm per eam extenditur anima ad informandam materiam alimenti, vel si anima sit diuisibilis, educitur noua pars eius de potentia eiusdem materiæ, atque informat illam, dicitur conuersio; & in quantùm per eandē vnitur, vel continuatur pars substantiæ resultans ex informatione cum cæteris partibus viuentis, dicitur cōtinuatio; & tandem in quantùm per eam acquirit corpus viuens nouam partem substantiæ, dicitur nutritio: quare non est necessaria alia actio à conuersione distincta, vt alimentum continuetur cum corpore, & ideo nō prius duratione continuatur, quā conuertatur, sed simul, & in eodem instanti reali.

DISPVTATIO VI.

De Augumentatione.

DVBIUM PRIMVM

An augumentatio sit per se motus ad quantitatem?

1. VT intelligantur opiniones diuersæ, quæ circa hanc difficultatem versantur, notandum est, diuerso modo de augumentatione loqui eos, qui tenent, quantitatem cum reliquis accidentibus corporeis subiectari in materia nuda, vel in cōposito. Nam illi consequenter asserunt, per augumentationem nō produci quantitatem nouam, sed eam, quam adducit secum materia alimēti vniri atque continuari cum quantitate viuentis, & per hanc vnionem augeri corpus viuens, quia per illam facit sibi propriam quantitatem alimenti, & ea addita fit maius. Qui

verò subiectum quantitatis efficiunt compositum, consequenter asserunt, quantitatem alimenti corrumpi eo corrupto, & ideo non posse viuens augeri, nisi noua pars quantitatis producatur simul cum noua parte substantiæ.

2 Quo posito prima opinio tenet, non dari per se motum ad quantitatem. Quæ probatur primò testimonio Aristotelis lib. 8 physic. tex. 23. vbi vniuersaliter docet, impossibile esse aliquid augeri, vel minui continuè: ergo censet non augeri per motum quia motus apud ipsum est de genere continuorum. Deinde ratione; nam quantitas totalis quia consequitur naturaliter substantiam totalem, ideo in eodem instanti producitur virtute generationis substantialis sine alia noua mutatione: sed etiam quãtitas partialis sequitur naturaliter substantiam partialem: ergo acquiritur simul cum ea per naturalem resultantiam, & non per motũ distinctum per se primò terminatũ ad ipsam quantitatem.

3. Sed hæc opinio expressè contraria est doctrinæ Aristot. 5. physic. tex. 18. vbi docet, & probat tres esse species motus, nempe alterationem, quæ terminatur per se ad qualitatẽ; lationem, quæ terminatur per se ad vbi; & augumentationem, quæ terminatur per se ad maiorem quantitatem. Quod probat hoc argumento, quia hæc est differentia inter mutationem instantaneã, & successiuam, quæ est propriè motus, quòd illa versatur inter terminos priuatiuè oppositos, vt generatio substantialis inter priuationem formæ substantialis in materia existentem, & formam ipsam substantialẽ: motus verò inter terminos positiuos habentes latitudinem cum contrarietate, saltem pro incompossibilitate sumpta, vt patet in motu locali, qui versatur inter hoc, & illud vbi, inter quæ est latitudo cũ incompossibilitate, quia repugnat mobile simul esse sub vtroq; & necessarium est, vt ad vnum accedens, recedat ab alio, & è conuerso recedens ab vno, accedat ad aliud: sed latitudo hæc cum contrarietate sic sumpta, non minùs reperitur in quãtitate, quàm in qualitate, & vbi: ergo non minùs dabitur per se motus successiuus, & continuus ad quantitatem, quàm ad qualitatem, & vbi. Minorem sic probat: sicut inter hanc, & illam præsentiam in spatio datur latitudo, quia præsentia in toto spatio habet suas partes; datur etiam contrarietas incompossibilitatis, quia est impossibile, idem corpus habere vtramq; præsentiam, sed necesse est, vt acquirens vnam, discedat ab alia: pari ratione inter maiorem, & minorem quantitatem datur latitudo extensionis partium, vt per se est manifestũ, atque etiam contrarietas incompossibilitatis, quia repugnat simul esse corpus sub vtraque, & necessarium est, quòd accedens ad maiorem, desinat esse sub minori, non ita vt corrumpatur quantitas, quę erat minor, adueniente maiori, sed ita vt desinat esse minor; quia repugnat, idem corpus esse simul magnum, & paruum: ergo ita est per se motus augumentatio, sicut latio.

4. Secunda opinio asserit, augmentationem esse per se motum ad quantitatem, nõ ita vt per eum producatur noua quantitas, sed solùm indiuisibile quoddam, nempe linea, vel superficies, per quã vnitur quãtitas alimenti permanens in materia post corruptionem eius, & ratione

huius

huius vnionis fit propria eiusdem viuentis; & per eam augetur, & fit maius. Itaque secundùm hanc opinionem augmētatio est per se motus, non productiuus nouæ quantitatis, sed vnitiuus vnius quantitatis cum altera. Ita sentiunt omnes, qui dicunt, quantitatem subiectari in materia, esseque ei coęuam, à qua nunquam separatur.

5. Sed etiam hæc opinio est contraria sententiæ Aristotelis, & falsa: quia ex ea sequitur, augmentationē non esse motum per se ad quantitatem, vt docet expressè Aristoteles. Sequelā probo, quia de ratione motus propriè sumpti duo sunt, nempe esse continuum, & successiuum: neutrum autem potest habere augumētatio secundùm hanc sententiā; quia nihil potest terminare motum per se nisi habeat latitudinem: latitudo autem aut est extensionis, aut intēsionis: sed indiuisibile quantitatis neutram habet, quia nec habet partes extensionis, cum non sit quantitas, nec intensionis, cum non sit qualitas: ergo nullam latitudinem habet, vt produci possit successiuè. Quòd verò neque produci possit continuè, non minùs est euidens, quia indiuisibilia quantitatis secundùm se nec sunt, nec esse possunt continua, imò nec immediata in eodem corpore, sed inter quælibet duo mediat pars. Est igitur certum, quòd augumentatio non erit motus continuus, vel successiuus, si solùm per eam producetur indiuisibile quantitatis.

6. His reiectis opinionibus vera sententia docet, augumentationem esse per se motum ad maiorem quātitatem de nouo producendā. Quam tenet expressè Aristot. lib. 5. physic. cap. 2. tex. 18. D. Th. ibidem lect. 4. & omnes eius interpretes, qui asserunt, quantitatem, & reliqua accidentia corporea esse in composito tanquam in subiecto. Probatur autem ex dictis; quia supposito, quòd sint tres species motus, & confutata secunda opinione, quæ cōtendit posse dari per se motum ad quantitatem, etiam si per ipsum non producatur; restat quòd sit ad quantitatem producendo illam, maximè quia euidens est, in quantitate reperiri latitudinē contrarietatis requisitam, & sufficiētem ad motum per se terminandum, vt probauimus refutantes primam opinionem.

7. Ad testimonium autem Arist. in principio adductum, respondeo, augmentationem esse continuam, duobus modis intelligi posse; primò ita vt nunquam interrumpatur, sed perpetuam durationem habet: alio modo, ita vt saltem pro tempore, quo durat, continuè fiat. Et in primo sensu negat Aristoteles eo loco augmentationem esse continuam: de secundo verò modo continuationis ibi non agit.

8. Ad secundum concedendū est, quòd quantitas totalis consequatur substantiam totalem, & partialem substantiam partialis quantitas, non tamen maior quantitas; & ratio discriminis est: quia in illis quantitas tam totalis, quàm partialis intenditur propter substantiam genitam vel nutritam; maior verò quantitas nō, sed alia intentione intenditur à natura, vt dub. 1 præc. disp. diximus.

DVBIVM SECVNDVM

Vtrum augmentatio propriè, & in rigorè solùm conueniat viuentibus?

9. Conclusio est affirmatiua, quam expressè tenet S. Th. 1. de ge-

nerat

nerat. tex. 41. lect.6.& communiter Philosophi. Probatur autem ratione fundamentali sic: augmentum proprium, & rigorosum, non fit per iuxta positionem, sed per intus sumptionem, & virtutem intrinsecam rei, quæ augetur, ad hoc destinatam: sed nonviuentia augentur per iuxta positionem, non verò per intus sumptionem, & virtutem intrinsecam ad hoc deputatam; secus autem viuentia: ergo hæc, & non illa propriè & in rigore augentur.

10 Consequentia est euidens, præmissę verò sigillatim probantur, & in primis *maior quoad primam partem*; nã si augmẽtum solùm fit per iuxta positionem, tunc res, quæ augeri dicitur, eodem modo manet, ac antea erat: vt si ferro vnius digiti addatur aliud alterius digiti, & cum illo continuetur, nullus dicet, ferrum secundùm illam priorem quantitatem digitalem esse auctum, quia secundùm illam manet sicut antea: ergo augmentum, quod fit per iuxta positionem, non est verum, & rigorosum augumentum. *Deinde probatur eadẽ maior quoad secundam partem*. Ad verũ, & proprium augmentum desideratur, vt quod præexistebat, maius fiat, & quod superuenit, non discernatur ab eo, quod prius erat: sed ad hunc modum augmentationis requiritur virtus actiua interna, quæ immediatè deferat partes alimenti, & eis subtiliter subintrantibus partes rei, quæ augentur, in maiorem quantitatem crescant, easque conuertat in substantiam aliti, & causet augmentum; nam non apparet, à quo alio agente hæc omnia fieri possint: ergo augmentum proprium, & rigorosum fit per intus sumptionem, & per virtutem intrinsecam rei, quæ augetur, ad hoc destinatam.

11. Minor verò probari potest primò à posteriori; quia ob id nonviuentia per quamlibet partẽ augeri possunt, quoniam cum sint augenda per iuxta positionem, & per quamlibet partem possit illis iuxta poni aliquid, quo augeantur, ideo per quamlibet augeri possunt. E contra verò viuẽtia, quia per intus sumptionem sunt augenda, propterea habent aliquam partem peculiarem, per quã alimentum sumant, qualis est os; & deinde aliam partem, in qua alimentũ coquant; & rursus diuersos meatus & vias, per quas alimentum attrahatur; ac tandem distinctas potentias internas, per quas illud vltimatè cõuertant; prædictũque augmentum causent. *Secundò eadem minor prob. à priori*; nam res inanimata in prima sui productione recipit debitã quantitatem, media qua exercere possit perfectissimam operationem vitalẽ, scilicet generare sibi simile, vt in igne constat, & ideo non est necesse vt ei natura virtutes intrinsecas dederit, per quas alimentum attrahat, coquat, nutriatur, & augeatur. Ceterùm res animata in principio suæ productionis non habet debitã quãtitatem, quia cum generatur ex semine, oportet tunc esse *modicę quãtitatis*, atque adeo insufficientis ad hoc vt habeat plura, & diuersa organa cum ea perfectione, & magnitudine, quæ requiritur ad hoc vt possit generare sibi simile: ne igitur natura deficeret in necessarijs, ideo oportuit præter virtutem generatiuã, ei communicare potentiam nutritiuam, & augmentatiuam, & si quæ sunt alia his deseruientia, per quas nutriatur, & acquirat debitam quantitatem, vt ita ea acquisita possit in

per-

perfectissimam operationem, scilicet generationem sibi similis prorũpere. Ergo sola viuentia, non autem nonuiuentia, nutriuntur, & agentur per virtutes intrinsecas ad hoc destinatas.

12. Ob. 1. Ad verum, & rigorosum augumentum, tres tantùm conditiones requiruntur, scilicet alimentum extrinsecùs adueniens; & quòd eius, quod augetur, quælibet pars per virtutem intrinsecam augeatur; ac tandem identitas numerica rei auctæ: sed omnes hæ conditiones reperiri possunt in augmento ignis: ergo igni competere potest verum, & rigorosum augmentum. Probatur minor, quoniam si flamma ignis aspergeretur vndique olei guttis, aut puluere sulphureo, tunc augeretur medio extrinseco alimento, & secundùm omnes partes, per virtutemq; intrinsecam, scilicet per natiuum calorem, ac tandem idemmet perseuararet.

13. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, ignem in casu posito per natiuum calorẽ solùm generare sibi simile, & quia id, quod generat est indistans ab ipso, ideo identificat sibi illud. Vnde talis identificatio nó prouenit à calore, sed à iuxta positione quia scilicet ignis genitus sit positus iuxta ignem generantem; & ideo non est verum, & rigorosum augmentum: cuius signum euidens est, ignem præexistentem eodem modo manere, ac antea erat, & discerni posse ab igne de nouo genito.

14. Ob. 2. Si parum aquæ vino infundatur, tunc vinum verè, & propriè nutritur, & augetur: ergo non sola viuentia, sed etiam nonuiuentia verè, & propriè nutriuntur, & augẽtur. Probatur antecedens; quia ibi sunt omnes conditiones ad verum, & proprium nutrimentum, & augmentum desideratæ: nam in primis secundùm omnes partes augetur, quippe secundùm omnes partes debilitatur; quod quidem non contingeret, nisi per omnes illas aqua fuisset diffusa. Deinde hoc nutrimẽtum & augmentum fit per additionem alicuius extrinseci. Et tandem hæc conuersio fit per natiuam virtutem vini, & manente eodẽ numero vino.

15. Resp. eadem modo ac responsum est argumento præcedenti, nẽpe vinum solùm intendere communicare aquę propriam speciem; quòd autem identificat sibi illam, prouenit ex indistantia, & ex iuxta positione illius. Insuper addo, non ideo vinum illud debilitari secũdũ omnes partes, quia secundùm omnes illas nutritũ, & auctum sit, nam aqua non est tantæ quantitatis, vt possit peruadere totum illud vinum: sed ideo vinum illud apparet debilius secũdũ omnes partes, quia partes, à quibus aqua versa est in vinum, debilitarunt alias partes eiusdem vini, eo quod diuersimode dispositæ, & rursus hæ alias, & ita transacto aliquo tempore solet vinum illud secundùm omnes partes apparere minoris vigoris, magisque debilitatum.

DVBIVM TERTIVM

An dum viuens augetur, quælibet pars eius augeatur?

16. Dubium non procedit de partibus essentialibus, quia certum est, nec augeri, nec minui posse, cum sint indiuisibiles: sed de partibus integrantibus, & hæ sunt in duplici differentia, nam quædam sunt homo-

homogeneæ, aut similares, vt caro, neruus, & os; aliæ eterogeneæ, aut dissimiliares, vt manus, pes, & caput: istæ autem componũtur ex illis, vt manus, & bracchium componuntur ex carne, & osse. Rursus partes integrantes diuiduntur in aliquotas, quæ sũt certæ magnitudinis, & quælibet est extra aliam; & proportionales, quæ includuntur in aliquotis, vt pars carnis certæ magnitudinis includit duas meditates, & quælibet harum medietatum duas alias, & sic in infinitum Procedit autem quæstio tam de homogeneis, quàm de eterogeneis; tam de aliquotis, quàm de proportionalib⁹; an necesse sit omnes augeri, quotiescunq; augetur viuens.

17. Prima conclusio: loquendo de partibus in communi, augmentatio fit secundùm omnes partes. Ita Aristoteles hìc cap. 5. test. 33. D. Th ibidem lect. 14. & omnes interpretes. Ratio autem est manifesta, nam quęlibet pars nutritur, dum nutritur totum corpus: ergo quælibet etiam augetur, dũ augetur totũ corpus. Cõsequentia patet, quia augmentatio sequitur naturaliter nutritionem. Et antecedẽs prob. dupliciter; *primò* quia quæuis pars viuẽtis viuit: sed operatio propria animæ vegetatiuæ est nutritio: ergo quæuis pars viuentis nutritur. *secundò* quia calor naturalis reperitur in toto corpore, & in quacũq; parte eius: sed calor naturalis per propriã operationẽ cõsumit aliquid substantiæ eiusdem corporis viuentis, quod non potest reparari nisi per nutritionem: ergo quælibet pars nutritur: vnde sequitur, quamlibet etiam partem augeri dum augetur totum. Hoc autem intelligendũ est per se, nam per accidens contingere potest, vt partes aliquæ sint ab extrinseco impeditæ, ne augeantur.

18. Secunda conclusio: partes autem viuentis sic augentur, vt primò augeantur homogeneæ, & ratione earum quasi secundariò eterogeneæ. ità Aristoteles loc. cit. tex 25. vbi sic ait: *ea, quæ sunt dissimilium partium augentur, quia ea, quæ sunt cõsimilium partium augentur: componitur enim ex his vnumquodque*. In quibus verbis continetur ratio conclusionis: nàm partes eterogeneæ aut dissimilares componuntur ex homogeneis vel similaribus, vt manus, vel bracchium ex carne, osse, & neruis: ergo nõ possunt augeri, nisi his auctis: quarè istæ sunt, quæ primò augentur, illæ verò ratione harum, nã ideò manus maior fit, & similiter bracchium, quia plus carnis, & ossis acquirit.

19. Tertia conclusio: augmentatio nõ fit secundùm omnes partes similares, sed solùm secundùm partes aliquotas, & ratione earum augentur partes proportionales Ita Complut. lib. 1. de generat. disp. 6. q. 4. §. 3. & probatur, quia quæuis pars proportionalis non habet suum porum, intra quem recipiat alimẽtum: sed augmentum verum, & rigorosũ, quale est viuentiũ, fit per intus sumptionem: ergo viuens augeri nõ potest secundùm omnes partes proportionales. Probatur maior, tùm quia alioqui totum viuens constaret tot poris, quot sunt partes proportionales, & sic nullum ex duobus viuentibus æqualibus esset magis solidum quàm aliud, siquidèm vtrumque esset æque porosum, quod est contra manifestam experientiam. Tùm etiã quia inter porum, & porum mediat aliqua pars solida, aliàs totum viuẽs in poros resolueretur: illa autẽ pars con-

constat partibus proportionalibus, quia est diuisibilis in medietates & medietates. Ergo non omnis pars proportionalis habet porum.

20. Ob. 1. contra primam, & secundam conclusionem Vt viuens augeatur secundùm omnes partes, oportet vt alimentum omnibus illis debitè applicetur: sed absque penetratione hæc applicatio fieri nõ potest: ergo cum penetratio naturaliter repugnet repugnabit etiam augmentum viuẽtis fieri secũdùm omnes partes. Probatur mino, ntra viuens nullum datur vacuum & adueniente alimento non fit aliqua diuisio aut ruptio partium, quia alias sentiretur dolor: ergo nequit fieri applicatio alimenti ad singulas partes viuentis absq; aliqua penetratione illius cum partibus. ❡ Resp. negando minorem; & ad probationem dico, hanc applicationem fieri per poros intra viuens existẽtes, qui sunt vię quędam, & meatus subtilissimi, per quos sanguis nutrimentalis ad quamlibet partem viuentis defertur.

21. Instabis: pori illi debent esse repleti aliquo corpore, aliàs daretur vacuum: ergo alimentum quod ingreditur per poros, penetratur cum corpore, quod replet poros. ❡ Resp. negando consequentiã, quia possunt pori esse constricti, & accipiendo alimentum dilatari; vel si sunt repleti, possunt magis dilatari, sicuti flatu vtres inflantur, vel denique corpus illud esset ita tenue, & subtile, vt adueniente alimento facilè cederet.

22 Ob. 2 contra tertiam conclusionem. Partes proportionales sunt veræ partes viuentis, & in se viuæ: ergo non possunt non nutriri, & augeri. nam ideo partes aliquotę nutriuntur, & augentur, quia sunt partes viuæ: ergo si partes proportionales in viuente sunt partes viuę, etiam nutriuntur, & augẽtur. ❡ Resp. quòd partes proportionales licèt nõ nutriantur, & augeantur in se ipsis immediatè, nutriuntur tamen, & augentur ad nutritionem, & augmentum partium aliquotarum, nam cum includantur in aliquotis, si istæ nutriuntur, & augentur, nutriuntur etiam, & augentur illæ.

DVBIVM QVARTVM

An corpus viuens toto tempore vitæ permaneat idem numero?

23. Ratio dubitandi est: quia totum non habet aliam entitatem præter entitatem partium: sed istæ toto tempore vitæ non permanent eędem in corpore viuente, quia continua actione caloris naturalis consumuntur, & loco ipsarum succedunt alię, illæ scilicet, quæ habentur per conuersionem alimenti: ergo neq; permanebit idem numero corpus viuens.

24. Propter hoc argumentum aliqui DD. negant omnes partes substantiales corporis viuentis variari. Vnde distinguunt duplices partes integrantes in quolibet corpore viuente, quasdam quasi fluentes, ex quibus consumuntur aliquæ per cõtinuam actionem caloris naturalis, & loco earum succedunt aliæ, & ita per continuam corruptionem earum, & aduentum aliarũ, in fine vitæ omnino variatæ censentur. Aliæ verò partes integrantes sunt permanentes, quas nunquam consumit calor naturalis, neque aliquid detrahit ab eis, sed saluæ, & integræ permanent à principio vsq; ad finem vitæ: & licèt augeantur, non tamen diminuuntur.

Et

Et ratione harum permanet semper corpus idem numerò, licèt ratione aliarum quodammodo varietur.

25. Sed in assignandis his partibus inuariabilibus, diuisi sunt auctores isti; nam quidam eorum distinguunt duplices partes integrantes in corpore viuente, quædam quæ immediatè generantur ex semine, & sunt omnes illæ, ex quibus componitur substantia primò producta per generationem. Aliæ sunt, quæ producuntur per nutritionem ex conuersione alimenti, & adduntur primis. De prioribus, quę generantur immediatè ex semine, asserunt nullo tempore consumi aut variari, sed omnino integras, & quasi intactas permanere à principio vsque ad finem vitæ: posteriores verò passim consumi, & alias loco earum succedere.

26. Alij verò alio modo distinguũt partes corporis viuentis, nã quasdam aiunt esse duriores, & solidiores, vt ossa, nerui, & cartilagines, quæ semper manent eædem numero, quia nõ possunt consumi à calore naturali. Alias verò molliores, vt caro: & istæ semper consumuntur, & aliæ loco earum succedunt per conuersionem alimenti. Corpus autem permanet idẽ numero à principio vsq; ad finem vitæ propter numericam identitatem illarum, quamuis aliquo modo varietur propter variationem harum. Et probant primò experiẽtia, quia videmus hominem ob grauem infirmitatem deperdere totam fere carnẽ, imo & omnes alias partes subtiliores, & molliores: ossa verò, neruos, & cutem cum cæteris partibus durioribus integras permanere absq; vlla diminutione: ergo euidens signũ est, quòd nunquam istæ partes consumuntur, vel diminuuntur. Deinde ratione, quia calor naturalis non est ita intẽsus, sicut calor ignis; sed valde temperatus: ergo quamuis possit molliores partes consumere parũ resistenstes, nõ poterit consumere duriores, ac solidiores, in quibus inuenit resistentiam maximam.

27. Sed vterque iste modus dicẽdi in primis est contra Aristotelem, qui eisdem verbis asserit, quòd dum augetur viuens, quælibet pars eius augetur, & dum diminuitur, quælibet pars eius diminuitur: sed per augmentationem augetur omnes partes siue fuerint ex semine productæ, siue non; siue duræ sint, siue molles, ergo omnes etiam diminuuntur. Syllogismus est euidens, & locus Aristotelis habetur in hoc lib. cap. 5. tex 32. vbi ita ait: *Videtur itaque eius, quod augetur, quæcumque pars aucta esse: similiter autem & in diminutione, &c.*

28. Deinde vterque est falsus. Primus quidem, quia partes, quæ de nouo adueniunt per nutritionem sunt eiusdem rationis cum partibus productis per primam generationẽ: ergo omnes corrumpi possunt: calor enim naturalis, à quo corrumpi possunt, est idem, & debitè approximatus omnibus: ergo cum sit agens naturale, agit circa omnes quantũ potest, & omnes corrumpit: falsũ est ergo, quòd illæ partes sine corruptione permaneant per totam vitam. ¶ Confirmatur, quia si prima substantia, in qua generatur homo, non potest corrumpi, sequitur, pueros postquam primò geniti sunt, non indigere alimento ad reparandum id, quod per actionem caloris naturalis deperditũ est, sed solùm vt augeantur: sed consequens est falsum, & contra experientiam: ergo falsum est etiam: quòd nihil corrumpatur de prima illa sub-

stan-

ſtantia. Probatur minor, quia euidens eſt, quòd ſi paruulus ſtatim poſtquam natus eſt, non alatur, deficit, atque conſumitur: quod non poteſt ex alia cauſa prouenire, niſi quia calor naturalis incipit ſtatim, agere in illam ſubſtantiam, eamque conſumere, & ideo indiget alimento ad reparandum id, quod conſumptum eſt.

29. Secundus etiam modus de partibus durioribus, & ſolidioribus nunquam corrumpendis, eſt falſus; nam de his partibus duo ſunt certa, primum quòd corrumpi poſſint, cum conſtent materia ſublunari; deinde quòd in eis ſit calor naturalis, quãuis non tantum in eis vigeat, quantum in mollioribus. Ex quibus probatur, quòd corrumpi poſſint, quia calor naturalis eſt agens debitè approximatum reſpectu earum, ſicut reſpectu aliarum: ergo ſicut poteſt illas corrumpere, ita & has, quamuis difficiliùs, & tardiùs propter maiorem reſiſtẽtiam earum. Quemadmodum guttæ aquæ cadentes ſuper lapidem durum, & mollem, vtrumque quidem excauare poſſunt, & excauant, quamuis citiùs mollem, & durum tardiùs, etiam ſi ſit duriſſimus, propter continuationem: ergo cum ſit continua actio caloris naturalis, aliquid ſemper poterit ab his partibus quantumlibet duriſſimis extrahere.

30. His igitur dicendi modis reiectis, ego exiſtimo partes duriores non ita diminui ſecundùm omnes partes, vt nulla earum, quas habuit viuens à principio ſuæ generationis remaneat in fine vitæ, ſed multæ permanẽt inuariatę magna ex parte, nam partes iſtę ex propria natura reſiſtunt maximè actioni caloris naturalis, & ex alia parte calor ipſe non ita viget in eis, neq; ita intenſus eſt: quare licèt agat in eas ſemper, remiſſiſſima abſque dubio actione, & fere nihil corrumpente, vt probat experientia in infirmitatibus, in quibus licèt caro, & aliæ partes molliores multùm diminuantur, duriores verò & Solidiores fere nihil: ergo talis actio caloris in has partes, licèt continua ſit, non eſt tamen ſufficiens, vt eas totaliter corrumpat. Prob. etiam exemplo guttarum cadentium ſuper duriſſimum lapidem, quæ licèt motu continuo cadant, & per multum tempus, non poſſunt totum lapidem corrumpere propter maximam reſiſtentiam eius: ergo licet continua ſit actio caloris naturalis, nunquam corrumpet totaliter duriores, ac ſolidiores partes viuentis, propter maximam reſiſtentiam earum.

31. Contrariam ſententiam tenẽt aliqui iuniores, neceſſarium putantes, quòd omnes partes varientur, & ſi eis obijcias ex hac opinione ſequi, in fine vitæ non eſſe idem numero corpus viuens, quia totum corpus non habet aliam entitatem, vel ſubſtantiam, præter entitatem, & ſubſtantiam partium integrantium: ergo ſi omnes iſtæ variantur, & non manent aliquæ eædem numero, non manebit idem numero corpus.

32. Reſpondent, duobus modis contingere, quòd varientur partes integrantes alicuius corporis, vel omnes ſimul, vel ſucceſſiuè paulatim deſinentes vna poſt aliam, & ſuccedentibus etiam ſucceſſiuè alijs loco earum: & hoc ſecundo modo variantur partes viuentis in augmentatione, & diminutione, nam per actionem caloris naturalis quædam conſumuntur, & aliæ ſuccedunt ex con-

uersione alimenti, & vniuntur eidem corpori viuenti per realem, ac physicam continuationem, & ideò efficiunt vnum numero: vnde variatio solùm est partium materialium, non autem formalium.

33 Sed ex hac doctrina sequitur, non alio modo esse vnum numero corpus viuens à principio vitæ vsque ad finem, ac dicitur vnus populus, vel fluuius à principio vsq;ad finem, quamuis in fine, imò post pauchos annos nullus homo permaneat ex ijs, quos habebat prius. Et licèt ad exemplum populi assignari possit aliqua disparitas, quia populus non est vnus numerò identitate physica, sed morali, in quantum diuersi homines succedentes subordinantur eisdem legibus; corpus verò idē numerò idētitate physica propter physicam continuationem partium succedentium cum præcedentibus, & præexistentibus. Tamen ad exemplū fluminis nulla disparitas assignari potest, quia flumen est idem numero identitate physica ratione realis cōtinuationis aquæ. At longe maiorem identitatem physicam habet corpus, quod augetur, quàm fluuius, in sententia à nobis exposita, quia fluuius nullam habet partem aquæ eandem numero cū ea, quam habebat priùs, viuens verò plures, nā solidæ maiori ex parte permanent, vt probauimus: ergo iuxtà hanc sententiam longè perfectius est idem numero viuens in fine vitæ, quàm flumen, cum sit idem non solùm per realem continuationem omnium partium, sed etiam per realem ac materialem plu- & præcipuarum.

34. Restat solū vt respondeamus argumento, quod de partibus istis durioribus adduxit secundus modus dicendi, Ad quod negandū est antecedens, quòd tempore infirmitatis non diminuantur, semper enim diminuuntur, & semper reparatur aliquid, vel totum, quod de substantia earum consumptum est. Sed quia quod ex his partibus diminuitur paucissimum est, & imperceptibile per sensum, & hoc propter maximā resistentiam earum, & remissam valde actionem caloris naturalis: ideò non iudicat sensus, quòd aliquid sit detractum ab eis, sed iudicat intellectus propter efficaces rationes à nobis adductas, per quas sensus debet corrigi, vt sæpe in rebus alijs contingit.

35. Solet in hac disputatione à DD. quæri, an augmentatio duret toto tempore vitæ? Et communis sententia docet, nō durare toto tempore vitæ, sed vsque ad statum; quod experientia patet, & probatur ratione: quia augmentatio ordinatur à natura ad tribuendum viuenti debitam quantitatem, qua ipsum viuens operationes suas perfectè exercere possit: ergo ea semel acquisita; talique fine cessante, debet & ipsa cessare. Confirmatur ideò nutritio durat toto tempore vitæ, quia ordinatur à natura ad restaurandum *quantū fieri* potest id, quod deperd*itum est: &* quia hæc deperditio est continua, & semper durans, ideò instauratio debet esse continua, semperquè durās: Ergo si augmētatio ordinetur à natura ad tribuendum viuenti debitam quantitatem, quam ipsum viuens non in fine vitæ, sed in iuuētute perfectè acquirit, augmentatio non debet durare toto tempore vitæ.

DIS-

DISPVTATIO VII.

De actione, & reactione.

1. QVIA disputatione sequenti acturi sumus de mixtione, in qua actio, & reactio miscibilium interueniunt, ideò de eis præsentem instituimus disputationem, à qua nos breuiter expedimus per sequentes conclusiones.

2. Prima conclusio. Agens non potest agere in sibi simile. Ita Aristoteles hic cap. 7. D. Th. ibidem lect. 9. & omnes communiter. Ratio à priori est, quia actio fundatur in victoria agentis: agere enim in aliud, est illud sibi subijcere: si autem duo sunt omnino similia, non est cur vnū potiùs, quàm aliud alteri subdatur. Et confirmatur quia omne agens intendit assimilare sibi passum: ideo n. calidum verb. gr agit in frigidum, vt illud reddat calidum; & idem est de alijs agentibus: ergo quæ iam sunt similia, nullum aget in aliud. Patet consequentia, quia habito fine cessat actio, sicut habito termino cessat motus.

3. Ob. 1. Similitudo passi facilitat actionem agentis: ergo non impedit. Probatur antecedens. Agens facilius agit in passum, in quo minus resistentiæ inuenit: sed minus resistentiæ inuenit in passo sibi simili, quàm in dissimili, cum omnis resistentia fundetur in contrarietate, cōtrarietas verò dissimilitudinem importat: ergo. ¶ Resp. negando antecedens, & ad probationē dico, quòd licèt vnum simile non resistat alteri simili resistentia positiua, quia non sunt contraria; resistit tamen illi resistentia negatiua, quia est incapax receptionis actionis alterius.

4. Ob. 2. Duæ manus æque calidę coniunctæ ad inuicem se meliùs calefaciunt, quàm si vna esset frigidior altera, vt experientia constat: hoc autem non potest aliunde prouenire nisi quia simile meliùs agit in simile, quàm in dissimile: ergo. ¶ Respondetur cōcedēdo maiorem, & negando minorem; calor enim cordis est ratio ob quam manus illæ calidæ ad inuicem coniunctæ meliùs calefiāt: nam quia calor solet ab aere circunstante temperari, ideò si manus coniunguntur, meliùs calorem à corde prouenientem conseruabunt.

5. Secunda conclusio. Ad hoc vt agens agat, debet esse maior actiuitas agentis, quàm resistentia passi. Et prob. quia agens in quantū agit, semper vincit: & passum in eo quòd patitur, semper subijcitur: ergo actiuitas agentis debet esse maior resistentia passi. Consequentia patet, quia nunquam superius subijcitur inferiori, imò nèc æquale alteri æquali. Antecedens verò prob. quia intentum resistentis est, impedire actionem agentis; intentum verò agentis est agere in passum: ergo si agens agit, vincit, & passum subijcitur.

6. Ob: 1. Parua gutta aquæ cadens super lapidem, excauat illum, etiā si in se satis durus sit: sed resistentia lapidis est longè maior actiuitate guttulæ, vt ex se patet: ergo vt agēs agat, non desideratur excessus actiuitatis agentis supra resistentiā passi. ¶ Resp. negando minorem; nam quæuis guttula aquæ aliquantulum disponit pro excauatione lapidis, humectando & mollificando illum; respectu autem huius mollificationis & humectationis maior est actiuitas guttulæ, quàm resistentia la-

pidis, quia non resistit secundùm omnes gradus, quos habet, sed solùm ratione illius gradus, in quo superatur: postquam autem lapis per humiditatem productam à prædictis guttulis est dispositus & mollificatus, tunc per aliam guttulam excauatur, & hæc excauatio lapidis ita mollificati non excedit vim actiuam illius guttulæ, à qua talis excauatio producta fuit: & sic nunquã resistentia passi est maior virtute agentis.

7. Ob: 2. ignis agit in aquam, & simul aqua agit in ignem, vt experientia constat: sed non potest dari hæc actio ignis in aquam, & simul reactio aquæ in ignem, si ad actionem requiritur, quòd virtus agentis sit maior resistentia passi: ergo Prob. minor; ignis est maioris actiuitatis, ac est aqua: ergo eius resistentia est maior virtute actiua aquæ, quia ignis agendo resistit aquæ: ergo aqua, quę est minoris actiuitatis prædicta resistentia ignis, non poterit reagere in ignem, si ad actionem desideratur maior actiuitas agentis, quàm resistentia passi.

8. Ad hanc obiectionem respondent aliqui, quòd ideò virtus actiua contrarij minoris actiuitatis agit in magis actiuum, quia nihil est, quod illi obstet; solùm enim obstare posset actio maioris actiui, quæ quidem actio dum magis actiuum repatitur, non exercetur, cùm hoc quando repatitur, non agat, sed merè passiuè se habeat. ¶ Sed solutio ista non placet, nam licèt ista actualis receptio nocumenti agentis contrarij non sit actio, sed passio: tamẽ agens, quod recipit tale nocumentum, priùs agendo resistebat actioni contrarij, aliàs nulla esset differentia inter resistentiam actiuam & resistentiam passiuam. Si autem agẽdo non potuit debilitare contrariũ, & impedire actionem illius; falsum erit, requiri maiorem actiuitatem in agente, resistentia passi, ad hoc vt illud agat in istud.

9. Relicta igitur hac solutione, respondeo aliter ad augumentũ negando minorem, ad cuius probationem dico, quòd quando minus actiuum, puta aqua, reagit in maius actiuum, puta in ignem, plures partes illius aggrediũtur pauciores partes istius: & quia ad multiplicationẽ partium multiplicatur virtus, ideò semper est maior actiuitas agentis resistentia passi.

10. Tertia conclusio, omne agens agendo repatitur. Est Aristotelis hic cap. 7. vbi D Th lect. 20. Noto quòd hæc conclusio non intelligitur de agentibus spiritualibus, nec de agentibus cœlestibus, quia certum est, quòd Angeli, & Cœli influant in hæc inferiora, absque eo quòd repatiantur ab illis, cum ipsorum naturæ sint incorruptibiles, & impassibiles: sed de agentibus sublunaribus materialibus, & corporeis, quæ inter se contrariantur, & ab eodem subiecto ad inuicem expelluntur.

11. Conclusio sic intellecta prob. ratione, quia agendo in passum sibi contrarium, passum resistit agenti: sed dum passum resistit agenti, illud sibi subijcit: ergo agens agendo repatitur. Confirmatur aliquibus experientijs; nã ferrum ignitum in aqua submersum, calefacit illam, & frigesit ab ea: glacies posita in manu, liquefit à manu, & infrigidat ipsam: gutta aquæ supra prunam cadens, extringuit aliquam eius partem, & ab ipsa pruna in vaporẽ vertitur: & sic de alijs

12. Di-

12. Dices: ex hac conclusione sequitur, frigidum vt sex nunquam posse producere aliud frigidũ eiusdẽ intensionis: at hoc est manifeste falsum: ergo. Probatur sequela maioris, quia si frigidum vt sex, dum agit, repatitur, non potest nõ remitti eius frigiditas vsque ad frigiditatem v.g. vt quinque: sed frigidum vt quinque nequit attingere frigidum vt sex, vt patet: ergo. ¶ Respondetur negando sequelam maioris, & ad probationẽ dico, conuincere intentum in agentibus, qui producunt effectum media qualitate sibi non connaturali, & ab eorum essentia non dimanante, vt contingit in aqua calida; nõ tamẽ in agentibus operantibus per qualitatem sibi connaturalem, & ab illorum essentia dimanantem, eisdéque in instanti generationis debitam, vt cum aqua per suam connaturalem frigiditatem operatur: nam hæc agẽtia cessante actione passi in ipsam, possunt se quantocius ad pristinam intensionem reducere, & in tota illa passum sibi assimilare.

DISPVTATIO VIII.

De Mixtione.

DVBIVM PRIMVM

An Mixtio sit possibilis?

1. Mixtio duplex est, vna per quã multa corpora, vel multæ particulæ eorum confusa ratione coniunguntur solùm secundùm approximationem localem; immutata verò permanent secundùm substantiam: quo pacto farina ex granis tritici, & hordei simul concisis mixtum vocatur. Et hæc est acceptio impropria mistionis, quia aggregatũ tantùm ex miscibilibus vocatur mixtũ; non tamen quælibet pars eius est mixta, quia non quælibet continet partes vtriusq; grani. Secundo modo accipitur propriè pro vnione corporum, vel partium, ex qua mediante eorum alteratione, & corruptione resultat aliquid vnum substantiale distinctum ab omnibus. Præsens dubium non procedit de mixtione impropria, cum certum sit, quòd illa detur in rebus, sed de propria, an sit possibilis?

2. Super quo est triplex opinio. Prima absolutè negat, mixtionem esse naturaliter possibilem. Cuius fundamentum est duplex. Primum, quia vt mixtum fiat immediatè ex elementis per veram mixtionem necesse est, vt elementa priùs conueniant ad vnum aliquem locũ, & quòd ibi simul applicentur ad agendum, & patiendum, vt per talem actionẽ & reactionem se corrumpant, & in materia eorum introducatur forma mixti: sed repugnat, omnia quatuor elementa conuenire ad locum aliquẽ determinatum naturaliter: nam si esset sursum, non possent moueri ad illum naturaliter grauia; si deorsum, non possent moueri leuia; & si esset medius, repugnaret moueri ad illum naturaliter extrema, vt per se est manifestum: ergo mixtio naturaliter est impossibilis.

3. Alterum fundamentum est, quia etiam si elementa omnia simul concurrerẽt, repugnat per talem concursum fieri mixtionem; quia naturaliter est impossibile, quòd in tali proportione applicentur, in qua nõ corrumpatur aliquod eorum à suo contrario, priùs quàm alia, cum tam diuersa sit actiuitas, & resistentia eorum: ergo mixtio naturaliter non est pos-

possibilis Patet consequētia, quia ad hoc vt fiat mixtio, necesse est vt materia omnium elementorum simul informetur forma mixti, ac proinde quòd omnia illa simul se corrumpant.

4. Secunda opinio est P. Ruuij hic quæst. 1. vbi tria dicit. Primò, naturaliter loquendo nunquam dari mixtionem ex concursu omniū elementorum factam. Et probat sic: quia licèt tria elementa, nempe aer, aqua, & terra possint naturaliter congregari ad generationem mixti, repugnat tamen cōgregari ignem siue in terra, siue in aqua, siue in aere, quia ignis non potest naturaliter descendere, cum motus deorsum sit contra inclinationem eius. Quòd verò fulgura descendere videamus, non probat ignem descendere, sed solùm ignitam exhalationem. Ergo nulla datur mixtio per congregationem quatuor elementorum facta. ¶ Secundò dicit, quòd si quatuor elementa per diuinam virtutem cōgregarentur in vnum locum in certa ac determinata proportione, tunc naturaliter daretur mixtio. Quod probat, Tum quia nulla ratione efficaci probatur impossibilitas Tum etiam quia videmus ex aqua, terra, & aere simul concurrentibus generari imperfecta animalia, aliaque mixta: ergo sicut duo, vel tria hæc elementa concurrere possunt ad propriam mixtionem ita proportionata secundū actiuitatem, & resistentiam, vt per mutuam actionē, & reactionem sese corrumpant, & talis dispositio ex hoc relinquatur in eorum materijs quam naturaliter consequatur forma mixti; ita poterunt concurrere quatuor, si adeo applicentur. ¶ Tertiò dicit, non solùm esse possibilem naturaliter mixtionem duorum vel triū elementorum, sed sæpe dari. Et probat experientia adducta de generatione animalium imperfectorum ex putrefactione terre, & concursu aquę & aeris, quam videmus fieri vigente pluuia æstiuo pręsertim tempore.

5. Tertia, & vera opinio docet, mixtionem etiam ex quatuor elemētis esse naturaliter possibilem, & dari de facto in rerum natura. Ita tenent Complut. hìc disp. 9. q. 1. Mailhat. disp. 5. sect. 1. concl. 1. & alij plures. Prima pars probatur quia omnia elementa sunt ordinata à natura ad generationem mixti: ergo possibilis est mixtio ex omnibus illis. Patet cōsequentia, quia aliàs ordinatio illa à natura esset frustranea, quod non est dicendum.

6. Secunda etiam pars suadetur sic. In pluribus mixtis de facto reperitur grauitas: ergo debet in illis cōcurrere elementum terræ, à quo grauitas illa originatur. Vbi autem cōcurrit elementum terræ, debet etiam concurrere elementum aquæ, ad hoc vt sua humiditate contemperetur siccitas illius, aliàs fieri non posset coagulatio, nam nimia siccitas omnia in puluerem reducit. Si verò terra, & aqua concurrunt ad productionē prædictorum mixtorum, *oportet vt* concurrant alterata; sed *non possunt* alterari, nisi à suis contrarijs, quæ sunt aer, & ignis: ergo etiam hæc duo elementa concurrere debent in prędictis mixtis, ac proinde omnia quatuor elementa.

7. Ex dictis manet solutum primum fundamentum primæ sentētię. Et ad illud, quod dicit de igne secūda sententia respōdeo nullam apparere repugnantiam, naturaliter aliquam exhalationem inflammari sursum ab igne

igne, & vſque ad locum mixtionis deſcendere, ſicuti fulmina, quæ licèt ſint exhalationes ignitæ, tamen ſecũ deferunt ignem, cũ videamus plura corpora comburere, atque inflammare. ¶ Ad ſecundum verò fundamentum dico, quòd licèt diuerſa ſit actiuitas, & reſiſtentia elementorum, exceſſus tamen vnius ſupra aliud poteſt non eſſe magnus, & taliter bellum attemperari, vt omnia ſimul corrumpantur: nam quando exceſſus non eſt magnus, vnum non poteſt communicare alteri ſuam naturam, quia priùs quàm introducat diſpoſitiones in illo, fiet reactio, & repaſſio, per quas etiam in ipſo introducũtur diſpoſitiones contrariæ, & corrumpitur: vtriſque autem corruptis, in eorum materijs introducitur forma mixti.

DVBIVM SECVNDVM

Quid ſit mixtio, et quænam ſit eius cauſa efficiens?

8. Circa primum de quidditate mixtionis Ariſtoteles in præſenti libro cap. 10. ita eam definit: *mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio*. Quam definitionem vitioſam eſſe affirmat Scaliger exercit. 3. idq; probat, quia vitium definiendi eſt, ignotum per aliud non minus ignotũ explicare (hoc enim modo nunquam poterit cognoſci definitum) ſed ita Ariſtoteles hac definitione explicat mixtionem: ergo hæc definitio eſt vitioſa. Probatur minor, hac definitione definit mixtionem per miſcibile: atqui miſcibile eſt ita incognitum, ſicut mixtio: ergo.

9. Dicendum tamen eſt, definitionem mixtionis ab Ariſtotele traditam, eſſe bonã. Ita ſentiunt omnes eius interpretes in dicto cap. 10. Et probatur quia bona definitio eſt ea, per quam explicatur natura definiti, & diſtinguitur à quibuſcumque alijs: ſed talis eſt hæc definitio: ergo eſt bona. Probatur minor, in mixtione tria requiruntur. Primum eſt, coniũctio eorum, quæ miſcenda ſunt. Secundum, mutua eorum alteratio. Et Tertium introductio formę mixti in in eorum materijs. Et per hæc tria mixtio diſcernitur ab alijs mutationibus: atqui omnia iſta, tradita definitio explicat, vt intuenti patet: ergo.

10. Confirmatur, quia quòd mixtio ſit miſcibilium alteratorũ vnio, idem eſt ac ſubſtantialis coniunctio miſcibilium: hæc autem ſubſtantialis coniunctio miſcibilium fieri non poteſt, niſi prædicta tria interueniant; nam niſi miſcibilia ſint ſimul in vno loco, & per mutuam actionem, & reactionem alterentur, & corrumpantur, & in eorum materijs introducatur forma ſubſtantialis mixti, nunquam vnientur ſubſtantialiter per veram mixtionem: ergo definitio tradita explicat omnia, quę ſpectant ad quidditatem mixtionis.

11. Ad argumentũ oppoſitæ ſententiæ neganda eſt minor, quòd mixtio definiatur ab Ariſtotele per aliquid ignotum, quia priùs quàm mixtionem definiſset, explicuit quidnam miſcibile ſit, vnde iam notum erat dum per illud definita eſt mixtio.

12. Circa ſecundum, quod quæſiuit titulus dubij, de cauſa mixtionis, eſt prima opinio quorumdam Recentiorum aſſerẽtium, eam eſſe ipſamet miſcibilia. Quæ opinio eſt apertè falſa; *primò* quia omnis cauſa propria per ſe intendit productionẽ ſui

sui effectus: mixtio autem non intenditur per se à miscibilibus; nam miscibilia dum concurrunt ad agendū, quodlibet non intendit productionem mixti, sed destruere suum contrarium, & communicare illi propriam naturam: ergo miscibilia non possunt esse propria causa mixtionis *Secundò* quia sæpe contingit, mixtū productum ex concursu elementorum, esse corpus viuens: sed elemēta non possunt esse causa corporis viuentis, cùm sit esentialiter perfectius non solùm singulis, sed etiā omnibus simul sumptis: ergo repugnat miscibilia esse causam mixtionis, aut mixti per eam producti.

13. Secunda & vera opinio tenet, mixtionē non causari ab aliqua causa particulari, sed solùm à causis vniuersalibus. Er prob. quia mixtio & corpus mixtum debet habere causam per se, à qua procedat: sed causa per se non sunt miscibilia, vt probauimus, nec est excogitabilis alia sublunaris: ergo necessariò recurrendum est ad causas cælestes, quæ vniuersales dicuntur, quia concurrunt ad productiones omnium sublunarium, & supplent defectum causarum inferiorum.

14. Dices: mixta viuentia non solùm sunt perfectiora miscibilibus, sed etiam causis vniuersalibus & cælestibus: ergo neque istæ possunt esse causa efficiens eorum. Resp. respectu mixtorum viuentium, solem, aliaque astra esse tantùm causam instrumentalē; intelligentias verò mouentes Cœlos, esse causam principalem, vt dixi in lib. 2. de Cœlo disp. 2. dub. 4. num. 36.

DVBIVM TERTIVM.

Quomodo elementa maneant in mixto?

15. PRima opinio asserit, non solùm materias elementorum manere in mixto, sed etiam formas substantiales. Ità Albertus Magnus lib. 1. de generat. tract. 6. cap. 5. & lib. 6. de Cęlo tract. 2 cap. 1. & 8. Scaliger exercit. 101. Aquilin. lib. 3. de elementis art. 3. & alij. Quorum primum argumentum est, quia si in mixto non manent formæ substantiales elementorum, sed solùm eorum materiæ, sequitur non alio modo permanere in eo, ac permanet quodcumque corpus in alio ex eo genito, vt aer in aqua, si ex eo fiat: atqui hoc est falsum, quia nemo vnquam dixit, corruptum permanere in genito, & omnes affirmant, elementa permanere in mixto: ergo sentiunt, aliquid præter materiam permanere, scilicet formas substantiales.

16. Secundum argumentum pro hac opinione est: quia si elementa non manent in mixto secundū formas substantiales; sequitur mixtum non minùs esse corpus simplex, quā elementa: consequens est *falsum*: ergo falsum est etiam, quòd elementa secundùm formas non maneant in mixto. Sequela prob. quia si in mixto non manent formæ substantiales elementorum: ergo solùm habebit compositionem substantialem ex materia, & forma, & accidentalem ex subiecto, & accidentibus: sed vtramque compositionem habēt elementa, vt per se est manifestum: ergo

17. Sed hæc opinio est falsa, quia si

si elementa manent in mixto secundùm formas substantiales, vel in singulis partibus materiæ eiusdē mixti permanent, vel singulæ tantùm in singulis partibus eiusdem materiæ. Si primum concedatur, euidenter ex eo sequitur, plures formas substantiales informare eandem partem materiæ, quod naturaliter saltem esse impossibile, docent omnes. Si verò dicatur secundum, sequitur nullam dari veram, & propriam mixtionem. Probatur consequentia, quia vna ex conditionibus omnino necessarijs veræ mixtionis est, quòd quælibet pars corporis mixti sit mixta: sed nulla daretur pars corporis mixti, quæ mixta esset, si in nulla essent omnes formæ elemētorum, vt per se est manifestum: ergo nec daretur propria mixtio.

18. Secundò, quia si elementa manent in mixto secundū proprias formas substantiales, vel præter illas habet mixtum aliam substantialem formam, vel non. Si non habet aliam, sequitur primò nullum dari mixtum animatum, quia formæ elemētorum non sunt animæ, sed ea inferiores. Sequitur secundò, corpora mixta nō distingui specie inter se. Consequētia hæc probatur, quia distinctio specifica corporum est per formas substātiales: sed omnia mixta habent easdē formas substantiales elementorum, & nullam aliam: ergo non distingūtur specie inter se. Si verò dicatur, habere aliam formam, euidenter sequitur, in singulis partibus materię dari duplicem ad minus formā substantialem. Prob. consequentia, quia forma mixti, quæ datur distincta à formis elementorū, necessariò debet informare totam materiam elementorum, vt totum corpus sit mixtum: ergo debet etiam informare omnes, & singulas partes eius: sed in singulis partibus reperiuntur singulæ saltem formæ elementorum: ergo vt minimum informabūtur singulæ duabus formis substantialibus, nempe propria, & communi forma mixti omnes informante.

19. Secunda opinio tenet, elemēta manere in mixto, solùm quia manent in eo qualitates primæ, quæ sūt virtutes propriæ ipsorum elementorum. Ita Ruuius in præsenti, Complutentes, Mailhat, & alij. Sed hęc opinio etiam mihi videtur improbabilis. Primò, quia mixtum, priusquam ab ipso emanent huiusmodi primæ qualitates, intelligitur iam constitutum in ratione mixti: sed in eo sic prçintellecto manent elemēta: ergo elementa non manent in mixto ratione primarum qualitatū. Secundò, quia per hoc quòd quatuor primæ qualitates sint in mixto, tantùm sequitur, virtutes elementorum, non autem eorum formas substantiales, seu elementa ipsa manere in illo: & sic mixtum substantiale, de quo loquimur, non esset mixtum ex formis substantialibus elementorum, seu ex elementis, sed ex accidentibus. Quod est omnino falsum. Et tertiò, quia si elementa solùm sunt in mixto ratione suarum virtutum, operationes, quas medijs illis virtutibus mixtum eliciet, attribuentur elementis tanquam causis principalibus. Quod non est minus absurdum.

20. Tertia opinio docet, elementa manere in mixto, quia forma mixti continet virtualiter formas substantiales elementorum. Et hæc opinio mihi videtur vera, & tenenda. Ratio autem est: quia qualitates elementorum sunt naturales eorū proprie-

tates, & naturaliter emanant à substantijs eorum: ergo vbi non est substantia elementorum, non possunt reperiri qualitates istæ: sed reperiuntur in mixto: ergo in mixto reperiri debet substantia elementorum: at nō reperitur formaliter, quia mixtum formaliter non est elementum: ergo reperitur vt virtualiter contenta in forma substantiali mixti.

21. Dices: Forma continens virtualiter alteram formam, potest ita perfectè elicere operationes illius formæ, ac illa altera forma eas elicit: sed forma mixti non potest elicere hoc modo operationes elementorū: ergo forma mixti non continet virtualiter formas elementorum. Prob. minor experientia: experimur enim mixtum multo imperfectius calefacere, quàm elementum ignis; & multo imperfectius humectare, quàm elementum aquæ; & sic de cæteris: ergo &c. Respōdetur quòd mixtum non continet elementa in sua puritate, sed vt refracta: & qualitates primæ, quæ profluunt à mixto, non sunt in gradu illo excellenti, & secūdùm eam formalitatem, qua sunt virtus propriæ elementorum, sed in gradu remissiori, vt ad quādam temperiem, & modificationem redactę, qua ratione dimanant tanquam proprietates ab ipsa forma mixti: & ideo mixtum non potest elicere operationes illas ita perfectè, sicut eas eliciunt elementa.

22. Ex dictis patet responsio ad primum argumentum primæ opinionis. Ad secundum dico, quòd licèt in mixto nulla reperiatur compositio præter substantialem, & accidentalem, vtraque tamen est maior in illo, quàm in elementis; compositio quidem substantialis, quatenus constat materia ex pluribus elementorū materijs coagmentata, & forma mixti virtualiter formas elemētorum continente. Accidentalis verò, quatenus in illo formaliter reperiūtur omnes quatuor primę qualitates, cùm in elemento sint tantùm duæ.

DVBIVM QVARTVM.

An inter liquores sit possibilis vera, & rigorosa mixtio?

23. Explicata natura mixtionis in elementis, quæ misceri solent, & modo, quo miscibilia permanent in mixto; restat agere de mixtione liquidorum corporum, an vera sit, & propria, vel solùm secundùm situm, & apparentiam misceantur: v. g. cùm miscentur aqua & vinum, vel vinum & acetum, aut liquores alij, quærimus, an corrumpantur secundùm proprias formas substantiales, ita ut ex vtroque resultet tertiū ab eis distinctum, vel integra permaneant, & solùm misceantur secundùm apparentiam, et eo quòd mutuo se intersecant, & peruadunt.

24. Prima conclusio, inter liquores diuersæ, vel eiusdem speciei, habentes qualitates contrarias, possibilis est vera mixtio. *Prob. quia tunc* fit vera mixtio, quando miscibilia sunt simul, habent qualitates contrarias, & in ea proportione applicatas, vt ad inuicem se destruant: sed totum hoc est possibile inter liquores de quibus loquimur in conclusione: ergo inter illos possibilis est vera mixtio. Prob. minor, liquores misceri possunt secundùm omnes partes; ergo si constent cōtrarijs qualitatibus, possunt se alterare: & si in

debita

debita proportione applicentur; possunt se ad inuicem destruere, sed hæc sunt, quæ necessariò requiruntur ad mixtionem; ergo.

25. Secunda cõclusio, inter liquores verò eiusdem speciei non habẽtes qualitates contrarias, non est possibilis vera mixtio Probatur, quia ad veram mixtionẽ requiritur mutua alteratio miscibilium, per quam ad inuicem corrumpantur secundùm suas entitates, cum mixtio sit *miscibilium alteratorum vnio*: sed vbi non est contrarietas qualitatum, non potest esse mutua alteratio corruptiua miscibilium, quia omnis corruptio in contrarietate fundatur: ergo inter liquores non habentes qualitates cõtrarias nõ est possibilis vera mixtio

26. Ob: 1. contra primam conclusionem. Ad veram mixtionem requiritur corruptio miscibilium: sed liquores eiusdem speciei etiam si habeant qualitates contrarias, non se corrumpunt: ergo inter eos non est possibilis vera mixtio. Prob. minor, quia agens naturale intendit assimilare sibi passum in natura specifica: ergo si inuenit illud iam simile, non agit in illud. ¶ Resp. negando minorem, & ad probationem dico primò, quòd cùm celũ, aut alia causa vniuersalis, sit causa principalis mixtionis, hæc poterit mediis prædictis liquoribus vt instrumentis illos corrumpere, & alium ab eis distinctum producere, quia prædicta causa vniuersalis iam specie differt ab omnibus illis. Dicò secundò, corruptionem illam non prouenire ex liquoribus, sed ex qualitatibus, quæ contrariæ sunt, & ideò vnaquæq; agit in aliam, ex qua actione, & reactione corrumpuntur ad inuicem, quibus corruptis sequitur corruptio liquorum, quia sine debitis dispositionibus conseruari non possunt.

27. Ob: 2 contra secundam conclusionem. Si duo liquores, & si non habeant qualitates contrarias, ita cõfunduntur, vt quilibet suis partibus peruadat omnes partes alterius, tunc se intersecant vsque ad partes minores minimis: sed in quãtitate minori minima eorum forma conseruari non potest: ergo vtrumque corrumpetur, & consequenter generabitur tertium aliud mixtum ab eis distinctum. ¶ Resp. negando minorem, tùnc enim vnus liquor in minutissimas partes diuisus, conseruari non potest, quando prædictæ partes non coniunguntur & continuãtur cum partibus alterius liquoris omnino similis; in casu autem argumenti partes vnius liquoris continuantur cũ partibus alterius liquoris omnino similis, & ideò non corrumpuntur, quantumuis inter se intersecentur.

28. Ob: 3. contra solutionem datam. Priùs est, quòd pars minima vnius liquoris diuidatur per dimidietatem à parte alterius liquoris, quàm quòd coniungatur, & continuetur cum illa: ergo cùm res conseruari non possit in parte minori minima, in illo priori pars illa corrumpetur: sed eadem ratio militat de partibus alterius liquoris: ergo ambo liquores corrumpentur, & ex eis generabitur tertius. ¶ Resp. negando consequentiam, quia prioritas ista solùm est *rationis*, non autèm *realis*: & sic in eodem instanti, in quo pars minor minima diuiditur in duas medietates, intercedit inter illas pars alterius liquoris eiusdem prorsùs rationis, cum qua continuantur medietates illæ. Deinde, etiã

si admitterem, quòd per aliquod instās reale pars illa esset diuisa in duas medietates, non propterea statim corrumperetur, quia res sub statu indebitæ dispositionis potest per aliquod breue tempus cōseruari in suo minori minimo: quare si postea medietates illæ vniantur cum partibus alterius liquoris omnino similis, poterunt conseruari absque entitatiua earum corruptione, quia pars minor minima vnita alijs partibus, conseruatur vnà cum illis.

IN SECVNDVM LIBRVM

De generatione, & coruptione.

DISPVTATIO IX.

De elementis.

1. Explicata natura generationis, & corruptionis substantialis rerum naturalium in communi, atque etiam alterationis eam præcedentis, nutritionis, & augmentationis eam consequentis, actionis, & reactionis, mixtionisque, quibus medijs fit: agendum statim foret de generatione eadem substantiali earūdem rerum in particulari. Sed quia inter naturalia, vel sensibilia corpora, vt generationi, & corruptioni subdita, primum locum tenent simplicia, (quæ vocantur elementa) ex quibus cætera omnia (quæ mixta vocant) generantur, elementa verò non ex alijs: ideò necesse fuit in hoc secundo libro disserere de generatione elementorum, atque mixtorum in communi, vt statim possit disputatio institui de alijs corporibus mixtis in particulari in reliquis operibus naturalis philosophiæ. Et hoc est intentum huius libri.

2. Multa autem de elementis diximus in libris de Cœlo disp. 3. hic solùm tres difficultates remanēt examinadæ. Prima est. *In quo gradu intensionis primæ qualitates conueniant elementis?* Aristoteles in hoc secundo libro de generat. c. 3. tex. 16. duas primas qualitates assignat singulis elementis, & cōsequenter quęlibet ex illis debet in duobus elementis reperiri, licèt non in eodem gradu intensionis, sed in vno summo, & in alio citra summum; quia in vnoquoque genere debet assignari vnum maximum, quod sit mensura cęterorum; aliàs non dignosceremus tantitatem perfectionis eorū, quę sūt in illo genere. difficultas est, quibus elementis prædictæ qualitates conueniant in summo, & quibus citra summum.

3. Et respondetur breuiter, Ignē esse in summo calidum, & siccum: Aerem calidum, & humidum citra summum: Aquam humidam in summo, & frigidam citra summum: & Terram frigidam in summo, & siccam citra summū. Ità tenent Thomistæ; probatur quod ad singulas partes.

4. Et primò quòd ignis sit *summè* calidus. Quia ignis est perfectissimū elementum inter omnia: ergo debetur ei perfectissima qualitas *inter* primas, & in perfectissimo *gradu*: sed perfectissima qualitas inter primas, est calor; & perfectissimus gradus est summus: ergo ignis est calidus in summo. Confirmatur, quia leuitas prouenit ex calore: sed ignis est summè leuis, vt ex loco ipsius constat: ergo est summè calidus.

5. Prob. secundò quòd ignis sit summè siccus. Quia duæ sunt causæ siccitatis, vna est frigus cōdensans, & comprimens humidum: alia calor

lor destruens humidum, euaporare faciens illud: sed calor summus ignis potentior est ad euaporandum, & consumandum humidum, quã terræ frigiditas ad comprimendum illud, cùm calor ex natura sua sit actiuior frigiditate: ergo ignis erit siccior terra, & per consequens in summo.

6. Probatur tertiò, aerem esse calidum & humidum citra summum. Quia Aer est calidus & humidus: nõ in summo: ergo citra summum. Cõsequentia patet ex præmissis. Minor liquet, quia eadem prima qualitas nõ potest reperiri in duobus elementis in summo: ergo si ignis est summè calidus, vt probatum est, & aqua summè humida, vt statim probabitur, aer non erit calidus, & humidus in summo. Maior verò probatur; quia elementa contigua habent vnam qualitatem symbolam: ergo cùm aer sit contiguus igni & aquæ, & ille sit calidus, ista verò humida, aer erit calidus & humidus.

7. Probatur quartò, aquam esse humidam in summo; quia sensibilia per sensus iudicanda sunt, cùm sint propria eorum obiecta: sed per sensum tactus experimur, plus humectare aquam, quàm aerem: ergo aqua est magis humida, quàm aer; ac proinde in summo. Ex quo patet, solùm citra summum esse frigidam, quia summa frigiditas non est compossibilis cum summa humiditate.

8. Probatur vltimò, terram esse frigidam in summo; quia frigiditas in summo in aliquo elemento reperiri debet: ergo cum non reperiatur in alijs, nisi in aqua, & terra, & aqua est frigida citra summum, terra erit frigida in summo. Quòd autem sit solùm citra summum sicca, patet ex dictis, nam siccitas in summo conuenit elemento ignis, vt ostensum est: ergo terra eam solùm habet citra summum, quia vna prima qualitas non potest in duobus elementis reperiri in summo.

9. Secunda difficultas est, *an quodlibet elementũ ex quocunque alio generari possit?* Noto, quòd in præsenti inquirẽtes, an quodlibet elementum ex quocunque alio generari possit, non loquimur de illis *secundùm se tota*, quia sic certum est, supposito ordine vniuersi, nullum elementum posse in aliud transmutari: sed *secundùm partes*; quia huiusmodi transmutatio non officit illius dispositioni.

10. Et respondeo affirmatiuè; quia ad generationem nil aliud requiritur nisi quòd generãs introducat in materia dispositiones contrarias, medijs quibus expellat formam in ea existẽtem, & ex ea educat formam sibi similem secundùm speciem: sed quodlibet elementum respectu alterius cuiuscunque totum hoc facere potest; quia omnia elementa habent materiam communem, & contrarietatem ad inuicem vel secundùm vnã, vel secundùm vtranque qualitatem: ergo quodlibet elementum ex quocunque alio generari potest.

11. Tertia difficultas est, *An transitus sit facilior inter elemẽta symbola, quam inter dissymbola?* Illa elementa dicuntur symbola, quæ conueniunt in vna qualitate: illa verò dissymbola, quæ in vtraque disconueniunt. Hoc posito, communis sententia docet, inter elementa symbola faciliorem esse transitum, quàm inter dissymbola. Et rationem reddit D. Th. 2. de generat. cap. 4. tex. 25. his verbis. *Cum ea, quæ habent symbolum, transmutantur, non est necessa*

tran-

transmutari, nisi tantùm alteram qualitatem: quando verò ea, quæ transmutantur ad inuicem, in nulla qualitate conueniunt, vtramque qualitatem necesse est transmutari; facilius autem est, vnum transmutari, quàm plura.

12. Ob. 1. Terra, & ignis sunt elementa symbola: ignis verò, & aqua dissymbola: cum illa in siccitate conueniant, ista verò in nulla qualitate: & tamen gutta aquæ faciliùs cõuertitur in ignem, quàm particula terræ, vt experientia constat: ergo inter elementa symbola non est facilior trãsitus, quàm inter dissymbola. ¶ Respondetur concesso antecedenti quoad vtramque partem, negatur consequentia, quia in casu allato cetera non sunt paria, cum particula illa terræ, quæ secundùm externam speciem videtur habere æqualitatem cum gutta aquæ, habeat plus de materia, quàm prædicta gutta, ideoque non mirum, quòd ratione huius maioris multitudinis materiæ magis resistat.

13. Ob. 2. Transmutatio vnius elementi in aliud, fundatur in contrarietate eorum ad inuicem: ergo illa elementa, quæ maiorem contrarietatem inter se habebunt, erunt meliùs, ac proinde faciliùs inter se transmutabilia: sed elementa dissymbola habent inter se maiorem contrarietatem, quàm symbola: ergo faciliùs illa, quàm ista ad inuicẽ transmutantur. ¶ Resp. concesso antecedenti, neganda est prima consequentia, nam licèt contrarietas requiratur ad generationem, eam tamen retardat, quia eo ipso quòd agens, & passum sunt contraria, adest pugna, redditurque difficilis victoria, & quo magis fuerint contraria, eo maior erit pugna, maiorque difficultas in victoria.

DISPVTATIO X.

De Mixtis.

1. Mixtum est corpus resultans ex corruptione miscibilium. Estque duplex, aliud perfectum & aliud imperfectum. Mixtum imperfectum est illud, quod est compositum ex duobus, vel tribus tantùm elementis. Perfectum verò, quod constat ex omnibus quatuor elementis. Ratio est, quia mixtorum perfectio, & imperfectio desumitur penes hoc, quòd magis vel minus elongatur à corpore simplici, seù elementali: illud autem magis vel minus elongatur à corpore simplici seu elementali, quod est magis, vel minus compositum: atqui magis compositum est mixtum ex omnibus quatuor elementis, quàm ex tribus, vel duobus tantùm: ergo illud erit perfectum, istud verò imperfectum.

2. Durandus in 2. dist. 30. quest. 1. putat, in mixtis non esse quatuor primas qualitates. Contraria tamen sententia est communis, & tenenda; quia si in mixto non essent quatuor primæ qualitates, non esset ab intrinseco corruptibile, ideo n. mixtũ est ab intrinseco corruptibile, quia componitur, ex contrarijs mutuò inter se agentibus, & reagentibus.

3. Dices: contraria definiuntur, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: atqui primæ qualitates sunt contrariæ: ergo implicat, quòd sint simul in eodem mixto. ¶ Resp. contraria solùm in gradibus intensis manere non posse simul in eodem subiecto, non autem in gradibus remissis.

missis. Quatuor autem primæ qualitates in mixto non manent in gradu intenso, sed remisso.

4. Dices secundò; Duæ formæ substantiales nullo modo possunt esse simul in eadem materia: ergo multo minus duæ qualitates contrariæ in eodem subiecto: plus n. contrariantur istæ qualitates, quàm formæ substantiales: ergo si hæ inuicem se expellunt ab eadem materia, à fortiori illæ expellent ab eodem subiecto.

℥ Respond. negando consequentiam; & disparitas est, quia formæ substantiales dant esse simpliciter, formæ verò accidentales esse secundū quid: Esse autem simpliciter non potest multiplicari, bene tamen esse secundùm quid.

5. Dices tertiò; Si in mixto essent quatuor primæ qualitates, idem subiectum esset simul calidum, & frigidum, humidum, & siccum, quia omnis qualitas denominat subiectū in quo est: & cum calidum importet negationem frigidi, & humidum negationem sicci, idem subiectum esset simul frigidum, & non frigidum, siccum, & non siccum, quæ sunt contradictoria: ergo implicat quòd simul in eodem subiecto maneant.

℥ Respond. quòd subiectum quamuis possit ab vtraque qualitate denominari, vulgo tamen ab intensiori denominatur; nec in hac denominatione vna dicit negationem alterius, sed tantùm maiorem intensionem. Si autem qualitates sunt in æquali intensione, denominatur nomine aliquo simplici, exprimente æqualitatem istam; sicut aqua æqualiter calida, & frigida dicitur tepida.

6. In aliquibus mixtis vltra quatuor prædictas dari alias primas qualitates. Quia virtutes hærbarum, lapidum, & vis attractiua magnetis, sunt qualitates primæ, distinctæ ab enumeratis. Illæ n. qualitates dicuntur primæ, quæ non nascuntur ex alijs qualitatibus; illę verò secundę, quę nascuntur ex primis: atqui virtutes herbarum, lapidum, & uis attractiua magnetis non resultant, seu nascuntur ex alijs qualitatibus. Si n. resultarent ex permixtione primarū, vbicunque esset eadem permixtio, ibi resultarent; & tamen videmus, solùm in herbis, lapidibus, & magnete reperiri, non autem in alijs mixtis, quamuis in eis eadem permixtio, & combinatio primarum qualitatum arte vel natura fiat.

7. Quęres; *quodnam temperamentum naturaliter competat mixtis?* Tēperamentum nil aliud est, nisi naturæ cuiuscunque mixti apta primarū qualitatum dispositio. Ista autem primarum qualitatum dispositio est duplex, vniformis scilicet, & difformis. Dispositio vniformis dicitur illa in qua primę qualitates sūt in omnimoda proportione, ęqualitate, & pondere; vocaturque *temperamētum æquale ad pondus*. Difformis verò in qua qualitates istę ab ęquilibrio in diuersam latitudinem recedunt.

8. De temperamento difformi nulli dubium est, posse naturaliter reperiri in mixtis. Difficultas est, de temperamento vniformi, nam aliqui volunt illud naturaliter esse possibile quia nulla apparet repugnantia dari quatuor primas qualitates in ęquali proportione, & temperie: ergo vt sic proportionatę, & temperatę poterunt naturaliter postulari ab aliqua forma mixti. Si n. dantur formę mixti postulantes naturaliter easdē qualitates in gradu inęquali; cur non poterit dari aliqua forma perfectissima,

ma, postulans easdē sub gradu equali, & omnino proportionato?

9. Alij verò hoc negant, & melius; quia ad hoc vt elementa concurrant ad faciendum mixtum, necesse est, vt alterum illorum prædominetur alteri, cum actio semper sit à proportione maioris inequalitatis. Quotiescunque autem plures causę concurrunt ad aliquem effectum, & vna concurrit vt prędominans, & excedens, tunc prędominium, & excessus talis causę splendere debet in effectu. Et ista est repugnãtia, quę apparet, vt quatuor primę qualitates in gradu equali dentur in aliquo mixto. Hęc sint satis pro his duobus libris de generatione, & corruptione.

TRACTATVS VNICVS DE METEORIS EX QVATVOR LIBRIS METEORORVM ARISTOTELIS DESVMPTVS.

PROOEMIVM.

Postquam Aristoteles in libris de generatione communem elementorum, cæterarumque dissolubilium rerum doctrinam exhibuit: accedit in hoc opere ad scrutandam sigillatim mixtorum naturam. Et quia eorum, quę permixtione oriuntur, quædam sunt mixta animata, quædam animæ expertia: ideo Aristoteles harum rerum explicationem ita distribuit, vt hisce quatuor meteororum libris mixtorum anima carentium disciplinam tradat; in reliquis verò Philosophiæ operibus de mixtis animatis disputet. ¶ Nuncupantur autem hi libri de meteoris, propterea quòd sint de rebus, quæ in sublimi mundi sublunaris ragione oriuntur. Et licèt Aristoteles hoc loco tractet etiam ex professo de ijs, quæ in subterraneis locis, & terrę gremio nascuntur: tamen quia quæ in sublimi apparent, magis conspicientibus admiranda sunt, ideo ab his tota tractatio nomen accepit. ¶ In hoc autem opere præter consuetudinem nostram statuimus, ex ijs, quæ ab Aristotele sparsim traduntur, digniora, & præstantiora in tractatum vnum seligere, atque omnia in capita summatim distributa legentibus proponere, ne Philosophicum studium nimis protrahant, cum disputationibus obnoxia minime videantur.

CA-

CAPVT I.

De materia, causa effectiua, & locis meteororum.

1. VT ad ea, quæ progressu dicenda erunt, facilior aditus pateat, quædam meteorologicis rebus communia præmittere necessè est. Hæc autem tria sunt. *Primū*, quænam sit earum materia. *Secundum*, quæ causa effectiua. Et *Tertium*, quis locus, in quo gignuntur. Incipiendo autem à primo, Meteorologicæ impræssiones duplicē habent materiam, vnam remotam, alteram proximam. Materia remota est potissimum terra, & aqua: hæc enim materiam propinquam, ex qua fiunt meteora, de suo dant. Materia propinqua est vapor, & exhalatio: ex his enim meteora vniuersa oriuntur, non quidem omnia ex vtraque, sed quædam ex vna, quædam ex altera, & aliqua mixtim ex vtraque.

2. Vapor est subtilis quidam halitus, qui cum proueniat ex humore aqueo, natura sua est humidus. Exhalatio similiter est halitus quidam subtilis, qui quia è terra educitur, est natura sua siccus. Vtraque hæc materia retinet speciem fumi, & in vtrisque est calor impressus à calefaciente, à quo eleuantur.

3. Vapor non ascendit vltra mediā aeris regionem; exhalatio verò vsq; ad tertiam, & supremam. Ratio huius est, quia secunda aeris regio cum sit frigida, quando ad eam peruenit vapor, qui est naturæ aqueæ, statim concrescit, & reducitur in aquam. Exhalatio autem, quia non est naturæ aqueæ, non concrescit ibi à frigore, & ideo potest vlterius ascendere, cum sit leuis.

4. Vt autem exhalatio ista terræ igne corripiatur, sicque fiant ex illa meteora ignita, non debet esse summè sicca, sed pinguedinem aliquam retinere, qua flamma nutriatur; quòd enim est summè siccum, in se flammam sustinere nequit, vt patet in cinere, qui ab igne consumi non potest.

5. Quæres. Vtrum vapores, & exhalationes ab elementis, è quibus extrahuuntur, distinguantur essentialiter? Affirmant aliqui, quia vapores, & exhalationes sunt substentię raræ, calidæ, & leues; aqua verò, & terra densę, frigidæ, & graues; affectiones autem testantur naturas. Et confirmatur quia vapor potest verti in aquam: nihil autem commutatur in rem eiusdem speciei; cum omnis commutatio versetur inter diuersas, ac repugnantes formas.

6. Communis tamen sententia docet, nec vaporem ab aqua, nec exhalationē à terra specie distingui, sed accidentaria tantùm ratione. Ita Louanienses lib. 1. tract. 2. dub. 24. Albertus Magnus lib. 1. tract 1. cap. 7. Conimbricenses tract. 1. cap. 1. Ioannes à S. Th. tract. 1. cap. 1. Mailhat sect. 1. & alij passim. Ratio autem est euidens, quia vapor, & exhalatio sunt partes subtiliores aquæ, & terræ: ergo specie ab aqua, & terra non distinguuntur: aqua n. & terra sunt homogeneæ, & consequenter omnes eius partes eiusdem rationis.

7. Ad argumentum contrarium dico, vapores, & exhalationes non ab intrinseco, & ex propria forma habere raritatem, calorem, & leuitatem, sed ab extrinseco ex impressione solis, & aliorum corporum, quę

aquam,& terram calefaciunt. Natura autem cuiuscumque rei non solet dignosci quibuslibet affectionibus, sed ijs, quæ natiuę sunt. Et ad confirmationem respondeo, vaporē non nunquam in aquam verti, quia depositis extraneis qualitatibus accidentaria quadam veluti conuersione, natiuas affectiones induit.

8. Causa efficiens per se rerum meteoricarū est maximè virtus solis & astrorum. Quia sol maximè, & astra suo calore peruadendo terram, & aquam, easque rarefaciendo seu attenuando, exhalationes,& vapores educunt; eductos in sublime eleuant interuentu leuitatis, quæ calorem, & raritatem consequitur; eleuatos in varia formāt meteora, medijs tamen alijs causis inferioribus; puta in cometas, medio calore supremæ ragionis aeris; in nubes, pluuias, & similia, beneficio frigoris mediæ regionis; in fulgura, & fulmina, beneficio motus, & agitationis, vt in progressu explicabitur. Ad plura verò eorum concurrit etiam antiparistasis, seu contrarium obsidens, non vt influēs vel imprimens cōtrario obsesso formam meteoricam, sed vt occasio, quatenus scilicet ratione illius obsessionis crescit cōtrarium obsessum, ex qua crescentia resultat forma meteoris, puta nubis, grandinis, aut huiusmodi.

9. Tria sunt loca, in quibus gignuntur meteora. Primus est sinus terrę, quę vltra quòd sit sicca, & frigida, habet in aliquibus partibus quòd sit cauernosa, fangosa, solida, concreta, vliginosa, sulphurea, & butuminosa. Vbi cauernosa est, ibi concutiones subit, cum halitus interceptus, nec exire valens, magno conatu exitum molitur, & terram concutit. Vbi verò vliginosa, & humida existit, ibi fontium scaturigines, aut riuulos effert.

10. Secundus locus est gremium aquæ, quę vltra frigiditatem, & humiditatem, habet similiter quòd hic inueniatur calida, illic frigida, hic dulcis, illic salsa, nitrosa, aluminosa, sulphurosa, & bituminosa.

11. Tertius locus est aer, in quo oriuntur, quæ propriè meteora nuncupantur. Diuiditur autem vniuersus aer in tres regiones, infimam, mediam, & supremam. Infima est ea, quæ nos ambit, & porrigitur vsq; ad eam partem, quæ non incalescit repercussu radiorum solis. Suprema dicitur quæ intermediat inter concauum ignis, & infra fastigia altissimorum montium. Media verò est, quæ iacet inter illas duas.

12. Suprema aeris regio ob ignis vicinitatē calida est plus quàm eius natura postulet. Infima similiter est calida plusquam natiua eius conditio exposcat, minus tamen quàm suprema; incalescit autem tum reflexione radiorum solis, tum etiam propter ignes subterraneos, seu in terris absconditos. Media verò regio est frigida, quia nec repercussio solarium radiorum, nec feruor elementaris ignis, eo pertingunt: & quidam volunt, quod probabile reputant Conimbricēses, initio Mundi fuisse iniectum à Deo aeri in media regione frigus, ad faciliorem gignendorum imbrium commoditatē. Et in omnibus his tribus aeris regionibus sua generantur meteora; impressiones enim ignitæ in suprema regione, quæ est igni vicina, vt sunt Cometæ. Aliæ in media regione, quæ est frigida, vt nix & grando. Et aliæ in infima, vt pluuia & venti.

13. Sed

13. Sed contra hanc doctrinam obijcies primò; Nihil violentum est perpetuum, vt docet Aristoteles lib. 1. de Cœlo cap. 3. tex. 18. sed nimiú frigus aduersatur naturæ aeris, nec ei nisi per vim potest inesse: ergo media regio aeris nequit tantum frigoris perpetuò seruare. ¶ Respond. id, quod ita est contra priuatam vnius rei naturam, vt sit necessarium naturæ vniuersali, seu ordini ac perfectioni vniuersi; quo pacto se habet frigiditas ad aerem mediæ regionis; perpetuum esse posse: nec Aristoteles de huiusmodi violento intelligi debet.

14. Ob. 2. Si illa pars aeris tantopere algeret, esset grauior aere, qui nos ambit, cum frigiditas addenset, & grauitatem inducat: at si res ita se haberet, perenni reciprocatione subsideret ea pars aeris suo pondere, & hęc certatim ascenderet; quod absurdum videtur: ergo media regio aeris nõ habet in se tantum frigoris. ¶ Respond. licèt aer mediæ regionis propter frigus, aliquid contrahat grauitatis; grauiorem tamen esse infimam eius regionem, quia multum concretionis terræ habet.

CAPVT II.

De circulo lacteo.

1. VISIS, quæ spectant ad meteora in communi, accedimus ad ea in particulari tractanda, quæ in meterologica doctrina celebriora habentur: E quibus primò occurrit lacteus circulus, seu via lactea. Fuit autem de hoc circulo magna inter Philosophos discrepantia, quorum sententias referunt Aristoteles 1. lib. huius operis cap. 8. D. Damasc. in physic. cap. 15. Plutarchus lib. 3. de Placitis c. 1. Albertus Magn. lib. 1. tract. 2. c. 2. & alij: Ipse verò Arist. docet, circulum lacteum non in Cœlo, sed in aere consistere: esseque quandam copiam exhalationum latè diffusam, & eleuatam vi frequentium stellarum, quæ sunt in ea parte Cœli, in qua gignitur circulus.

2. Verùm hęc Aristotelis sententia communiter reijcitur. *Primò*, quia impossibile videtur, tantam exhalationum copiam tanto circulo necessaria in tot annorum sæculis eodem semper tenore suppetere, & durare in aere, cum vix sit cometa, qui vno anno duret, nullus qui ad duos annos peruenerit adhuc sciatur: præsertim quia in frigidissimis regionibus ferè nullę exhalationes ascendũt, ob penuriam caloris, ideoq; regiones aliquæ, quæ maximè ad polum accedunt, ventis carere dicuntur; & tamen ibi apparet Galaxia, seu circulus iste lacteus. *Secundò*, quia cum circulus iste transeat per sagittarium, & geminos, quando sol decurrit illa signa, feruore suo dissiparet omnem exhalationem ei suppositatam, sic appareret tunc circulus diuisus; quod tamen experientiæ aduersatur, quia huiusmodi diuisio in eo nunquam cernitur. *Et tertiò*, quia si in aere esset, nõ videretur eodem modo ex omni parte terræ, sicut neq; cometæ sub eadem stella videntur ex omni parte: constat autem circulum istum ex omni parte terræ videri, & circa eadem astra: ergo signum est, non esse in aere.

3. Communis igitur, & vera opinio tenet, circulum istum lacteum non esse in aere, sed in octaua sphęra; cum compertum sit ab obseruationibus astrologicis eodem motu moueri, quo ipsa octaua sphęra mo-

uetur: & non esse aliud, quàm multitudinem & frequentiam stellarum, quæ sibi propinquę sunt, & exiguę, & ita vna propter nimiam distantiā discerni nequit ab alia, sicque omnes vnum videntur splendorem efficere. Vel potius sunt quædam partes densiores octauæ sphęræ, in quibus densius lumen recipitur, vt possit terminare visum.

4. Nonnulli è Peripateticis, vt Louanienses, & Parisienses, & quidam Thomistæ, vt Iauellus, ne videlicet ab Aristotele palam defecisse videantur, aiunt, codicem Aristotelis, quem habemus, corruptum esse, quia secundùm antiquam translationem, quam sequitur Albertus Magnus, ponitur Galaxia in octaua sphęra. Sed hos refellit auctoritas Gręcorum interpetrum, qui eandem sententiam in suo contextu græco legunt, & tribuunt Aristoteli. Et id, quod dicit Iauellus de Alberto Magno, mirum videtur, quòd in translatione D. Thomæ, qui fuit eius discipulus, id non inueniatur.

5. Et Ioannes à S.Th. hìc tract.2. cap. 1. circa finem, conatur explicare Aristotelem; quia (ait) licèt via lactea sit in octaua sphęra, tamen quòd color eius appareat candidus, causatur ab exhalationibus aeris supposita densitate, aut multitudine stellarum, quæ in illa parte Cęli sunt. Ita quòd sicut Cœlum ex ea parte, qua diaphanum, & rarum est, apparet Cœruleum, non quia Cœruleum sit in se, cum sit expers coloris, sed quia propter exhalationes cōtinuas, & distantiam visus, ita apparet: sic in ea parte, qua Cœlum modicè densum est, apparet album, non quia in se album sit, sed quia lux eius per aerem exhalationibus plenum traijciens, speciem candoris refert; & ideo ab exhalationibus causari dicitur ab Aristotele Galaxia.

6. Hæc tamen explicatio mihi nō probatur, contra quam militant omnes rationes adductæ; vt intuenti constat. Quare dicendum existimo cum Conimbricensibus in præsenti tract. 4. c. 1. Aristotelem re vera errasse, quamuis perspicacis, & optimi fuerit ingenij, & non mirum, quia humanum est interdum labi, & errare.

7. Ex dictis facilè haberi potest resolutio cuiusdam dubioli, quod hic excitari solet ab Auctoribus; nimirū *à quo proueniant maculæ in Luna?* Dico breuiter, causam earum esse dissimilitudinem partium ipsius lunæ. Quædam enim sunt densiores, aliæ rariores: densiores plus imbibunt de luce; sicut ferrum plus imbibit de calore, quàm lignum: rariores verò minus; & ideo densiores plus lucis iaculantur, & clariores apparent, rariores verò vmbrosæ propter paucitatem lucis.

CAPVT III.

De Cometis.

1 Circa cometarum naturam variæ fuerunt Philosophorum sententiæ, quas refert *Aristotiles lib.* 1 huius operis cap. 6. Quidam enim putarunt, cometam esse coniunctionem aliquarum stellarum errantium quæ sic aliquando inter sese appropinquant, vt confuso in vnum lumine faciē longioris sideris reddant. Quo fit, vt propter varium earum situm, mutuamque distantiam nunc maiores, nunc minores appareant: modo hanc, modo illam figuram oculis offerant. Alij existimarunt, omnes

omnes cometas esse vnam eamque stellam errantem, à septem vulgatis distinctam, quæ non nisi per longa temporum interualla nobis colluceat, nam cum solem ferè semper comitatur, & ab eius splendore propter vicinitatem obscuretur, discerni non potest, nisi cum ab eo digreditur. Alij dixerunt, cometam esse quidem stellam errantem à septem alijs diuersam, non tamen eandem, sed multas, quæ separatim diuersis temporibus in conspectum mortalium post certa lustra exeant.

2. Sed omnes hæ sententię falsę sunt. Et quidem prima; nàm planetæ solùm possunt coniungi in Zodiaco, quia solùm in illo suos motus peragunt: cometæ autem frequenter sub alijs cęli partibus apparent, & pauci sub Zodiaco. Secundò quia congressus planetarum inter se pauco tempore durat, vt in nouilunio, & in deliquio solis patet: & tamen cometæ nonnunquam sex mensium spatio conspiciuntur. Et tertiò quia quando omnes planetæ inter se disiuncti cernuntur, apparet interdùm cometa; & aliquando posito congressu planetarum aut inter se, aut cum aliqua stella firmamenti, non apparet. Ergo falsa est illa sententia.

3. Secunda sententia similiter est falsa; quia sequitur ex illa nunquam duos cometas simul videri; cuius oppositum docet experientia teste Aristotele loc. cit. Scaliger etiã exercit. 70. in Cardanum affirmat, se duos simul cometas vidisse diuersa latitudine, alterum matutinum, alterum vespertinum multis diebus. Item si cometa propter solis vicinitatem oblitesceret, & per digressum ab eo cerneretur, non posset rursus occultari, nisi redeundo ad solem, à quo discesserat: atqui hoc est planè falsum; siquidem interdum cometa in magna à sole distantia euanescit: ergo.

4. Tertia denique sententia est falsa, quia ponere plures stellas errantes, quàm septem planetas, est prę̨ter communem Astrologorum, & Philosophorum scholam; quia cũ ex motu deprę̨hendantur tales stellę, vbi non agnoscitur motus earum, neque fundamentũ est, vt ponantur.

5. His igitur reiectis sententijs, vera est, cometam non constare natura cęlesti, sed sublunari; eiusque materiam esse exhalationem multã, pinguem, grassam, constantem partibus benè coagmentatis. Ita Aristoteles loc. cit. cap. 7., & Peripatetici omnes. Probatur quoad singulas partes; & primò quòd non sit naturę celestis, sed sublunaris quia experientia constat, cometas interdum è parua quantitate in magnam deindè è magna in paruam mutari; & tandèm omnes aboleri; atqui huiusmodi incrementa, & decrementa, atque extinctio, in substantias cęlestes, quæ incorruptibiles sunt, cadere non possunt: ergo cometę nõ sunt naturę celestis, sed sublunaris.

6. Nec refert si dicas, cometas non extingui, sed abscondi: nã contra hoc est; quòd cum cęlum sit diaphanum, & translucidum, non possent nobis occultari, sed perpetuò cernerentur, si in cęlo re vera essent.

7. Deindè quòd eius materia sit exhalatio, à signo probatur; quia apparente cometa, magna ventorum vis, & siccitas generatur propter multitudinem exhalationis è terra euocatam in aere. Et denique quòd talis exhalatio debeat esse multa, pinguis, grassa & benè coagmentata

patet,

patet, nam quę huiusmodi est, flammam concipere, & conceptam diù seruare potest, alioqui si materia pauca sit, & facilè diffluat, illicò extingueretur.

8. Incenditur autem cometa, vel motu exhalationis vel decedente flammula aliqua in illam materiam ex elemento ignis; vel denique vibrato aliquo fulmine ex aliqua nube in partem superiorem, in quam frequenter fulmina erumpunt.

9. Accidentia cometarum sunt figura, color, motus, locus, tempus, significatio. De quibus omnibus sigillatim dicam. *Figura* cometæ triplex esse solet. Alij enim sunt criniti, idest, habentes figuram comæ, seu crinium. Alij barbati, idest, speciem barbæ referentes. Alij caudati. Quę diuersitas prouenit ex diuersitate densitatis, raritatis, ac diffusionis materię, si enim exhalatio in medio sit densa, & secundùm omnes extremitates rara, ac diffusa; quando inflammatur, apparet quasi stella crinibus sparsa; si verò secundùm vnam extremitatem sit solùm rara, & materia ibi longè extendatur, tunc quando inflammatur, apparet cauda; si denique exhalatio sit rara, & attenuata versus aliquas extremitates, sed non versus omnes, & illę sint modicè extensę, diffunditur splendor per illos ad modum barbę. Vnde sequitur, quòd si tota materia cometæ sit vndique addensata, & ex nulla parte rara, apparebit ad modum pilę ignitę; non autem vt radios emittens quia radij ex raritate splendoris, & materię inflammatę proueniunt.

10. Color comete non est verus, sed apparens, hoc est, non ex mixtione quatuor primarum qualitatũ prouenìens, sed ex luce, & inflammatione cometæ. Solet autem triplex esse color cometę, quidam enim sunt argentei coloris; alij rubei, & cruenti, alij nigri, & tristes: quę diuersitas colorum prouenit ex diuersitate materię, quę incenditur. Si n. exhalatio sit rarior, & tota inflammatur, apparet albi coloris, sicut flamma rarior apud nos candidum refert colorem; si verò exhalatio sit adeò densa, vt non perfectè inflammetur, igniatur tamen, apparet rebeus sicut ferrum, aut carbo ignitus; si denique sit nimium viscosa, & densa, vt neque inflammari, neque igniri possit, sed potiùs ignẽ sibi propinquum extinguat tunc apparet quasi carbo niger; vel etiam propter nimiam fumositatem materiæ occultatur ignis, & apparet nigri, aut fumidi coloris.

11. Motus cometæ multiplex est. Mouetur n. primò ab oriente ad occidentem vnà cũ sphæris cælestibus, igne, & suprema aeris plaga. Secundò ab occidente in orientem, qui propriè non est motus, sed retardatio prioris motus facta comparatione ad punctum celi, cui cometa recens ortus respondebat: hæc autem retardatio ex eo prouenit, quia ignis, & aer, cum sint corpora fluxa, non excipiunt totam efficacitatẽ impetus cęlestium lationũ. Tertius motus est, nunc ad septentrionem, nunc ad Austrum, aliasuè locorum differentias: hic autem motus nascitur, vel ex impulsu alicuius syderis in cometam dominantis; vel certè quia cometa materiam inuitantem sequitur, & ad eam partem, qua illa ei suggeritur, paulatim serpit. Ob eandem rationem potest moueri sursum, aut deorsum, quia

ex

ex parte inferiori, aut superiori ponitur materia, quam inflammat, deficiendo ex parte opposita.

12. Locus cometæ est suprema regio aeris. Nam quòd nec in infima, nec in media gignantur cometæ, testatur in primis eorum motus ab oriente in occasum, quo vnà cum aere voluuntur, qui motus non pertingit ad mediam regionem. Secundò idem ostendit eorundem altitudo: Siquidem media regio non trascendit altissimos montes: At altimetriæ instrumentis constat multo maiorem esse cometarum à terris distantiam. Et tertiò non existere illos in media regione, suadet loci frigiditas, quæ non pateretur tandiu flammam ardescere, ac vigere. Itaque effulgent cometę in suprema aeris plaga; & sępiùs conspiciuntur extra Tropicos, quia nimius calor, qui partes Tropicis subiectas peruadit, cometæ materiam dissoluit. Nonunquam tamen intra Tropicos visi sunt, vt is, qui Nicomacho regnãte circa Æquinotialem paucis diebus effulsit.

13. Tempus, quo gignuntur cometæ, est omnis anni tempestas, sed potissimum autumnus, quia propter nimium calorem æstatis præcedentis multa viscosa, grassa, & calida exhalatio in terra genita est, quę eleuatur in autumno, nec propter feruorẽ caloris dissipatur, sicut fieret in ęstate, si ascenderet: in hyeme verò frigus & humiditas siccitatem, & calorem exhalationis impediunt. De tẽpore autem, quo durant cometæ, nihil certi dici potest; durãt enim magis vel minus secũdũ copiã aut defectum pabuli, vel ignis consumentis acrimoniam, aut debilitatẽ: rarò tamen durant vltra sex menses.

14. Denique significatio cometę multiplex est. *Primò* enim significat terremotus, qui contingunt quando exhalationes liberum è terra exitum non inuenientes, huc illucque agitatæ, terram concutiunt. *Secundò* ventos in media, & infima aeris regione, in qua magna pars exhalationum illarum ad supremam ragionem pro formatione cometæ ascendentium relinquitur, qua causantur venti. *Tertiò* maris tempestates, quę ventos consequuntur. *Quartò* sterilitatem terræ, consumpto per exhalationum copiosam euocationẽ succo eius, ac pinguedine. *Quintò* morbos propter infectionem, quam huiusmodi exhalationes grassæ, & viscosæ ac nimium calidæ in aere causant, quæ humores corrumpit. *Sextò* mortes maximè principum, & magnorum. Quòd prænunciet mortes ex eo sequitur, quòd morbos, vt dixi portendit, ex quibus causatur mors. Quòd verò mortes Magnorum, & Regum potius, quàm aliorum præsagia, nulla assignari potest efficax ratio ex parte causarum naturalium. Dicere autem ideo esse, quia illi facilius inficiuntur ab huiusmodi exhalationibus, vtpote delicatius viuentes, insufficiens est, cum plures infantes sint Principibus teneriores, multique plebei delicatius viuant. Nisi dicas, quòd ideo potius Regum, quam vulgarium mortes præsagire creditur, quia illorum interitus magis notari solet. Et *Vltimò* præsagire solet bella, & prælia propter multitudinem exhalationis siccę, & calidę, quæ coleram excitat, ac nutrit, & ad iram, vindictamque inclinat.

15. Quæres: Vtrum stella, quæ magos ad præsepe perduxit, fuerit aliquis cometa? Respond. negatiuè, quia

quia cometæ gignuntur in suprema aeris regione, nec apparent die, quia à sole obscurantur: illa verò stella erat terræ vicina, aliàs non demonstrasset distinctè locum, vbi erat puer supra quem dicitur stetisse: item apparebat ne dum nocte, sed etiam media die. Fuit igitur prædicta stella nouum quoddam, & insolitum meteoron, non naturali, sed angelica, vel diuina virtute è sublunari materia confectum, & eximiæ lucis fulgore conspersum; quod non suapte vi, sed alicuius Angeli ministerio deferebatur.

16. Ratio autem, ob quam Magis Vrbem Hierosolymam ingredientibus oblitescere potuit, multiplex est; nimirum, vel quia Deus subtraxit communem concursum, ne illa sui imaginem ad oculos transmitteret: vel quia eo interim spatio lucem ei ademit: vel alijs modis, quos affert Abulensis in cap. 2. Matth. q. 41.

CAPVT IV.

De Tonitru, Fulgure, & Fulmine.

1. Relictis opinionibus Philosophorum, quas 2 meteororum cap. 2. lect. 16 apud D. Thomam refert Aristoteles circa generationẽ tonitrui: vera causa sonitus illius est exhalatio sicca, & calida intra nubem densam compressa, eamque motu suo disrumpens, ex qua disruptione sequitur ingens ille sonus. Contingit autem sic: quando exhalatio sicca, & calida includitur intra nubẽ grassam, & densam, exhalatio illa vel motu, vel antiperistasi incalescit, ac rarescit, & ampliorem locum quærit; nubes verò frigore secundæ regionis compressa, & coagulata, comprimit etiam exhalationem illam, quæ dum crescente calore exitum quærit, & huc, illucque discurrit, vehementia caloris agitata, nubem contundit, & rumpit, sicque causat fortem sonitum, qui vocatur *tonitru*; ad eum modum, quo castanea posita ad ignẽ, incalescente ac subtilizato spiritu exitum quærente, cum strepitu frangitur.

2. Multiplex autem est tonitruorum differentia. Aliquando enim edunt mugitum, seu graue quoddam murmur per modũ tumultuationis. Cuius causa est, quòd spiritus, & exhalatio clausa in concauis partibus nubium volutatur in illis, & agitatur; non tamen tanto impetu, vt scindat nubem, quia non dum multum incaluit, & tunc raucam edit sonum. Aliquando verò exhalatio scindit nubem vno ictu continuo; & tunc facit sonitum similem ei quem edit menbrana quando rumpitur. Aliquando tandem pluribus ictibus exhalatio succensa scindit nubem; & tunc fit crepitus similis combustibili in igne crepitanti: quod contingit quando exhalatio est subtilior, & inflammata quærit ampliorem *locũ* inter distinctas partes nubis, sicque diuersis vicibus illas percutiens, frangit. Vide Albertum Magnum lib. 3. tract. 3.

3. Fulgur non est aliud, quàm exhalatio in nube accensa, & igneo colore tincta. Quę accensio potissimum fit vehementi collisione spiritus, seu exhalationis ad nubes. Si autem motus exhalationis, & collisio fit ad nubem densam, & resistentem, fit fulgur simul cum tonitru; Si verò nubes non adeo resistat, quia leuior est, & non grassa, fit sola coruscatio sine tonitru, qualem æstiuis noctibus persæpe videmus.

4. De-

4. Denique Fulmen dicitur exhalatio ignita è nube magno impetu, excussa. Differt à fulgure, quia exhalatio fulguris est magis rara, fulminis verò grassior, quæ non dissipatur in aere, sed ad terram descendit: item quia fulgur non excutitur, nec vibratur à nube, fulmen verò è nube vibratur; vnde maior vis requiritur ad fulmen, quàm ad fulgur.

5. Generatur ergo fulmen hoc modo: quando exhalatio benè sicca, & aliquantulum addensata, taliter, quòd partes eius benè inter se sint coherentes, includitur intra grassam, & magnam nubem, accidit vt exhalatio illa, vel motu, vel per antiparistasim incalescat, & incēdatur sicut fulgur. tunc verò cum exhalatio illa sit densior, fortiùs incalescens, nubem illam vehementiori impetu cōcutit, ac sibi diu resistentem magna vi frangit: & si contingat, quòd per inferiorem partem eam rumpat ipsa vehementia impetus, qua nubem disrumpit, fertur ad terras; & quia partes habet benè coherentes, non statim dissipatur in aere, sed ad terrā pertingit, omnia obuia dissipans, ac perfringens, sicut fecit in nube Quia verò fulmen ita fortiter vibratur, commotionem causat in aere; & ideo fulmen precedit, & sequitur plurimus halitus ad modum venti, ratione cuius aliquando fulmen nō rectè descendit, sed obliquatur, & in varias partes iuxta venti illius impetum deducitur.

6. Habet autem nonnunquam fulmen odorem sulphureum; cuius causa est, vel quia exhalatio, ex qua cōstat, è terra sulphurea eleuatur; vel quia ob siccitatē, & humiditatē sic aliquādo tēperatur in nube exhalatio, vt qualitates sulphureas acquirat.

7. Varia sunt genera fulminum; aliqua enim sunt valde penetratiua, & talia habent flammam tenuem propter multitudinem exhalationis subtilis. Alia verò sunt, quæ dissipant, & findunt; & talia constant ex exhalatione densa, & indurata. Alia denique vrunt, eo quòd exhalatio licèt sit densa, non tamen est omnino indurata, & ideo ignitur sicut carbo, & non in flammam vertitur.

8. Varij similiter sunt effectus fulminum, & adeo admirabiles, vt naturam videantur excedere: inuenitur enim aliquando fulmen liquefacere ensem in vagina, & aurum aut æs in sacculo, ipsa vagina, & sacculo prorsus illęsis Solet etiam interficere hominem illęsis vestibus, & ossa comminuere integra carne. Horum autē ratio est. quia fulmen vt diximus, solet esse subtilis exhalationis, bene tamen cohærentes, & vnitas habens partes, & ideo in corporibus porosis subtilitate sua per poros ingreditur, & quia sibi non resistunt talia corpora, nec diu in illis moratur, ideo non multum operatur in eis; vbi verò inuenit corpora duriora, & sibi resistentia, diu in eis moratur, & sic maiorem imprimit effectum; præsertim, quia spiritus quando ei resistitur, agit vehæmentiùs. Et sic fulmen in vagina, & sacculo non diu moratur, & eadem facilitate, qua intrat, exit; ferrum autem, aut æs intus existens fortiùs adurit.

9. Visum est etiam aliquando, fulmen percussisse dolium vini, & fractis tabulis, & asseribus, vinum ipsū stetisse concretū, neq; effundi. Aliquando verò e contra inuentum est fulmen totum vinum consumpsisse, dolio intacto. Causa huius secundi est, quia vas rariori substan-

tia constans, ipsaque vi fulminis paululum laxatum, illi non resistit, vnde fulmen subintrare potest, suoque acerrimo calore liquorem consumere, vase non læso. E contra in primo casu, consumpto vase, cum resistat, liquorem ipsum grassum, & viscosum, cum penetrate non possit, exteriores eius partes veluti in crustam addensat, & indurat; sicque interius vinum veluti corio inclusum detinetur, & non diffunditur. Plures alios effectus refert Iauellus tract. 6. meteor. cap. 4. vide illum.

CAPVT V.

De Iride.

1. IRIS generatur ex oppositione solis ad nubem roridam, quæ à parte exteriori sit translucida, vt lumen imbibat, & ex interiori sit opaca, vt nubem repercutiat. Vnde definitur, quòd sit *Arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concaua, ex reflexione radiorum solis oppositi apparens.*

2. Vt autem hæc definitio intelligatur, duo sunt explicanda: Alterum de coloribus iridis; Alterum de de figura eius, quæ est semicirculi. Et circa colores sciendum est, quòd ad illos duo concurrunt; scilicet sol oppositus nubi roridæ, & nubes habens partes roridas, seu diaphanas ex parte anteriori, ex parte autem interiori densas, & opacas. Radius n: solis feriens ex directo nubem, refrangitur in nube illa rorida; & quia taliter refrangitur, vt modificetur densitate medij, & opacitate nubis, non manet lux pura, & ideo apparet ex illa luce refracta, seu radio solis refracto color. Vnde vt contingat iris, nubes debet esse opposita soli.

3. Tres præcipuè colores in iride videntur, scilicet flauus, viridis, & purpureus. Quorum causa est, quia radius lucis refractus ab exigua opacitate causat colorem flauum; refractus verò à mediocri opacitate facit viridem; & refractus à maiori facit purpureum, eo quod magis accedit ad nigredinem. Nubes autem in parte exteriori subtilior est, & magis translucida, ideoque ibi causatur color flauus: in parte media est mediocris opacitatis; in parte verò interiori maioris: vnde in media parte color est viridis, & aliquando ceruleus, si sit satis humida, & minus densa; in vltima purpureus.

4. Prædicti autem colores in iride non sunt veri colores, sed apparentes, quia solùm ex modificatione lucis ibi apparent, non ex permixtione primarum qualitatum: veri autem colores illi iudicantur, qui ex quatuor primarum qualitatum admixtione, & temperie obueniunt.

5. Nota, quòd partes roridæ nubis sunt quædam guttulæ aquæ cadentes à nube, ad eum modum, quo ros est quędã gutta aquę supra herbam. In suis igitur partibus roridis nubis, seu guttulis subiectantur colores apparentes, quia sunt diaphanę & non in nube: licèt visui appareant esse in nube, quia propter nimiam distantiam non discernit oculus guttas illas roridas à nube; nam quando vnum corpus videtur iuxta aliud à longe, videntur ambo veluti in eadem superficie.

6. Circa figuram iridis multa tractant perspectiui, quorum rationes examinare ad præsens non spectat. Solùm breuiter dico, quòd sole existente in orizonte, vel in occasu, & fiat Iris in nube sibi opposita, appa-

ret semicirculus, quia tunc partes roridæ nubis, in quibus fit iris, sunt maximè oppositæ soli, & ideo sol tunc emittit radios directè in totum orizontem sibi oppositum, qui tegitur à nube; & cum orizon habeat se ad modum semicirculi, consequẽter radij directè, & ex opposito emissi à sole in illum ad modum semicirculi tenduntur, vnde cum impingunt in nubem roridam tegentem semicirculum, consequenter efficiũt colores, & iridem ad modum semicirculi, seu arcus.

7 Si autem sol sit eleuatus ab oriente, aut ab occidente, tunc si fiat iris circa orizontem non apparet semicirculus, quia tunc sol directiùs respicit terram, quàm orizontem; & ideo nubes existens circa orizontem rorida, magis ei occultatur, quia minus ei opponitur, ac proinde minus illustratur.

8. Aliquando potest duplex iris simul causari, & hoc dupliciter; primò existente sole in meridie, si ponatur nubes rorida vna ex parte occasus, & alia ex parte orientis, tunc efficitur duplex iris ex emissione radiorum in diuersas illas partes, licèt vtraque valde exigua apparebit, quia sol non est eis perfectè oppositus. Alio modo potest causari duplex iris in eodem situ, scilicet in oriente, vel in occidente. Ratio huius est, quia contingit aliquando esse duplicem nubem roridam in vna parte, vna altior alia; & in vnam directè emittens radios sol efficit iridem; Iris verò causata in tali nube, causat aliã in sibi vicinam veluti in speculo, quia in tali situ ponitur, vt in eam possit emittere radios suorum colorum; vnde talis iris debilior est in vltima, quàm in prima, quia non fit ex repercussione lucis directè, sed ex repercussione radiorum, seu lucis iam modificatæ in prima.

9. Potest etiam Arcus fieri à luna, & aliquando visus est, licèt raro; non tamen habet plures colores, sed vnũ scilicet album, quia lux lunæ valde tenuis est, vnde non ita profunde penetrat nubem, sed in exteriori superficie solummodo candorem illum aspergit similem ipsi lunæ, quæ candida videtur.

10. Iris naturaliter significat pluuiam, quia cum nubes rorida sit, resolubilis est in aquam. Sed non significat magnam pluuiam, quia magna inundatio pluuiæ solùm contingit, quando nubes sunt valde grauidę, & copiosa vaporum multitudine nigrescentes; tunc autem nubes densa non est apta ad recipiendos radios solis, quin potius veluti corpus omnino opacum eis resistit: & sic iris formari non potest. Ex instituto verò Dei significat, non futurum amplius vniuersale diluuium in terra, vt patet Genes 9. vbi Dominus ait ad Noe: *Arcum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & terram.*

CAPVT VI.

De Ventis.

1. MAteria ventorum, vt vult Aristoteles 2. meteor. apud D. Thom lect. 7 est exhalatio sicca & calida. Quod Philosophus probat primò ex signis, quia eo tẽpore maximè vigent venti, quando multitudo huiusmodi exhalationũ suppetit, vt in vere, & autumno. Et similiter cometæ ventos denunciant, quia ex siccis exhalationibus generantur. Secundò ab effectibus, quia venti exsiccant,

ficcant, quod non facerent, nisi ex materia sicca constarent. Et ideo pluuiæ cessare faciunt ventos, quia humectãt,& frigidant siccam illam, & calidam exhalationem,quę est materia ventorum.Interdum venti etiã humefaciunt, & pluuias generant, quia nonnunquam vapores habent admixtos, vt qui è mari oriuntur, à quo licèt exhalationes consurgant propter eius salsedinem, & terrenę concretionis admixtionem, non tamen quæ sint puræ exhalationes,sed vaporibus admixtæ.

2. Motus ventorum non est sursum,nec deorsum, sed in obliquum, quod exhalationi non competit,nec ex principijs materiæ,ex qua cõstat, quæ est substantia terrestris, quæ deorsum grauitat,nec ex calore solis, qui sursum attrahit Sed prouenit ex bello inter exhalationem ipsam, & frigus secundæ aeris regionis, à quo ex vna parte deorsum truditur, nec permittitur vt sursum ascendat;& ex alia ipsa vi caloris sibi impressi à sole, vel ab alio astro, sursum ascendere conatur. In qua pugna nemine vincente, venti neque sursum,neq; deorsum,sed oblique fluunt,aeremq; agitant tanta nonnunquam vi, vt arbores, domosque euertant.

3. Principales venti sunt quatuor, qui ex quatuor angulis Cœli oriuntur, & spirant. Diuiditur n. Mundus in quatuor partes,scilicet orientem, & occidentem, meridiem, & septentrionem. Ventus ergo ab oriente spirans vocatur *Subsolanus*, ab occidente *fauonius* seu *zephirus*, à meridie *Auster*, & à septentrione *septentrio*, seu *notus*.

4. Has quatuor partes duplicant Nautæ, & significant octo partes Cœli, vnde venti spirant. Deinde istas octo partes iterum duplicant; & has sexdecim partes iterum adhuc reduplicant,sicque fiũt triginta duo venti à triginta duabus Cœli partibus spirantibus. Quorum ventorum sexdecim propria nomina sciuntur, aliorum verò non.

5. Quoad affectiones ventorum alię competũt ipsis ex principijs substantialibus, aliæ ex impressione astrorum à quibus eleuantur exhalationes, aliæ ex regionibus vnde spirant, aut per quas transeunt. *Primo modo* competit eis esse siccos, & frigidos,sicut est ipsa terra ex qua eleuantur; & si admixtos habeant vapores, ex hac parte conuenit eis esse humidos, & frigidos. *Secundo modo* venti sunt calidi, & sicci, & si habeant vaporem admixtum calidi, & humidi. *Tertio modo* diuersis ventis diuersæ cõueniunt affectiones, vt septentrioni frigiditas,& siccitas, quia ex locis frigidissimis spirant; Austro calor, & humiditas, quia oritur ex meridie, & per mare transit; subsolano calor, & siccitas propter præsentiam solis, à quo mouetur, & à quo exiccatur, & calefit illa exhalatio. Denique zephiro aut fauonio humiditas, & frigiditas, quia spirat ab occasu quando sole recedente remanet exhalatio frigida, & humida.

CAPVT VII.

De pluuia, & grandine.

1. PLuuia non est aliud, nisi nubes in aquam resoluta. Materia autem nubis est vapor calore solis, aut aliorum astrorum eleuatus: hic dum ad mediam aeris regionem peruenit, ob frigus illius secundæ regionis condensatur; & talis vapor addensatus dicitur nubes.

2. Quæ-

2. Quæres primò, Cur pluuia minutim cadat, & non tota simul effundatur è nubibus,cum naturalis grauitas sic postulet? Respondeo, causam huius esse, tenuitatem vaporis à modico,& non nimis violento frigore addensatam, tunc enim paulatim addensatur vapor, & in aquam vertitur: vnde paulatim decidit, & non tota simul ruit.

3. Quæres secundò, An naturaliter sit possibilis talis aquarum inundatio, vt efficere possit diluuiũ vniuersale? Respondeo, non posse naturaliter tantam fieri inundationem aquarum, vt vniuersale inducat diluuium. Ratio est: quia dispositio naturalis totius vniuersi non ordinatur ad eius destructionem; quare non est facultas in natura, vt totam terram aquis perdat, & vniuersi ordinem dissoluat. Vnde vniuersale diluuium fuit opus speciale diuinę potestatis, sic agentia naturalia disponentis, vt vltra suam naturalem potentiam in mortales omnes sæuirent.

4. Quæres tertiò, Quæ sit causa aliquarum pluuiarum, quæ præter vsitatum cursum extraordinariæ, & prodigiosæ sunt, vt quòd pluat sanguine, lacte,ranis, pisciculis, & alijs? Respondeo, res istas ordinari ex dispositione diuina ad inducendũ terrorem hominibus Potest tamen reddi aliqua causa naturalis; sanguine enim, & lacte aliquando pluit,non quia veram formam sãguinis,& lactis habeant hę pluuię,sed colorem solũ, & apparentiam; quod contingit vel ex eo quòd ex locis cruentis humidis sol eleuat vapores, qui colorem illũ retinent, sicque pluuiam illo inficiunt; vel quia ex forti aliqua decoctione facta à calore intra nubem inclusō, qua vapores facilè recipiunt colorem sine rubeum, siue album si humidi aliquantulum sunt. Ranæ autem, & pisculi videntur aliquando decidere, aut quia ab aliquo violento turbine eleuantur, & postea decidentes, pluere illis videtur: aut quia intra humidum, & calidum nubis tale temperamentum aliquandò concurrit, sicut in paludibus ad generanda huiusmodi animalia, pręsertim quando viscosus humor, ex quo communiter in aqua generantur, includitur in nube.

5. Grando, fit quando aqua pluuia congelatur antequam ad terram perueniat: vnde materia eius est aqua nubis resoluta; efficiens verò est frigus circumdans,& congelans aquam illam. Quòd autem frigus sine multa mora congelare possit aquam illam ex eo patet,quia vehementia frigoris circumdantis tanta est,quòd minori tempore congelat, quàm motus localis aquæ fiat: sicut in hieme solet aliquãdo tantum vigere frigus,quòd decidentes guttæ,prius congelantur, quàm in terram cadunt.

6. Generatur grando in secunda, & infima regione aeris. In secunda ob multum frigus, quod in ea existit. In infima ob antiperistasim; quia aqua natura sua frigida est, ac proinde circumscripta calore infimę regionis, intenditur vsque ad congelationem.

CAPVT VIII.

De Aqua Maris.

1. Mare est immensa illa aquarum congeries, quæ tertia die creationis Mundi à Deo facta est. Circa quam relictis facilioribus, duo hic examinanda proponimus; Vnum est,

est, à quo in mari proueniat fluxus, & refluxus? Alterum, à quo eius falsedo causetur.

2. Circa primum relictis varijs Philosophorum opinionibus, dicendum existimo cum D. Th. opusc. 34. de occultis naturæ operibus, & q. 22. de verit. art. 13. causam prędictorum motuum lunæ tribuēdam esse Tum quia luna inter planetas humidis corporibus dominatur, & sic peculiarem influxum, & impressionem in mare habet. Tum etiam, quia experientia testatur, quòd ad lunæ mutationem videmus mutationem illius fluxus & refluxus in mare.

3 Sed qua virtute id faciat luna, dubium est, an scilicet atrahendo, seù eleuando aquam ad modum magnetis trahentis ferrum, & rursus deponentis: an verò rarefaciēdo aquas maris, & condensando; an denique solo diuerso luminis aspectu? sanè quilibet dicendi modus suos habet patronos, nullus tamen planè satisfacit. Nàm quòd fiat attractione, non est causa sufficiens, quia & si vis eleuatiua aquę & vaporis astris conueniat, tamen quòd non solùm eleuet, & attrahat, sed etiam deponat & deprimat, non ita facilè apparet. Præterquam quòd restat assignare cur non omnibus aquis, etiam paludum, & fluuiorum non imprimatur ista attractio Et denique quia motus ille nō est eleuatio aquæ sursum, sed agitatio in latera. Quòd etiam per rarefactionem & condendensationem non fiat, manifestum est, cùm eodem modo grassa sit aqua in fluxu & refluxu. Nec denique ex solo diuerso luminis aspectu, nàm luna quando est lumine priuata ex nostra parte, vt in nouilunio, fluxus & refluxus non cesſant, & tamèn luna non illuminat. Quare referendum est hoc ad impressionem aliquam, non per modum attrahentis, sicut in magnete, sed per modum mouentis huc, & illùc aquas. Quę quidem vis imprimens motum hunc nobis penitus non est explorata, sicùt similiter multarum rerum causas manifestè non agnoscimus.

4. Sed restat assignare, cur non omnibus aquis imprimat luna hunc vim. Hoc autem prouenit partim ex ipso situ regionis, aut littoris; partim ex materia, quæ apta non est ad impressionem illam recipiendam: videmus enim virtutibus istis occultis certam quandam materiam correspondere, in quam agere possint, & in alias non possunt; vnde sicut magnes potest attrhaere ferrum, & non lapidem; Remora retinere potest Nauim, non verò alium piscem: sic luna, quæ occulta quadam vi vnam aquam impellit, non potest alias aquas sic mouere. Potest tamē impressio ista lunæ variè temperari ex diuersitate situs, regionum, & influxu aliorum astrorum. Sicut sol licèt eandem semper habeat virtutem eleuandi & gignendi vapores, non tamen in omnibus regionibus eos generat, nec pari modo vbique: sic licèt luna eandem semper habeat virtutem mouendi aquas, non tamen omnis aqua eodē modo mouetur, & ideò in diuersis locis videmus diuersimodè fieri motus istos marinos, vel propter locorum situs; vel propter obices, & tortuosas aliquas vias intra ipsum mare inclusas; vel denique propter qualitatem illius regionis, aut syderum influxum.

5. Circa secundum relictis similiter antiquis opinionibus, dicendū est

est cum Aristotele 2. meteor. c. 4. & D. Th. lect. 6. causam salsedinis maris esse multitudinem siccarum exhalationum, quæ omninò decoctę non sunt, sed adustæ, & cum per mare sint dispersæ, salsedine ipsum afficiunt. Ad eum modum, quo sudor, vrina, cinis, & lixiuium amara sunt, quia indigesta, & adusta.

6. Quòd autem mare huiusmodi exhalationibus siccis, & adustis sit arpersum, experientia constat: tum quia aqua marina calefacit, & exsiccat, vt dicunt Medici, & idcircò ignem, si magnus sit, non extinguit; eademque de causa loca maritima calidiora sunt: tum etiam quia aqua maris nimis grassa est, vndè & magis leuat pondera, quàm aqua dulcis; hæc autem grassities ex multitudine exhalationum ei admixtarum prouenit, quæ humectatę ipsam grauem efficiunt: tum denique quia aqua marina eliquata per terram, aut arenam fit dulcis, quia secernuntur exhalationes illę adustę, & terrestres.

7. Hęc autem licèt vera sint, restat tamen dubium, à qua causa generetur tanta copia exhalationũ siccarũ, vt totum mare salsum reddat? Aliqui dicunt, quòd è fundo maris eleuantur vapores grassi, & terrestres, qui superficiem aquæ non transcendunt, sed per illam disperguntur, & totam aquam salsam efficiunt. Hęc tamen opinio non videtur vera. *Primò*, quia calor solis non potest ita penetrare vsque ad fundum maris, vt indè vapores eleuet: Et dato quòd possit, si per medium ita grassum è fundo maris vsque ad superficiem illos eleuat, cur non poterit etiam eos eleuare vltra superficiem, vbi amplior solis calor viget, & medium scilicet aer, minus grassum est? *secundò*, quia vbi sol parũ calefacit ob longissimam distantiã, ita vt ferè nihil sentiatur eius radij, vt circa polum articum, vbi etiam per multos menses sol non apparet, quomodo habet tantam vim eleuãdi vapores terrestres è fundo maris, vt in eo salsedinẽ generet? Et *tertiò*, quia non plenè satisfacit, quomodo lacus & stagna, quę ita continuè feriuntur à sole, sicut mare, non redduntur salsa ab eius exustione: quòd verò stagna, & paludes paruæ sint respectu maris, & ideò pauciores radios solis excipiant, non satisfacit, quia secundùm proportionem tot recipiunt radios, sicut mare; nam si ponamus stagnũ vnius leucę, tantum recipit de radijs.

8. Alij verò putant, & probabiliùs, quòd sicut mare ex natura sua petit operire terram; nam quòd eã discopertam reliquerit, & in vnum locum secessit, ad Deum tanquam ad immediatam causam referendum est, qui tertia die creationis dixit Genes. 1. *congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in vnum, & appareat arida*. Ità similiter aqua ex natura sua salsedinem non habet, neque alium saporem, quia sapor ex quatuor primarum qualitatum temperie resultat. Est tamen tributus à Deo sapor salsus elemento aquæ, impertiendo illi magnam exhalationum adustarum copiam, ex quibus generatur salsedo, quæ maximè adiuuatur ab ardore solis, ob quam causam superficies maris salsior est, quã fundus. Et etiam aliquando inuenitur mare salsius, aliquando verò minus salsum, vel ob maiorem solis ardorem augentẽ exhalationes adustas, vel ob regiones & terras, quas mare decurrit, quæ sunt salsiores;

quæ

quæ causa quando deficit, salsedinem remittit.

9. Prædicta salsedo mari tributa fuit tertia die creationis, quando congregatæ fuerunt aquæ in vnum locũ; quia si antea, cum totã terram operiebat, salsum fuisset, valdè nocuisset terræ, salsis eam qualitatibus imbuendo, sicut post in vniuersali diluuio valdè nocuit.

10. Finis autem, ob quem salsedo mari tributa est, fuit tùm ob generationem, & nutritionem piscium, quos constat in aqua dulci non omnes diu posse viuere; tum ob nauigationis commoditatem, nam aqua salsa magis naues sustentat, & eleuat; tum denique ne maris aquæ putrescerent, sicut stagna putrescunt, quamuis à vento moueantur.

CAPVT IX.

De Fontibus, & fluminibus.

1. Circa originem fontium, & fluminum, quodnam sit eorum principium, tres extant inter Philosophos opiniones. Quidam enim illud referunt ad aquam pluuiarum, quæ intra quasdam concauitates terræ, veluti in cisterna quadam colligitur, indeque per scaturigines fontium deriuatur in torrentes ac fluuios, qui tantò plus, aut minus durant, quantò amplior locus intra terram congregat multitudinẽ aquæ, vt eam fluuio ministrare possit.

2. Alij verò existimant, principiũ fontium ac fluminum sumi ex vaporibus, qui intra sinum terræ generantur, & concrescunt in aquam; cum enim terra multis in locis concaua sit, & plena voraginibus, necessè est tales concauitates aere repleri, ne detur vacuum; deindè aer ille frigore terræ ingrossatus concrescit in vaporem, vapor verò in aquam, quæ subministratur fontibus, ac fluminibus.

3. Alij denique arbitrantur, omnes fontes & flumina è mari ortũ ducere, iuxtà illud Eccles. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterùm fluant*: quatenùs per subterraneas vias aquæ maris terram subintrant, & veluti sanguis in corpore animalis ex iecore in varias venas deriuatur, sic intra terram per varias concauitates veluti per venas aqua scaturit. Et hæc tertia sententia mihi videtur probabilior, quam tenent plures Sancti Doctores, vt D. Basilius homil. 4 in Hexamer. D. Hyeronimus in citatum locum Ecclesiast. 1. D. Damascenus lib. 2. fidei c. 9. D. Isidorus lib. 3. originũ c. 20. & D. Th. in 2. dist. 14. q. 1. artic 5. ad 4. Ratio autem est, quia solus aer intra terram non videtur sufficere ad generandam tantã aquã, quantam intra viscera terræ inueniunt Fossores, & erumpere ex illa videmus. Nec similiter aqua decidens sufficit pro omnibus fontibus, ac fluminibus, cum ferè tota aqua, quæ decidit, terræ siccitate absorbeatur: ergo aliunde, nempè ex mari perenniter aqua ministratur.

4. Confirmatur quia in ipsis primis diebus, quibus factus est mundus, fit mentio quatuor fluminum, qui è paradiso oriebantur; & tamen tota illa aqua non poterat tunc esse generata ex aere intra terram collecto; quia tàm paucis diebus non videtur potuisse ex aere tantã aquã generari, aliàs si id eadem proportionè postea fieret, paucis diebus tota terra repleretur aquis; nec etiam

pote-

potest esse generata à pluuijs, quia tunc non dum pluerat super terram, vt dicitur 2. genesis: ergo illa aqua fluuiorum à mari subministrata fuisse videtur.

5. Adiuuatur etiam fontium, & fluminum origo ab aqua generatã ex aere intra terram incluso, & ex pluuijs collecta. Quia reuera intra terrã multus aer colligitur, vt constat tum ex terræmotibus, tum quia multi specus, & cauernæ intra terram inueniuntur; aer autem intra terram inclusus præsertim in locis humidis, addensatur frigore terræ, & fit aqua; Ex aqua etiam pluuiali multũ aquę colligitur, qua videmus inundare fluuios, & torrentes: ex istis igitur omnibus iuuatur; licèt pro omnibus fluuijs, qui in tota terra sunt, hæc sola causa non sufficiat, cum non sit tantus aer intra terram, quantũ aquę in tot fluminibus apparet; nec in omnibus locis in quibus decurrunt fluuij, æqualiter videatur disponi aer intra terram, vt conuertatur tam abundè in aquam.

6 Queres primò, Quomodo aquę ascendunt pro fontibus, & fluminibus, quæ generantur in sublimioribus locis? Respondeo, quòd causa huius est motus Cœli eleuans aquã. Item est ipsa dispositio terrę, quę sua cauernositate fugit aquas. Et tertiò est ipsa aquæ compressio, nam in aliquibus terræ locis quasi fistulis constringitur, & ad ascensum iuuatur; aqua n. intra fistulas inclusa ascendit, vt videmus quotidianis experimentis per artificiosos aquæductus: ergo multò melius id fiet à natura intra terram, quàm ab arte.

7. Quæres secundò, Si flumina, & fontes è mari oriuntur, cur salsedinem non habeat? Respondeo rationẽ esse, quia aqua maris ipsa terra sugente, & aliquãte attenuatur, sicq; illam grassitiem exhalationum adustarum amittit, quæ erat causa salsedinis.

8 Quæres tertiò, Cur aliquando deficiunt, & minuuntur fontes, ac flumina, cum mare nunquam deficiat? Respondeo, quòd licèt mare nunquam deficiat, tamen eius aquæ deriuatio multis de causis impedibilis est in aliquibus locis: quæ causæ possunt esse, Prima, quia aliquando terra nimis exsiccatur caliditate excessiua à Cœlo. Secunda, quia aliquando decidente terra, vel terræmotu concussa, aut alia simili causa, obturantur viæ quibus mare ministrabat fluuijs aquas. Tertia, quia aqua illa aliò deflectatur: & similes.

9. Quæres quartò, Quæ sit causa, cur mare tot fluuiorum accessionibus non augeatur? Respondeo id esse primò quia aqua maris aliũde etiam exoneratur per ipsos terræ meatus, ministrans aquas fluuijs, & sic quod ex vna parte intrat, ex alia exit. Secundò, quia multum de aqua maris exhalatur solis ardore. Et tertiò, quia omnes fluij comparati ad mare, sunt paruæ quantitatis, & ita non possunt inundationem facere, licèt augeant aliquid.

10. In aquis sunt plures occultissimi effectus, quorum ratio prorsus nescitur; nam sunt aliquæ, quę flammam nutriunt sicut oleum, alię quę inebriant sicut vinũ, alię quæ omnia pondere respuunt, aut quidquid iniectum sit absorbent, aut in lapides conuertunt, aut talis vel, talis coloris reddunt animalia, quæ inde bibunt, & alia multa similia, quæ de varijs fontibus, fluuijs, & lacis referunt, si vera sunt, occultas valde habent

causas, nec facilè à nobis assignari possunt, nisi diuinando.

CAPVT X.

De terræmotu, eiusque effectibus.

1. Causa terræmotus est multitudo spiritus, seu exhalationis siccæ intra terrã per antiparistasim calefacta, & quęrens liberum exitum, si non inuenit, quatit terram. Vnde accidere solet temporibus, quibus abundant istæ exhalationes siccæ, vt vere, & autumno; in estate n., & hyeme consumatur propter exuberantiam caloris, vel frigoris; licèt aliquando, sed rariùs etiam in hyeme & estate terræmotus contingant.

2. Illa loca sunt terræmotibus magis subiecta, quæ plus exhalationum siccarum generant, qualia sunt loca montuosa, sponciosa, quæ cauernis, & meatibus plena sunt, quæ temperata, nec multo calore feruentia, nec frigore nimio rigentia. E contra limosa, humida, arenosa, nimis frigida, excessiuè calida, rarò motibus istis subijciuntur, quia non facilè cedunt spiritui, & vel humore ipso rigorem siccitatis emolliunt, vel frigore constipant, vel calore consumunt.

3. Effectus terræmotus sunt varij, prout eius violentia maior, vel minor fuerit: aliquando enim montes deijcit, parietes, & tecta ruit, vel inclinat, terram aperit, & hiatu suo quidquid inuenit, absorbet etiam integras vrbes, amnes nouos effundit, & fontes antiquos exsiccat, vel aliò deriuat, ignes euomit, terram in altum eleuat, & multa alia similia facit, non quòd semper omnia, sed aliquando aliqua, aliquando nulla, pro vt fuerit impetus spiritus, & maior exhalationum copia, & fortitudo.

CAPVT XI.

De Ignibus subterraneis.

1. Dari ignes subterraneos exẽpla quotidiana monstrant. Eorum ordinarium pabulum est sulphur & bitumen, vndè loca, quæ huiusmodi incendijs flagrant, sulphurosa & bituminosa sunt. Dixi *eorum ordinarium pabulum*; quia nõ est dubium quòd ignis isti subterranei semel accensi in materia illa sulphuris & bituminis, alia etiam corripiant; vt terram ipsam, metalla, saxa, & huiusmodi, quæ nonnunquam foras eructant non sine magno regionum vicinarum detrimento.

2. Accenduntur autem ignes isti à motu exhalationis calidę & siccæ, adiuuante etiam antiparistasi propter frigus terræ circumstans. Aliqui recurrunt ad influxum Solis, & Astrorum; sed non placet, quia nimis remotus videtur ad excitandum incendium obsistente tanta spissitudine corporis terrestris.

3. Ex prædictis ignibus quidam occultè terram vorant, quidam euomuntur exteriùs. Alij perpetuò durant, alij per interualla. Quidam ingenti strepitu saxa, cineres, aliaque id genus eructant, alij nullam ex se materiam eijciunt. Quidam per cacumina montium quasi per caminos se produnt, quidam in profundioribus partibus æstuant. Et sic multa alia sunt, quæ potiùs terrorem in nobis extorquent, quàm scrutationem peculiarem exigant.

CA-

CAPVT XII.

De Metallis, & Fossilibus.

1. Metalla distingui solent à Fossilibus, quòd Fossilia sunt mixta intra terræ viscera ex sicco terreo aquæ humiditati admixto eamue excedente, virtute & influxu cœlesti cum frigido coagulante, & calido humidum exsiccante, formata: ratione cuius siccitatis excedentis magis sunt resolubilia in pulueres, quã liquabilia: & dicuntur fossilia, quia fodiuntur & extrahuntur, vt lapides, gemmæ, & huiusmodi. Metalla verò è contra sunt mixta in visceribus terræ ex humido aqueo terreæ siccitati admixto & prævalente, virtute cœlesti cũ frigido etiam coagulante, & aliquo calore excoquente, formata: vnde ratione huiusmodi prædominij humiditatis supra siccitatem, liquabilia sunt, & ductilia vt aurum, argentum, æs, &c.

2. Itaque materia Metallorum est exalatio cum vapore admixta, cuius vaporis humiditas supra siccitatem exhalationis prævalere debet. Cuius signum est, quia metalla sunt ductilia & liquabilia: si autem essent totaliter, vel nimis sicca, non essent ductilia & liquabilia, sed diuiderentur in minutissimas partes, sicut fossilia. Et confirmatur, quia aliquando è nubibus visa est, decidisse massa metalli, aut etiam lapis cũm venis metallicis: in nube autem non possunt ista generari, nisi ex sicca exhalatione arpersa vaporibus, & coagulata: ergo ex eadem materia multò perfectiori modo disposita in minerali decoquetur, & formabitur metallum.

3. Species metallorũ sunt, aurum, argentum, argentum viuum, æs, ferrum, stannum, & plumbum. Et inter omnia metalla aurum non solùm æstimatione hominum, sed naturæ iure eminet, vtpotè purius, solidius, splendidius, ponderosius, & ad diuersas operationes, & medicinas plus valens.

4. Omnia metalla sunt ponderosa, omnia solida præter argentum viuum, omnia ductilia, & percussione dilatantur, præcipuè aurum & argentum, quæ in minutissima fila, & folia ducuntur; omnia denique liquescunt igni, & funduntur, difficiliùs ea, quæ plus concretionis habent, vt ferrum & aurum.

5. Causa efficiens principalis metallorum est virtus syderum, & præcipuè solis; quia non potest assignari alia: neque enim causa illa esse potest ipsum elementum, in quo gignuntur, cùm sit imperfectius huiusmodi mixtis. Quidam Astrologi dicunt, principales causas singulorum metallorum esse singulos Planetas attribuentes Soli aurum, Lunæ argentum, Mercurio argentum viuum, Venerei æs, Marti ferrum, Ioui stannum, Saturno plumbum: itaut velint huiusmodi metalla habere magnam partem propietatum illorum astrorum. Sed hoc non probatur, nec vlla certa ratione suaderi potest.

6. Loca, in quibus generantur metalla, sunt venæ minerales, quæ quasi matrices intra terram constitutæ sunt, quò cælestis virtus penetrat, & materialia attemperat, ex quibus fiunt. Quæ est ratio, vt per artem vera metalla aut nunquam, aut vix fiant, quia deest illi vena, seu matrix mineralis, & virtus illa cęlestis, quæ in tali minerali sic at-

tēperatur. Quòd autem aliqui fluuij ramos auri deuehant, non est quia illud producant, sed quia excedendo e terram extrahunt, & propinquè ad mineralia decurrunt. Non omnis terra pro huiusmodi metallis gignēdis apta est, quia nec dispositionem habet ex parte mineralium; nec aspectum conuenientem Astrorum ex parte cęli. Quæ verò regiones cuiuscumque metalli feraces sint, ad Historium potiùs pertinet, quàm ad Philosophum. Et hæc dicta sufficiant pro tota hac materia meteororum.

QVARTA PARS
PHILOSOPHIÆ NATVRALIS
DE TRIBVS LIBRIS
DE ANIMA

PROOEMIVM.

POstquam libros de physico auditu, de cælo, de generatione & corruptione, & de meteoris, qua potuimus breuitate, & claritate explicuimus; adea, quæ in his tribus libris de anima Philosophus tradit, exponenda oportet tandem vt accedamus; his namque explicatis totam Philosophiam absoluemus. Quorum librorum obiectum aliqui volunt esse animam; quod probant primò, quia Aristoteles libros istos inscripsit de anima. Deinde, quia obiectum alicuius operis illud dicitur, cuius natura & propietates in tali opere contemplantur: in hoc autem opere contemplantur natura & propietates animæ, vt ex decursu totius tractatus patebit.

2. Vera tamèn opinio docet, horum librorum obiectum non esse animam, sed corpus animatum. Ratio est, quia obiectum horum librorum continetur sub obiecto adæquato totius Philosophiæ naturalis, cuius libri isti sunt pars; ergo debet esse aliquod ens mobile, seu naturale completum, contentum sub ente mobili seu naturali completo vt sic, quod est obiectum illius: atqui anima non est ens naturale completum, benè tamen corpus animatum: ergo non anima, sed corpus animatum est obiectum huius tractatus.

3. Confirmatur, ratio adæquata obiecti alicuius scientiæ debet esse abstracta à rationibus obiectorum, quæ in diuersis partibus illius per se inspiciuntur: ergo si ratio adæquata obiecti totius Philosophiæ est ens naturale completum vt

ut sic, rationes à quibus prædicta ratio abstrahitur, debent esse particularia entia naturalia completa: cùm igitur sic non sit anima, sed corpus animatum, non illa, sed hoc erit obiectum huius tractatus.

4. *Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondeo, quòd, vt sæpè dictum est, inscriptio operis non semper sumitur ex obiecto totali, sed vel ex illo, vel ex eius parte præcipua: anima autem licèt non sit obiectum totale horum librorũ, est tamen potior pars illius. Ad secundũ dico, quòd in hoc opere non agitur de anima, nisi quatenus est pars corporis animati, atque adeò per ordinem ad illud: ideòque non ipsa, sed corpus animatum erit obiectum horum librorũ.*

IN PRIMVM, ET SECVNDVM LIBRVM DE ANIMA.

DISPVTATIO I.

De Anima in communi.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit Anima?

1. Definitur primò Anima ab Aristotele hic lib. 2. cap. 1. quòd sit *actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*; quam difinitionem omnes Philosophi recipiunt. Dicitur primò, *actus primus corporis*, quia est forma substantialis incompleta. Dicitur secundò *physici*, quia corpus, quod anima actuat, nõ est artificiale, aut mathematicum, sed physicum, cui conuenit esse principium radicale motus. Et quia corpus physicum est duplex, aliud quod caret partibus diuersæ rationis, aliud quod saltem radicaliter habet illas: ex quibus illud prius non dicitur organicum, sed hoc posterius: vt denotetur, animam esse actum corporis physici habẽtis radicaliter diuersitatem partiũ, addita est tertiò particula illa *organici*. Vltimò denique ponitur, *potentia vitam habentis*, quia non satis est, quòd corpus, cuius actus est anima, sit organicum, sed debet posse vitę functiones exercere: quarè licèt cadauer sit organis distinctum, quia tamen non potest vitę functiones exercere, non potest illius actus dici anima.

2. Dices: Animam esse actum primum corporis organici, idem est ac esse radicem potentiarum organicarum: atqui anima rationalis non est radix huiusmodi potentiarũ organicarum: ergo hæc definitio non conuenit omni animæ: ac proindè anima in communi per hanc definitionem non benè definitur. Prob. minor; Anima rationalis vt talis tãtùm est radix intellectus & voluntatis: atqui intellectus, & voluntas non sunt potentiæ organo affixæ: ergo. ¶ Resp. negando minorem, & ad probationem dico, quòd ab anima rationali vt tali etiam profluunt potentiæ ad ridendum, ad flendum, & similes, cuius signum euidens est, quòd non reperiuntur, nisi in solo homine: hę autẽ potentiæ sunt organicæ: & sic etiam animæ rationali conuenit prædicta definitio.

3. Definitur secundò anima ab eodem Aristotele loc. cit. cap. 2. *id, quo primo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus*. Cuius definitionis sensus est, *animam esse*

primum,

primum, & radicale principium vegetandi, sentiendi, mouendi se localiter, & intelligendi. Dicitur *primum, & radicale principium*, per quod secernitur anima à principijs immediatè elicitiuis huiusmodi operationum, quæ sunt facultates animæ, & accidentia. Per sequentes autem particulas distinguitur ab alijs formis purè corporeis, quæ non sunt principia radicalia vegetandi, sentiendi aut huiusmodi actionum vitaliũ & immanentium, sed aliarum, scilicet transeuntium, calefaciendi, frigefaciendi, & similium.

4. Dupliciter autem hæc definitio explicari potest. Primò *in sẽsu distributino absoluto*, itaut significet, animam in communi, & quamlibet in particulari esse principium radicale vegetandi, sentiendi, &c. & hic sensus est falsus, cum soli animæ rationali competat esse principium harũ omnium operationum. Secundò *in sensu distributiuo accommodo*, itaut significet, animam esse principium radicale vegetandi in his, quæ vegetatiua vita viuunt, sentiendi in his quę sensitiua, &c. Et hic sensus est verus, sicq; explicata definitio est legitima; nequè necesse est, quòd omnes illius particulæ cuilibet animę conueniant; sed quędam vni, quędam verò, vel omnes simul alteri, vt animę rationali.

5. Ex his duabus definitionibus prior est essentialis, posterior verò descriptiua. Primum patet, quia anima essentialiter conuenit cum cęteris alijs actibus informantibus sub ratione actus informantis; & essentialiter differt ab omnibus illis per hoc, quòd dicit habitudinem ad corpus organicum animatum, quod actuat, & informat, quandoquidem nulla alia forma pręter ipsam, cõstituit corpus in esse organici viuẽtis. Secundum verò probatur; quoniam definitio, quę non traditur per rationem primam, & essentialem definiti, sed per aliquid posterius, & ad eam subsequutum, non est essentialis, sed descriptiua: atqui hoc modo definitur anima per hanc posterioré definitionem: definitur enim per esse principium operandi; & prius conuenit animę esse principium essendi, quàm operandi: ergo hæc posterior definitio non est essentialis, sed descriptiua.

DVBIVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Anima, & quot modi viuendi?

6. PRima conclusio: Anima adæquatè diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Et probatur, quia anima distinguitur à natura corporali inanimata penès hoc, quòd eius operatio est eleuatior quacunque operatione istius: ergo tot erunt animæ, quot sunt modi huius supergressionis, & eleuationis: sed tres tantùm sunt modi, quibus operatio animę supergreditur operationem naturæ corporalis inanimatæ: ergo tres tantùm sunt animę. Proba minor; nam est quędam operatio animę, quę adeò excedit naturam corpoream, vt nequeat exerceri per organum corporeum, qualis est intellectio: & huic correspondet anima intellectiua seu rationalis. Alia verò est operatio animę, quę licèt fiat per organum corporeum, non tamen medijs qualitatibus materialibus, sed medijs speciebus intentionalibus: quę non

parum

parum sunt à materia depuratę, vt sensatio: & huic operationi correspondet anima sensitiua. Tandèm alia est operatio animę, quę licèt fiat per organum corporeum, & medijs qualitatibus materialibus, non tamē fit à principio extrinseco, sed intrinseco, vt accretio & nutritio: & huic operationi correspondet anima vegetatiua. Cùm igitùr non sit assignabilis alius modus, quo operatio animę supergrediatur operationem naturę corporalis inanimatę, dicendum est, eos tres tantùm esse.

7. Ob: 1. Ideo anima vegetatiua, sensitiua, & intellectiua sunt animæ inter se distinctæ, quia quælibet illarum est principium peculiaris operationis vitalis; vegetatiua quidem vegetandi, sensitiua verò sentiendi, & intellectiua intelligendi: sed anima locomotiua est etiam principiū peculiaris operationis vitalis, scilicet motus vitalis secundùm locum: ergo anima locomotiua est anima à reliquis tribus distincta. ℥ Resp. quòd tres illæ animæ non ideo in hac diuisione continentur, quia quęlibet earum est principium peculiaris operationis vitalis vtcunque, sed quia est principium peculiaris operationis habentis aliquam eleuationem ex iam enumeratis supra operationem naturæ inanimatæ. Anima autem locomotiua licèt sit principium peculiaris operationis, & habeat aliquam eleuationem supra materiam; quam non habet anima, quę præcisè est sensitiua, tamen hæc maior eleuatio cōtinetur sub eleuatione animæ sensitiuę vt sic, & propterea non est membrum distinctū, sed continetur sub illa: in præsenti enim non diuiditur anima in omnē animam, quæ affert maiorem eleuationis modum, alioquin innumeræ animę intèr se distinctę specie, & se in prędicta eleuatione excedentes, connumerandę essent, sed in eas animas: quibus conueniunt primi, & generales modi huius eleuationis.

8. Ob: 2. Animę vegetatiua, & sensitiua possunt esse sine loco motiua, & anima loco motiua potest esse sine intellectiua: ergo anima loco motiua est distincta anima à vegetatiua, sensitiua, & intellectiua. Prob. Antecedēs; Ostreæ, Cōchilia, & Zoophita marina vegetant, & sentiunt, non tamèn loco mouentur: Equi verò aliaque Bruta perfecta loco mouentur, sentiunt, & vegetant, non tamen intelligunt: ergo animæ vegetatiua & sensitiua possunt esse sine locomotiua, & hæc sine intellectiua. ℥ Resp. quòd licèt anima locomotiua possit esse sine intellectiua, & anima sensitiua sine locomotiua, tamen quia hæc quando coniungitur cum sensitiua, non tribuit peculiarē modum eleuationis ex ennumeratis distinctum ab eo, quem anima sensitiua quatenus sensitiua est, affert, ideò non connumeratur in hac diuisione, sed sub sensitiua comprehenditur.

9. Secunda conclusio. Modi viuendi sunt tantùm quatuor, nempè vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum. Ità Aristoteles hìc lib. 2. tex. 13. Probatur quia tot sunt modi viuendi, quot sunt modi mouendi à se: sed modi mouendi à se sunt quatuor: ergo etiam quatuor sunt modi viuendi. Probatur mi. & primò de viuentibus vita vegetatiua patet, nàm ista dum nutriuntur & augentur, has operationes eliciunt non vt mota ab alio. Similiter viuentia vita sensitiua in suas sensationes prorumpunt non vt

mota ab alio. Licèt autẽ Bruta omnia in hoc conueniant, est tamen inter ea nõ parua latitudo & diuersitas, nam quædam adeò imperfecta natura sensitiua gaudent, vt licèt duobus modis iam dictis se moueant, non tamen cognoscunt obiecta distantia, & ideò non habent principium intrinsecum mouendi se localiter ad illa. Alia verò sunt perfectiora, & ratione huius maioris perfectionis cognoscunt prædicta obiecta; & ita vltra hoc, quòd est moueri à se duobus modis tàm dictis, habent speciali motu mouere se, scilicet motu locali, quo ad prædicta obiecta distantia tendunt. Denique mouent se animalia perfectissima, scilicet homines, qui cùm cognoscant proportionem mediorũ cum fine, & finem vt finem, possunt se dirigere in illum, & non dirigi ab alio, sicùt diriguntur Bruta ab auctore naturę.

10. Ex dictis habes, ex alio capite Aristotelem sumpsisse numerum animarum, & ex alio numerum modorum viuendi: numerum animarum desumpsit penès modum operandi trascendentem omnem modùm operandi naturæ inanimatæ; numerum verò modorum viuendi penès hoc quòd est, *moueri à se* Vndè non valet ista consecutio, *Animę sunt tantùm tres: ergò etiam modi viuendi sunt tres*. Vel è contra; *Modi viuendi sunt quatuor: ergo etiam animæ sunt quatuor*.

DVBIVM TERTIVM.

Quomodo Anima vegetatiua in sensitiua, & vtraque in rationali contineantur?

11. IN titulo huius dubij aliquid vt certum supponitur, & aliquid in controuersiam vocatur. Supponitur enim animam vegetatiuam contineri vtcunque in sensitiua, & vtramque in rationali: nàm cum homo viuat tàm vita rationali, quã sensitiua & vegetatiua, vt experientia constat, oportet vt in eo sit tàm anima rationalis, quàm vegetatiua, & sensitiua; cumque in eo sit tantùm vnica forma substantialis, quia multiplex in eodem composito est impossibilis, fit indè vt anima rationalis debeat aliquo modo continere vegetatiuam & sensitiuam. Quod idem cũ proportione de anima sensitiua respectu vegetatiuę dicendum est; quandoquidèm quoduis animal viuit non solùm vita sensitiua, sed etiam vegetatiua: & in quolibet composito substantiali nequit esse, nisi vnica forma substantialis, vt dictum est: vocatur autem in dubium, qualis sit hæc continentia. Pro cuius decisione.

12. Dico primò, Animam rationalem continere formaliter vegetatiuam, & sensitiuam: & animam sensitiuam eodem modo vegetatiuam. Probatur, quia anima rationalis tribuit homini esse vegetatiuum, & sensitiuum formaliter: ergo ipsa est formaliter vegetatiua, & sensitiua. Consequentia patet, quia nihil potest esse formaliter tale, nisi à forma, quæ sit formaliter talis, quandoquidem effectus formalis primarius cuiusuis formæ prouenit à sola forma. Antecedens verò probatur, quia homini absolutè, & simpliciter conuenit definitio gradus sensitiui, scilicet quod sit viuens sensibile: ergo habet esse sensitiuum formaliter. Et confirmatur; quia homini conueniunt potentiæ formaliter sensitiuę, eiusdẽ rationis cum potentijs Brutorum, quales

quales sunt sensus: sed proprietates seu potentiæ formales non possunt conuenire, nisi eidem naturæ formali: ergo.

13. Dico secundò, Hanc continentiam non esse formaliter tantùm, sed formaliter eminenter. Et prob. quia continere formaliter eminenter aliquid, est includere rationem formalē eius seclusis imperfectionibus, & sine limitatione, quam illud habet in inferioribus rebus, in quibus formaliter tantùm reperitur: atqui anima rationalis continet sensitiuam sine imperfectionibus, & limitatione quam habet in bruto, vbi est sensitiua tantùm; Et similiter vegetatiuam sine limitatione, quam habet in plantis: ergo non est formaliter tantùm, sed formaliter eminenter vegetatiua, & sensitiua.

14. Dices; Anima rationalis est indiuisibilis, & consequenter tota in qualibet parte corporis: ergo si est simul intellectiua, sensitiua, & vegetatiua, omnibus partibus corporis tribueret esse intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum: atqui hoc est falsum, nam in homine capillus vegetat, & non sentit, & manus sentit, sed non intelligit: ergo anima rationalis non est simul vegetatiua, sensitiua, & intellectiua.

15. Ad hanc instantiam aliqui respondent, animam rationalem omnibus partibus corporis tribuere esse intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum, quia omnes illas informat per communicationem propriæ entitatis, quæ indiuisibilis est. Et sic negant minorem: & ad probationem dicunt, ideo capillos non elicere actum vitalem sensationis, quia deest illis potentia proxima, viuunt tamē vita sensitiua radicali, quia informantur anima rationali, per modum formæ simplicissimæ omnes tres illos gradus præhabente; vnde si in eis sicuti est potentia proxima vegetatiua, fuisset potentia proxima sensitiua, & intellectiua, capillus non solùm vegetaret, verùm etiam sentiret, & intelligeret.

16. Hæc tamen solutio mihi displicet, quia superfluè anima rationalis tribueret esse sensitiuum, & intellectiuum radicale capillis, si semel nequeunt ad actum secundum sentiendi, & intelligendi reduci; quandoquidem esse est propter operari: ergo vbi impossibilis fuerit operatio ad aliquod esse subsequuta, non potest ibidem tale esse reperiri.

17. Vnde ad argumentum aliter respondeo, quòd licèt in homine sit vna tantùm anima rationalis indiuisibilis, & ideo diuersæ hominis partes non differunt propter diuersitatē animæ indiuisibilis, prouenit tamen earum differentia ex diuerso modo, quo anima vnitur eisdem partibus. Hic autem modus vnionis est specie diuersus, & ideo aliquæ earum vegetant, & non sentiunt, & aliquæ sentiunt, sed non intelligunt. Quòd verò modus iste vnionis sit specie diuersus, colligitur ex effectu formali, quē anima tribuit diuersis partibus corporis; non enim omnibus partibus communicat eundem effectum formalem, sed diuersis diuersum, iuxta capacitatem, & dispositiones earum. Et confirmatur, quia potentiæ vitales procedunt ab esse, quod anima communicat corpori, & partibus eius per informationem, vegetatiuæ quidem ab esse vegetatiuo, & sensitiuæ ab esse sensitiuo: ergo partes non habentes vllam potentiam sensitiuam, sed vegetatiuam tantùm, non recipient

pient ab anima esse sensitiuum, sed solum vegetatiuum: & quæ habent potentiam vegetatiuam, & sensitiuã, recipient esse vegetatiuum, & sensitiuum.

DISPVTATIO II.

De informatione Animæ.

1. OStendimus disputatione præcedenti vnicam tantùm animam dari in quolibet viuente, quæ informet omnes partes eius; in hac autem disputatione videndum est, quænam sint istæ partes, quas informat: & est certum eas omnes informare, quæ ad integritatem naturæ spectant; dubitatur tamen de sanguine, & reliquis tribus humoribus; de dentibus, vnguibus, & capillis; de semine, & lacte fæminarum, an huiusmodi partes spectent ad integritatem viuentis, & informentur eadem anima.

2. Pro intelligentia autem, & decisione primæ difficultatis notandũ est primò, in homine reperiri quatuor humores nimirum sanguinem, pituitam, flauabilem, & atrabilem. Sicut enim hoc vniuersum quatuor constat elementis, ita homo Mundus paruus prædictis humoribus tãquam ex quatuor quasi elementis componitur: etenim sanguis est calidus, & humidus sicut aer. Pituita frigida, & humida sicut aqua: Flauabilis calida, & sicca sicut ignis: & atrabilis frigida, & sicca sicut terra.

3. Notandum est secundò, sanguinem esse duplicem, alium nutrimentalem, alium naturalem: sanguis nutrimentalis est humor parum decoctus, parumque depuratus, qui veram rationem sanguinis non habet, quamuis in colore, & aliquibus alijs accidẽtibus sit illi similis: & hũc sanguinem ideo nutrimentalem appellamus, quia solùm deseruit ad hoc vt ex illo sanguis naturalis, aliæque partes corporis nutriantur. Sanguis verò naturalis est verus sanguis, fitq; ex illo priori per maiorem decoctionem, quia ideo dicitur naturalis, quia veram sanguinis naturã in se habet. Hæc autem sanguinis diuisio proportionabiliter ad alios tres humores est applicanda, vt optimè notarunt Bannez lib. 1. de generat. cap. 4. q. 8. art. 5. & Complut. lib. 2. de anima disp. 6. quæst. 1. & sic pituita v. g. debet distingui in eam, quæ veram rationem pituitæ habet, & in humorem pituitosum parum decoctum, & veram rationem pituitæ non habentem.

4. Notandum est tertiò, Sanguinem naturalem, & reliquos tres humores naturales, verè & propriè pertinere ad integritatem naturę humanæ, vt sumitur ex Innoc. III in quadam extrauagant. de celebrat. Missar. vbi dicit, *de latere Christi exisse sanguinem, & aquam, vt esset signũ corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores, quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpsit*. Et ita tenet expressè D. Th. 3. p. q. 54. art. 2. & in 4. dist. 54. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. & communiter Theologi dicunt, Beatos resurgere cum his quatuor humoribus, vt saluetur integritas humanæ naturæ. His positis.

5. Dico primò, Sanguinem nutrimentalem, & reliquos tres humores non decoctos, non informari anima illius compositi, in quo sunt sed alia forma substantiali. Ita Bannez & Complut. locis citatis, noster

Augu-

Augustinus de angelis in physic disp. 13. sect. 4. & alij communiter. Prob. quia nullus humor denuo ab animali acquisitus potest informari anima, nisi media nutritione: nutritio autē non nisi media perfecta concoctione alimenti introducit formam aliti in illud: ergo cum sanguis nutrimentalis, & prædicti tres humores non sint plenè decocti, nequeunt informari forma viuentis, in quo sunt.

6. Dico secundò, Sanguinem naturalem, & reliquos tres humores similiter naturales, informari anima totius viuentis, in quo sunt. Ita Auctores pro præcedenti assertione citati, Caietanus 3. p. q. 54. art. 2. Nazarius ibidem q. 5. art. 2. controuer. 2. Conradus 1. 2. q. 64. art. 1. & alij. Probatur primò ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 3. vbi dicit: sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter se copulantur: ergo supponit, sanguinem esse partē corporis humani, atque adeo anima illius informari. ¶ Confirmatur ex Caio Papa in decretali ad felicem, qui vt damnaret dicentes, quòd Christus Dominus nō assumpsit veras partes naturæ humanæ, inquit: *Si Christus veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sāguine redempti essemus?* vbi clarè supponit sanguinem esse partem naturæ humanæ, & consequenter informari anima totius. Nomine autem sanguinis (vt benè aduertit Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 15. sect. 7.) veniunt omnes quatuor humores, quia in corpore humano ferè semper sunt mixti.

7. Probatur secundò ratione; quia sanguis naturalis est pars integralis naturæ humanæ: ergo informatur eadem anima, qua informatur ipsa natura humana. Prob. antecedens; si sanguis naturalis non esset pars integralis naturę humanæ, vel Verbum diuinum nō assumpsisset, seu vniuisset sibi illum hypostaticè, vel assumpsisset duas naturas, nempe naturam humanam, & naturam sanguinis: neutrum dici potest; non primū, quia aliàs non redemisset nos suo sāguine, quippe qui non esset pretium infiniti valoris, si personæ diuinę nō esset vnitus. Vnde (vt refert Mailhat hic disp. 2. sect. 1.) Ioannes XXII. Auenione quemdam concionatorē coegit publicè retractere id quod dixerat, sanguinem non fuisse hypostaticè vnitum Verbo diuino. Nec etiam secundum dici potest, quia Verbum diuinum vnam solam naturam assumpsit: ergo.

8. Ob. 1. Sanguis est discontinuus à reliquis partib⁹ corporis viui: ergo non potest anima illius informari. Prob. antecedens; sanguis est mollis, & fluxibilis, reliquæ verò partes sūt duræ, & influxibiles: ergo repugnat, eas cum sanguine continuari: sicut propter eandem rationem repugnat aquam decurrentem cum terra influxibili esse continuam. ¶ Respondetur negando antecedens, intellectum de sanguine naturali: & ad probationem dico, sanguinem habere quasdam partes grassiores, quas Medici fibras vocant, & quasdam subtiliores; istę autem subtiliores partes cōtinuantur partibus magis grassis seu fibris: partes magis grassę seu fibræ continuantur venis, venę carni, & caro ossibus. Nec obest, sāguinem esse in venis tanquam in vase, sicut etiam nihil obest, quòd medullę eodem proportionali modo contineantur in ossibus, ad hoc vt cum illis cōtinuentur. Vnde loquutio de conti-

 nen-

nentia sanguinis in venis tanquam in vase, non est rigorosa, sed larga, nam continentia rigorosa alicuius in alio, tanquam in vase petit, vt continentis non sit continuum cum re contenta.

9. Ob 2. Sanguis nullam vitalem operationem exercet in animali: ergo in se non habet vitam substantialem ab anima animalis prouenientẽ. Patet consequentia, quia quæuis vita substantialis est principium radicale operationis vitalis. ¶ Respond. negando antecedens, nam in primis sanguis naturalis nutritur, & augetur, vt docet Aristoteles lib. 3. de histor. animalium cap. 19. Rursus in animali habet plures, & diuersos motus exprimentes varios affectus: & ita in erubescentibus fugit ad faciem, in timentibus, & irascentibus ad cor: & in gaudentibus per totum corpus diffunditur. Illi autem motus sunt vitales, quia non proueniunt ab aliquo principio extrinseco.

10. Ob 3. Sanguinis Christi Domini non est vera pars corporis ipsius: ergo neque sanguis aliorum hominum erit vera pars illorum corporum. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia sanguis Christi Domini (vt docet Trident. sess. 13. cap. 3.) non ponitur sub speciebus panis directè ex vi verborum consecrationis panis: sed si esset vera pars corporis Christi Domini, poneretur sub prædictis speciebus directè ex ui verborum consecrationis panis; nam directè ex vi verborum consecrationis panis ponitur sub prædictis speciebus totum Corpus Christi Domini, ac proinde omnis pars pertinẽs ad eius integritatem: ergo non est vera pars illius. ¶ Respond. negando antecedens, & ad probationem dico, ex vi verborum consecrationis panis tantum directè poni Corpus Christi cũ omnibus suis partibus solidis, non autem fluidis, quia prædicta verba non vtcumque significat corpus, sed per modum cibi, cui aptæ sunt partes solidæ, & non fluidæ, qualis est sanguis. Quæ solutio sumitur clarè ex ipso Tridentino, nam postquam diffiniuit, Corpus Christi esse ex vi verborum consecrationis panis sub speciebus illius, & sanguinem ex vi verborũ consecrationis vini sub speciebus vini, addidit, sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter se copulantur: ergo sentit, & quòd sanguis sit pars corporis, & quòd non omnes partes corporis Christi sint ex vi verborum sub speciebus panis.

11 Dico tertiò, Dentes, vngues, & capillos informari eadem anima, qua informatur totum. Ita Iauellus libr. 2. de anima q. 10. Bannez, & Complut. locis citatis, & alij. Prob. quia omnia prædicta habent operationem vitæ: ergo nulla est *ratio*, quare non informentur anima totius viuentis, in quo sunt. Probatur antecedens, quia conspicimus dentes nutriri, & augeri per intus sumptionem, & habere venulas, siue meatus per quos alimentum attrahunt. Hoc idem indicant fibræ, seu venulæ, quæ in capillis versus inferiorem partem apparent, per quas cum carne continuantur, & alimentum sugunt: & licet in vnguibus hæ *non* appareant, tamen non sunt eis tales operationes denegandæ, cum experientia videamus, eas nutriri, & crescere, & non per iuxta positionem.

12. Dico quartò, semen, & lac fæmi-

fœminarum, non informari eadem anima, quæ totum compositum, in quo sunt. Ita Aristoteles 2. de generat. animalium cap. 3. D. Th. q. 3. de potentia art. 9 ad 9. Albertus Magnus lib. 7. suæ physologiæ, & alij. Ratio autem est: quia semen, & lac non pertinent ad integritatem indiuidui, in quo sunt, sed solùm ordinantur ad conseruationem speciei in alio supposito: nam ex semine per actum generationis producitur aliud indiuiduum, & ex lacte per actum nutritionis nutritur fœtus iam productus: sed solùm ea, quæ pertinent ad integritatem indiuidui, informantur eadem anima: ergo semen, & lac non informantur anima totius.

13. Ob. 1. Semen generat viuens: ergo habet in se vitam; nam nemo dat, quod non habet. ¶ Respond. negando consequentiam, quia non generat viuens vt causa principalis, sed instrumentalis.

14. Ob. 2. Luxuriosi sunt vt in plurimum macri, & debilitati ex emissione seminis, & similiter feminæ nutrices ex amissione lactis: at si lac & semen non pertinerent ad integritatem indiuidui, non esset cur isti, & illi debilitarentur, ex eo quòd istæ suo lacte pueros alant, illi verò semen emittant: ergo, &c. ¶ Respond. hoc non prouenire ex eo, quòd semen, & lac informentur eadem anima, qua informatur totum animal, in quo sunt, sed quia quo plus seminis emittitur, eo plus sanguinis deficit, non sumitur, per conuersionem in semen facta mà virtute efformatiua eiusdem seminis, residente in viuente, à quo deciditur est. Quod idem cum proportione de lacte dicitur.

15. Ob. 3. Spadones censentur homines manchi, & imperfecti: hoc autem non aliunde, nisi quia eis deest semen: ergo semen pertinet ad integritatē animalis. ¶ Respond. non ideo spadones censeri manchos, & imperfectos, quia eis desit semen, sed quia eis præciduntur nerui, qui sunt seminis fabri: & ita pueri non censentur manchi, & imperfecti, etiam si semen non habeant.

16. De alijs partibus, vt carne, neruis, & similibus ex se constat viuere anima totius, nec nullus Philosophus contrarium sentit. Similiter, nec de saliua, & sudore, quòd non informentur anima, quia sunt pura excrementa. De speciebus autē vitalibus ac animalibus patet ex his, quę diximus in secunda conclusione, nam spiritus isti sunt sanguis quidam purissimus.

DISPVTATIO II.

De Potentijs Animæ.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum potentiæ sumant suam vnitatem, & distinctionem specificam ab actibus, & obiectis?

1. Præsens difficultas est vniuersalis de omnibus potentijs à quacumque essentia dimanantibus: quam primo loco excitamus, quia ex eius decisione pendet resolutio sequentium dubiorum. ¶ Vt autem titulus intelligatur, noto sensum illius non esse, an actus, & obiecta constituant intrinsecè potentias, & eas sic constituendo, tribuant illis suam vnitatem, & distinctionem; nam certum est, actus, & obiecta non posse hoc modo constituere, & distinguere potentias, sed solùm an talis

lis vnitas, & distinctio sumatur ab eisdem, tanquam ab extrinseco specificatiuo, seu tanquam à re per se inspecta; ita vt licèt prædicti actus, & obiecta non sint quid intrinsecum respectu potentiarum; nihilominus habitudo ad illa sit intrinseca, & essentialis, ratione cuius habeant suam essentiam, vnitatem, & distinctionem.

2. Conclusio. Potentiæ sumunt suam vnitatem, & distinctionem specificam ab actibus immediatè, mediatè verò ab obiectis. Est communis contra Scotum. *Prima pars probatur*; quia vnumquodque accipit suam vnitatem, & distinctionem specificam ab eo, ad quod per se primò ordinatur: sed potentiæ per se primò ordinantur ad operationes, nam tota earum essentia sita est in hoc, quòd sint principia proxima, & immediata operationum: ergo ab illis potentiæ suam vnitatē, & specificā distinctionem sumunt. *Ex quo patet secunda pars conclusionis*, nam actus, cum sint tendentiæ ad obiectum, specificantur ab obiectis: ergo si potentiæ specificantur, & distinguuntur per actus, non poterunt non mediatè desumere suam specificationem, & distinctionem ab obiectis.

3. Ob. 1. Ratio specifica, & vnitas rei, ab vno tantùm est desumenda; quia essentia, & vnitas rei est vnica; ad vnicam autem essentiam, & vnitatem sufficit vnicum specificatiuum: ergo specificatio, & vnitas potentiarum desumitur vel ex solis actibus, vel ex solis obiectis, & non ex vtriusque simul. ¶ Respond. quòd actus, & obiecta censentur vnum specificatiuum; quia actus vt subordinati obiectis, à quibus suam sumunt specificationem, specificant potentias, vt dictum est.

4. Ob. 2. Actus sunt posteriores potentijs: ergo supponunt eas cum propria essentia, & vnitate: ergo hanc potentijs tribuere non possunt. Probatur antecedens; Actus producuntur à proprijs potentijs: ergo sunt posteriores illis. ¶ Resp. actus esse posteriores potentijs in genere causæ efficientis, non autem in genere causæ finalis (cum potentiæ sint per se primò à natura institutę propter operationes) & formalis extrinsecæ, in quo genere habent specificare potentias.

5. Ob. 3. Multoties obiecta potentiarum essentialiter, & realiter distinctarum, sunt idem: & multoties obiecta vnius, & eiusdem potentiæ sunt essentialiter, & realiter distincta: ergo potentiæ non sumunt suam vnitatem, & distinctionem specificam ab obiectis, alias enim distinguerentur essentialiter, & realiter iuxta distinctionem essentialem, & realem obiectorum. Probatur antecedens, intellectus, & voluntas sunt duæ potentiæ realiter distinctæ, & tamen habent pro obiecto verum, & bonum, quæ sunt idem ens. E contra visus est vna, & eadem potentia, & tamen terminatur ad obiecta specificè, & realiter distincta, nimirum ad album, nigrum, & cæteros colores: ergo. ¶ Respond. vnitatem, & distinctionem superficam potentiarum non desumi ab obiecto vtcunque, sed ab illo formaliter, & in esse obiecti accepto; atque ita licèt in esse entis verum, & bonum sint idē, quia verò formaliter, & in esse obiecti distinguuntur, ideo distinctam specificationē distinctis realiter potentijs tribuunt. Similiter licèt album, & nigrum in esse rei specie differant,

ferant, tamen quia conueniunt in vnica ratione formali obiectiua, scilicet in esse visibili, ideo secundùm hanc rationem possunt specificare potentiam visiuam; & sic de alijs.

6. Si autem quæras, quomodo sola distinctio formalis obiectorum sit sufficiens ad tribuendum potentijs non solùm distinctionem formalem, verùm etiam distinctionem realem? Breuiter respondeo, quia hoc ipso quòd obiecta formaliter distinguuntur, tunc ita inspiciuntur ab vna potentia, ac si nō essent inter se identificata; & ideo intellectus ita respicit verum, ac si non esset ibi bonum: & voluntas ita inspicit bonum, ac si non esset ibi verum. Vnde non mirum, quòd hæc distinctio formalis obiectorum, & isti distincti modi, quibus inspiciuntur, & terminant, sint satis ad hoc, vt potentiæ realiter distinguantur; quando quidem realis distinctio obiectorum, si ibi esset, non posset ob aliam rationem requiri ad distinctionem potentiarum, nisi vt ipsæ inspicerent vnum obiectum, non respiciendo aliud.

DVBIVM SECVNDVM

Quot sint potentię generales animę?

7. Titulus huius dubij non de qualibuscunque potentijs animę, sed de eis, quę ab illa vt anima est, fluunt, ac proinde de solis potentijs vitalibus intelligendus est.

8. Conclusio Generales potentię animæ sunt quinque, nempe vegetatiua, sensitiua, locomotiua, appetitiua, & intellectiua. Ita Arist. hic lib. 2. cap. 3. tex 27. D. Th. ibidem lect. 5. & p. p. quęst. 78. art. 1. omnesque Philosophi. Cuius legitimę distinctionis ratio petitur ex obiectis, circa quę viuentium operatio versatur; Nam obiectum, ad quod viuens per se moueri potest, vel est aliquid vnitum ipsi viuenti, vel aliquid separatum ab ipso: dupliciter autem potest esse aliquid vnitum viuenti, vel per se ipsum, vt alimentum est vnitum facultatibus vegetatiuis, circa quod ipsę versantur: vel per suam imaginem, seu speciem; & si hec vnio fit in organo corporeo, qualis est vnio speciei sensibilis cum sensu, versantur circa ipsum facultates sensitiuę: si verò non fit in organo corporeo, sed in parte spirituali, vt est vnio speciei intelligibilis cū intellectu, versatur facultas intellectiua. Si autem est aliquid separatum ab ipso viuente, vt est bonum animalis non dum possessum: hoc dupliciter ad animal se habere potest; *primò* quatenus terminat actum intentionis illius; *secundò* quatenùs terminat exequutionem, & acquisitionem sui. Ad illud secundùm priorem rationem terminatur potētia appetitiua, cuius præcipuus actus est intendere bonum sibi conueniens. Et ad idem secundùm posteriorem rationē versatur potentia locomotiua, quæ animalibus, in quibus est, tribuitur à natura ad hoc, vt bonum illud, quod erat intentum, re ipsa consequi possint. Cùm igitur non sint alia obiecta, circa quæ operatio vitalis versari possit, euidenter sequitur diuisionem generalium potentiarum animæ ab Aristotele traditam, fuisse legitimam.

9. Ob. 1. Genera animarum sunt tantùm tria: ergo etiam genera potentiarum debēt esse tantū tria. Prob consequentia: Quidquid in proprietatibus

tatibus, & potentijs animæ est fluit ab essentia eiusdem animæ: ergo si genera animarum sunt tantùm tria, indè oriri non possunt, nisi tria tantùm genera potentiarum. ¶. Resp. negando consequentiam; nullum enim incoueniens est, quòd potentię vitales excedant multitudinem animarum; nam potentiæ vitales sunt veluti instrumenta, potest autem vnum agens pluribus quasi instrumentis vti, & plures operationes essentialiter diuersas habere.

10. Ob. 2. Vel sensitiuum & intellectiuum non debent numerari vt diuersa genera potentiarum, vel appetitiuum sensitiuum debet numerari vt genus potentiæ distinctum ab appetitiuo rationali: nàm sicut appetitus sensitiuus & rationalis cõueniunt in ratione appetitiui, ità sensitiuum & intellectiuũ in ratione cognoscitiui: ergo genera potentiarum vel erunt sex, vel tantùm quatuor. ¶ Resp. negãdo Antecedẽs, nàm adest sufficiens fundamentum ad hoc; vt potiùs sensitiuum & intellectiuum constituant duo genera potentiarum, quàm appetitiuum; nàm inter potentiam appetitiuam sensibilem, & rationalem est peculiaris quędam conuenientia, scilicet quòd ambæ tendunt in rem singularem (nõ enim appetimus bonũ in communi & in obstracto; sed hoc & illud in particulari) quæ tamen conuenientia non est inter sensum cognoscitiuum, & intellectum, nàm intellectus est vniuersalium, sensus verò singularium: & ideò ratione huius conuenientiæ possunt peculiari titulo fundare vnicum genus potentiarum animæ.

DVBIVM TERTIVM.

An potentia locomotiua sit realiter distincta ab alijs potentijs?

11. PRo intelligentia huius dubij suppono ex doctrina D. Th. opusc. 43 de potentijs animæ, cap. 5. quòd ad motum progressiuum animalium, de quo tantùm in præsenti loquimur, triplex principium potest concurrere. Primum est, quòd vocatur principium directiuũ motus; quod in homine est intellectus practicus, in animalibus verò imaginatiua, seu extimatiua. Secũdum principium est, quasi impulsiuum ipsius motus, quod in homine est voluntas, quæ cęteras potentias mouet ad exercitium; in animalibus verò est appetitus sensitiuus. Et vtrumque istud principium D. Tho. 1. part. quæst. 78. art. 1. ad 4. dicit, esse imperatiuum motus. Tertium principium est exequutiuum illius motus.

12. Et vt separemus certa ab incertis, non est quæstio aliqua de potentia dirigente, aut impellente; omnes enim fatemur, non *distingui* à potentia cognoscitiua & appetitiua. Similitèr quod attinet ad potentiam exequutiuam, omnes fatẽtur, illam esse distinctam à potentia cognoscitiua, & appetitiua; quod colligitur ex doctrina D. Th. loc. cit. vbi dicit, non sufficere ad motum potentiam cognoscitiuam, & appetitiuam, nisi superaddatur potentia exequutiua. Et confirmatur, quia hæc potentia exequutiua est diffusa per omnia membra corporis; potẽtia verò cognoscitiua & appetitiua non est in qualibet parte corporis. Rursus in animalibus imperfectis est

est sensus & appetitus, in quibus tamen non est potentia locomotiua.

13. Tota ergo difficultas consistit in hoc, an hæc potentia exequutiua sit potentia actiua, elicitiua motus; an verò potentia passiua? Super qua difficultate est duplex sententia. Prima est Caietani, Ferraræ, & aliorum qui dicunt, quòd potentia hęc non sit actiua, & elicitiua motus localis, sed tantùm passiua; sola verò potentia appetitiua est potentia actiua, & elicitiua motus. Ad eum modum, quo in Angelo mouente Cœlum, voluntas est principium elicitiuum motus, & ipsum Cœlum principium passiuum; ita in animali appetitus est principium elicitiuum motus localis, & potentia exequutiua principium passiuum.

14. Secunda sententia docet, quòd potentia exequutiua sit verè potentia actiua, elicitiua motus localis. Ita tenet Nazarius 1. p. q. 54. art. 5. quæ sententia mihi videtur probabilior, & magis ad mentem D. Th. qui loc. cit dicit, ad motum localem animalis non sufficere sensum, & appetitum, nisi superaddatur eis aliqua virtus, vel vis motiua: sed in doctrina S. Thomæ vis, aut virtus pertinent ad potentiam actiuam: ergo. Confirmatur, quia si locomotiua nō esset potentia actiua distincta ab appetitiua, potētię generales animę nō essent quinque, sed quatuor: quod est contra ea, quę ex Aristotele, & D. Thoma dubio pręcedenti dicta sunt.

15. Hęc autem potentia exequutiua dici potest passiua respectu motionis, quam recipit ab ipso appetitu: qua ratione omnes potentiæ sensitiuæ respectu voluntatis possunt etiam dici passiuæ, secundùm quod mouentur ab illa ad exercitium; at verò in ordine ad proprios actus verè potentiæ actiuæ sunt: ita de potentia exequutiua dicendum est. Vnde ad exemplū oppositę sententię negatur paritas; quia motus Cœli non est vitalis, sicut est motus localis in animali: & ideo Cœlum mouetur ab Angelo, animal verò à propria virtute locomotiua.

DVBIVM QVARTVM

Quomodo potentiæ Animæ ab ipsa Anima distinguantur?

16. EST prima opinio Nominaliū, qui volunt, potentias animæ solùm ratione ratiocinata ab ipsa anima distingui. Ita Gregor. in 2. dist. 16. Gabriel ibidem, Marsilius quest. 16 & 22. Ocham q. 24. & alij. Quæ opinio est improbabilis; nam si sola ratione rationata anima à suis potentijs distingueretur, anima nostra rationalis esset realiter idem cum omnibus suis potentijs. Quod quidem est omnino falsum, cum anima nostra sit spiritualis, & plures eius potentiæ, nimirum organicæ, sunt materiales & corporeæ.

17. Secunda opinio est Scoti in 2. dist. 16. q. 1. & in 4. dist. 12. qu. 5. asserentis, potentias animæ solùm ex natura rei, non autem realiter ab ipsa anima distingui. Sed contra hanc opinionem viget argumentum iam factum; nam anima rationalis est entitas spiritualis: eius potentiæ organicæ sunt entitas materialis, & corporea: ergo distinguuntur non tantùm ex natura rei, verùm etiam realiter. Præterea, si anima identificaret sibi sine distinctione reali, sed cum sola distinctione ex natura rei, omnes suas potentias, non haberet præcisè quoad hoc, minorem sim-

plicitatem, ac habet ipse Deus; qui non realiter, sed tantùm ex natura rei in sententia Scoti distinguitur à suis potentijs, & attributis; atqui hoc est apertè falsum: ergo etiam non minus est falsum, potentias animę solùm ex natura rei distingui ab ipsa anima.

18. Tertia, & vera opinio docet, potentias animę realiter ab ipsa anima distingui. Ita tenent Thomistę omnes, & ex alijs Conimbricenses lib. 1. de anim. cap. 3. q. 4. Toletus q. 9. Suarez lib. 1. cap. 1. Fonseca 5. met. cap. 5. quęst. 1. sect. 5. & cęteri Philosophi communiter. Probatur ratione; quia in creatis potentia, quę ordinatur ad esse, distinguitur realiter ab ea, quę ordinatur ad operari: sed anima ordinatur ad esse, potentia verò operatiua ad operari: ergo anima, & eius potentiæ operatiuę realiter distinguuntur. Prob. maior, potentię creatę distinguuntur realiter penes actus adequatos: sed in creatis esse, & operari sunt duo actus adequati: ergo in creatis potentia, quę ordinatur ad esse, distinguitur realiter ab ea, quę ordinatur ad operari.

19. Ob. 1. Anima est principium operationis vitalis; definitur enim esse id, *quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*: ergo anima non distinguitur realiter à suis potentijs vitalibus. ❡ Respond. potentiam operatiuam non esse principiũ operandi qualecumque, sed proximum, & immediatum: anima autem solùm radicaliter habet esse principium operationis vitalis, vt particula *primò* in eius definitione posita, significat.

20. Ob. 2. Si anima rationalis realiter distingueretur à suis potentijs operatiuis, non esset subiectum capax beatitudinis. Et probatur, quia batitudo nostra consistit vel in actu visionis, vel in actu dilectionis, vel in vtroque simul: sed supposita distinctione reali animæ à suis potentijs operatiuis, talis visio vel dilectio nõ reciperetur in anima, sed in intellectu, vel voluntate, quę realiter ab anima distinguuntur: ergo non ipsa anima, sed suus intellectus, vel voluntas esset subiectum capax beatitudinis. ❡ Respond. negando sequelam, nam licèt subiectum proximũ, & immediatum nostrę beatitudinis non sit anima, sed intellectus, vel voluntas: nihilominus anima, non autem intellectus, vel voluntas, dicitur beata: eo quòd operationes non sunt propter potentias proximas, à quibus eliciuntur, sed propter substantiam, cui potentię proximæ inseruiunt.

21. Ob. 3. Si potentię distinguerentur realiter ab anima, sequeretur posse dari casum, in quo anima simul esset fęlix, & misera: at qui hæc est manifesta implicantia: ergo &c. Probatur sequela maioris; nam supposita reali distinctione posset Deus separare ab anima vnius viatoris intellectum, & voluntatem, & in Cœlo ponere intellectum, vbi Deum videret, voluntatem verò in inferno, vbi Deum odio haberet: at qui in hoc casu anima illa esset simul fœlix, & misera, vt patet: ergo &c. ❡ Respond. negando sequelam maioris, & ad probationem dico, quòd in casu posito neque intellectus in Cœlo videret diuinam essentiam, neque voluntas in inferno Deum odio haberet, eo quòd non essent coniunctæ cum anima: de ratione n. operationis vitalis est, quòd procedat

dat à principio vitę coniuncto. Rursus, etiam si concederemus, quòd potentiæ illæ vt separatę suas operationes exercere possint, non sequitur, voluntatem in inferno Deum odio haberet, supposito quòd intellectus in Cœlo intueretur diuinam essentiam: & ratio huius est, quia voluntas sequitur ductum intellectus: vnde in casu posito vel voluntas nullam exerceret operationem, vel si aliquam eliceret, esset dilectio erga Deum, non autem odium.

DVBIVM QVINTVM

Quomodo potentiæ vitales dimanent ab anima? & quodnam sit earum subiectum?

22. Prima conclusio. Potentiæ vitales non dimanant ab anima per aliquam actionem, realiter distinctam ab actione generantis, per quam ipsa anima generatur. Ita Capreolus, Caietanus, Ferrara, Iauellus, Soncinas, Sotus, Bannez, Zumel, & Nazarius, quos citant, & sequuntur Complutenses lib. 2 physic disp. 10. q. 7. num. 95. Probatur quia si prædictæ potentiæ dimanarent ab anima per actionem distinctam ab actione generantis, immediatè elicitam ab ipsamet anima, anima saltem respectu primæ potentiæ, esset immediatè operatiua, nam cum sit prima, non potest anima respectu illius mediante aliqua potentia accidentali operari: sed anima, cum sit substantia creata, non potest esse immediatè operatiua, vt lib. 2. physic. ostensum est: ergo potentiæ vitales non dimanant ab anima per actionem realiter distinctam ab actione generantis.

23. Secunda conclusio, Eadem actio, quæ primariò terminatur ad esse animæ, terminatur secundariò ad esse potentiarum illius. Ita Auctores citati pro præcedenti conclusione. Probatur, quia potentiæ vitales sunt complementum primi facti esse: nec generatio viuentis censetur completa, nisi vsque dum potentię illæ sint productæ: ergo eadem actio generatiua, quæ primariò terminatur ad esse animæ, terminatur secundariò ad eius potentias operatiuas.

24. Tertia conclusio. Potentiæ organicę subiectantur in coniuncto ex anima, & corpore, vt in subiecto adæquato. Ita Aristoteles lib. 2. de somno, & vigilia, D. Th. 1. p. q. 77. art. 5. & communiter eius discipuli. Probatur, quia potentiæ organicæ sunt materiales, & corporeæ: ergo subiectantur in eo subiecto, in quo subiectantur accidentia materialia, & corporea: atqui hoc est totum compositum ex materia, & forma, vt suo loco dicemus: ergo subiectum potentiarum organicarum erit coniunctum ex anima, & corpore.

25. Quarta conclusio. Potentiæ non organicę subiectantur immediatè in sola anima rationali, cuius sunt potentiæ. Est communis. Et probatur, quia potentiæ non organicæ sunt purè spirituales: ergo subiectari debent in subiecto purè spirituali, vt inter illa detur proportio; atqui hoc est sola anima rationalis, non autem coniunctum ex anima, & corpore; ergo sola anima rationalis erit subiectum immediatum illorũ. Adde, quòd prædictæ potentiæ institutæ sunt à natura ad hoc, vt etiam animæ in statu separationis deseruiant: constat autem quòd si subiectarentur in toto composito, perirent eo pereunte, & ita nequirent

rent animæ in statu separationis deseruire.

26. Ob. 1. Contra tertiam conclusionem. Accidens corporeum debet recipi in subiecto corporeo, vt seruetur proportio inter accidens,& eius subiectum:ergo cum in homine anima sit spiritualis, potentiæ organicæ recipientur in solo corpore, non autem in coniuncto ex anima, & corpore. ¶ Respondetur negando consequentiam; anima enim rationalis licèt sit entitatiuè spiritualis, est tamen forma corporis; ac proindè nulla est improportio, vt sit subiectũ *quo* partiale suarum potentiarum organicarum.

27. Ob. 2. Contra eandem conclusionem. Potentiæ vitales debent esse in eo subiecto, à quo tanquam à principio dimanant; alioquin non essent vitales, de quarum ratione est, quòd sint coniunctæ cum primo,& radicali principio vitæ: sed omnes potentiæ vitales oriuntur ab anima, tanquam à primo fonte totius vitæ: ergo omnes erunt in illa vt in subiecto ¶ Respond. quòd licèt potentię vitales organicæ oriantur ab anima tanquam à principio *quo*, non tamen *quod*, sic enim oriuntur à toto composito viuente, ideoque non in anima, sed in coniuncto ex anima, & corpore, vt in subiecto *quod* subiectari debent. Sicuti è contra, quia potentię vitales spirituales oriuntur ab anima rationali, vt à principio *quod*, ideò subiectantur in illa, vt in subiecto *quod*.

28. Ob. 3. Contra quartam conclusionem. Illud est proprium subiectum alicuius potentiæ, quod per eam operari dicitur: sed homo potiùs, quàm anima, dicitur intelligere, & velle; vnde D. Th. 1. p. q. 75. art. 2. ad 2. ait: *Potest dici, quòd anima intelligit, sicut oculus videt, sed magis propriè dicitur, quòd homo intelligat per animam*: ergo intellectus & voluntas potius subiectantur in homine, quàm in anima.

29. Respondetur notando prius ex Caietano 1. part. q. 77. art. 5. dupliciter posse aliquid esse principiũ *quod* alicuius operationis, vel ita vt ratione sui, & non per communicationem ab alio, tanquam à principio formali realiter à se distincto hoc habeat, & nihilominus sit simul forma, & ratio, quâ aliud easdem operationes eliciat vt *quod*; Vel ita vt ratione alicuius principij formalis in illo inclusi, & ab eodem realiter distincto, operantisque vt *quod*, hoc ipsum participet.

30. Inter hos autem duos modos eliciendi operationes per modum principij *quod*, duplex intercedit discrimen. Primum est, quòd id, quod priori modo illas elicit, habet per se primò, & immediatè esse principium *quod* earundem, non verò quod posteriori modo est causa earum, & ita illi habent inhærere potentiæ elicitiuę prędictarum operationum, non verò isti. Secundum est, quòd id, cui priori modo conuenit esse principium *quod*, potest etiam competere esse subsistens vt *quod*, non tamen esse suppositum, quia ád subsistendum, vt *quod* non requiritur, vt subsistens habeat naturam integram & completam, secus tamen ad hoc vt sit suppositũ. Cum igitur D. Th. asserit, potius hominem, quàm animam, intelligere vt *quod*, loquitur de principio *quod* posteriori modo, & per modum suppositi, non verò de principio *quod* priori modo, secundùm quam rationem potius anima,

ma, quàm totus homo intelligit, & vult. Vnde potentiæ non organicę, scilicet intellectus, & voluntas, debent animæ per se primò inesse, homini autem non nisi secundariò, & mediatè, quatenus includit animam rationalem, & formam sui, cui per se primò insunt, quippè quæ per se primò per illa operatur.

DISPVTATIO IV.

De Anima vegetatiua.

EA, quæ ad naturam, & quidditatem animæ vegetatiuæ pertinent, ex his, quæ de anima in communi dicta sunt, facilè colligi possunt; ideoque de illius operationibus, & facultatibus dumtaxat in hac disputatione agemus.

DVBIVM PRIMVM

Quot sint operationes Animæ vegetatiuæ?

1. PRO decisione dubij sciendum est, viuentia esse in triplici differentia: quædam adeo perfecta, vt nunquam ex putrefactione, sed virtute seminis efformentur, qualia sunt homo, & equus. Quædam verò ob sui imperfectionem semper ex putri materia procreantur, cuius generis sunt anguillæ. Et tandem alia sunt veluti media, quæ modo per generationē, modo ex putrefactione fiunt, vt Mures, Vespæ, & alia, quorum meminit Aristoteles 7. physic. cap. 7.

2. Quæres, an in animalibus huius tertiæ differentiæ, ea quę ex semine procreantur, sint diuersæ speciei ab ijs, quę ex putri materia efformātur? Respondeo negatiuè, quia habent easdem naturę proprietates, eundem motum, eandem figuram, & eundem colorem: quæ omnia satis indicant esse eiusdem speciei. Nec obstat diuersus modus productionis illorum; sicut si homo ex nihilo fieret à Deo, eiusdem esset rationis cùm cæteris: & certè Adam licèt non ex semine, sed ex terra formatus fuerit, non fuit diuersæ naturæ à suis posteris.

3. His positis dicendum est, quòd si loquamur de operationibus omni, & soli animæ vegetatiuæ generalissimè sumptæ conuenientibus, non est necesse plures alias præter nutritionem, & augmentationem enumerare; si verò de his, quæ oriuntur ab eadem anima, quatenus determinatur ad animas primæ, & tertiæ differentię, tunc erunt tres, nimirum, nutritio, augmentatio, & generatio. Assertionem hanc quoad vtramque partem docent communiter Philosophi. Et quidem quoad priorem satis constat ex jis, quæ adnotauimus, quandoquidem anima vegetatiua communissimè sumpta non habet tantam perfectionem vt possit generare sibi simile: cumque ex alio capite videmus, omne viuens nutriri, & augeri, fit inde, non esse necessarium, alias illius operationes præter iam dictas enumerare, nam vltra enumeratas solùm generationem haberę poterat.

4. Quoad secundam verò partem probatur; Nam obiectum animæ vegetatiuæ est corpus viuens huiusmodi vita: sed ad hoc corpus prædictæ tres operationes requiruntur, & sufficiunt: ergo prædictæ tres sunt operationes illius. *Minor quoad primam partem probatur*; nam ad hoc corpus in primis necessaria est vna operatio, per quam acquirat esse, & hæc est generatio: & alia, per quam con-

conseruetur in esse, & hæc est nutritio: & alia, per quam ad debitam quantitatem, requisitam ad illius operationes rectè exercendas, perducatur, & hæc est augmentatio. *Quoad secundam verò, idest, quòd hę operationes sufficiant, liquet*, quoniã vt intuenti constat, nullum aliud operationis genus desideratur pręter iam enumeratas.

5. Queres; quęnam ex his operationibus sit connaturalior viuenti anima vegetatiua? Respondeo cum communi sententia, generationem esse ei magis connaturalem, quàm nutritionem, & augmentationem. Et probatur quia generatio est productio substantię totalis, requirens quòd generans sit in statu perfecto: nutritio verò est partialis aggeneratio fitque à viuente etiam imperfecto, quod idem de augmentatione, quę est productio partialis, & maioris quantitatis, dicendum est: ergo generatio est perfectior operatio, quã nutritio, & augmentatio: ac proinde erit opus connaturalissimum viuenti. Patet hæc vltima consequentia; nam quo operationes alicuius naturæ sunt perfectiores, eo sunt magis illi connaturales, & ideo homini est magis connaturale intelligere, quàm sentire, ex eo quòd intelligere est perfectior illius operatio.

6. Probatur secundò, quia cum naturale opponatur violento, & violentum sit illud, quod est contra inclinationem naturę, illud erit magis connaturale, quod erit magis iuxta prædictam inclinationem: sed facta collatione inter operationes viuentis vita vegetatiua, viuens magis inclinat in generationem, quàm in alias duas operationes: ergo generatio erit ei connaturalior operatio quàm nutritio vel augmẽtatio. Prob. minor, vnumquodque maximè appetit perpetuitatem sui esse: hanc autem consequuntur viuentia media generatione, non verò media nutritione, & augmentatione proprij indiuidui: ergo.

7. Probatur tertiò, quia in qualibet creatura maior inclinatio est ad bonum commune, quàm ad bonum particulare; & sic videmus quòd bonus ciuis plus diligit bonum totius ciuitatis, quàm proprium, & propter illud sępe hoc periculo exponit: similiter quòd quælibet pars animalis patitur libenter vulnerari, vt seruetur vita totius. Sed generatio viuentis ordinatur ad bonum commune speciei, nutritio verò, & augmentatio ad bonum proprium indiuidui: ergo viuens magis inclinat ad generationem, quàm ad nutritionẽ, & augmentationem.

8. Dices: Tam generatio, quàm nutritio respicit bonum commune speciei: ergo natura non magis propendit in vnam, quàm in alteram. Probatur antecedens; bonum *speciei* conseruatur tum per productionem indiuidui intra ipsam speciem, tum per conseruationem indiuidui producti intra eandem speciem: ergo cum indiuiduum producatur per generationem, & conseruetur per nutritionem, vtraque ista operatio respiciet bonum commune speciei.

9. Confirmatur: Bonum commune solùm præfertur particulari, quãdo nõ possunt simul cohærere, quòd si in particulari bono includatur æquale bonum commune, tunc magis appetit natura illud bonum particulare, quàm aliud commune: & sic videmus, quòd lapis si vacuum reple-

replere possit descendendo, quàm ascendendo, potiùs inclinabilitur ad illud replendum per descensum, quã per ascensum. Sed per actum nutritionis acquiritur bonum commune, scilicèt conseruatio speciei, & insuper bonum proprium ipsius indiuidui, per actum verò generationis solùm acquiritur cōseruatio speciei, non verò proprij indiuidui generantis: ergo natura potiùs inclinabitur in nutritionem, quàm in generationem.

10. Resp breuiter tùm ad obiectionem, tum ad confirmationem, quòd nutritio per se primò & formaliter ordinata est à natura ad cōseruationem proprij indiuidui tantùm, quamuis inde sequatur materialiter, & quasi secundariò conseruatio speciei: Secus verò generatio; Et ita non mirum quòd natura ardentius feratur in generationem, quã in nutritionem. Adde quòd species cęteris paribus plus conseruatur per generationem, quàm per nutritionem, nam per decem generationes conseruatur species in decem indiuiduis, non autem per totidem nutritiones, vt patet.

11. Dices secundò, Animalia sępe pro conseruatione vitę, & sanitatis, desistunt ab actu generationis: ergo fortiùs inclinantur in conseruationē proprię vitæ, quę fit per nutrionem, quàm in generationem. ¶ Respond. negando consequentiam, quoniam id non prouenit ex eo, quòd fortiùs inclinentur in conseruationem proprij indiuidui, quàm speciei: sed ex eo quòd possunt tam proprium, & indiuiduale esse, quàm esse speciei conseruare, absque eo quòd tunc generent: & ideo pro tunc à generatione desistunt, vt alio tempore commodius illi vacare queant.

12. Dices tertiò, Id, quod nociuum est rei, non potest ei esse connaturale: alioquin res connaturaliter in proprium damnum inclinarentur: sed generare est nociuum viuētibus, teste Aristotele lib. de longitudine vitæ cap. 5. Ergo. ¶ Respond. negando maiorem; manus enim naturaliter cum sui detrimento exponit se ictui, vt saluet vitam totius; non ergo mirum, quòd generans cum sui damno naturaliter tendat in generationem, per quam bonum speciei conseruatur. Adde quòd vt Medici ex Galeno referunt; Venus est causa salutis, cum opportunè inest, & mediocriter exercetur. Si verò aliquando nocet, est quia nimium ei vacatur. Eo sanè proportionali modo, quo cibus ex se salutiferus est, & tamen si nimium manducetur, solet esse nociuus.

DVBIVM SECVNDVM

An in viuente his tribus operationibus correspondeat vna tantùm potentia, vel tres realiter, essentialiter distinctæ?

13. IN titulo huius dubij supponimus, ab anima vegetatiua dimanare potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Difficultas est, an istæ sint tres potenię realiter, & essentialiter distinctę, an verò tantùm vna. Hoc secundum asserunt Durandus in 1. distinct. 3. quæst. 2 Conimbricenses libr. 2. de anim. cap. 4. quæst. vnic. Ruuius tract. de potentijs animæ vegetatiuæ quæst. 2. & alij. Sed contrariū tenēdū est, nēpè potētiam nutritiuā, augmētatiuā, & generatiuā non esse vnā, sed tres potētias reali-

conseruetur in esse, & hæc est nutritio: & alia, per quam ad debitam quantitatem, requisitam ad illius operationes rectè exercendas, perducatur, & hæc est augmentatio. *Quoad secundam verò, idest, quòd hę operationes sufficiant, liquet*, quoniã vt intuenti constat, nullum aliud operationis genus desideratur pręter iam enumeratas.

5. Queres; quęnam ex his operationibus sit connaturalior viuenti anima vegetatiua? Respondeo cum communi sententia, generationem esse ei magis connaturalem, quàm nutritionem, & augmentationem. Et probatur quia generatio est productio substantię totalis, requirens quòd generans sit in statu perfecto: nutritio verò est partialis aggeneratio fitque à viuente etiam imperfecto, quod idem de augmentatione, quę est productio partialis, & maioris quantitatis, dicendum est: ergo generatio est perfectior operatio, quã nutritio, & augmentatio: ac proinde erit opus connaturalissimum viuenti. Patet hæc vltima consequentia; nam quo operationes alicuius naturæ sunt perfectiores, eo sunt magis illi connaturales, & ideo homini est magis connaturale intelligere, quàm sentire, ex eo quòd intelligere est perfectior illius operatio.

6. Probatur secundò, quia cum naturale opponatur violento, & violentum sit illud, quod est contra inclinationem naturę, illud erit magis connaturale, quod erit magis iuxta prædictam inclinationem: sed facta collatione inter operationes viuentis vita vegetatiua, viuens magis inclinat in generationem, quàm in alias duas operationes: ergo generatio erit ei connaturalior operatio quàm nutritio vel augmẽtatio. Prob. minor, vnumquodque maximè appetit perpetuitatem sui esse: hanc autem consequuntur viuentia media generatione, non verò media nutritione, & augmentatione proprij indiuidui: ergo.

7. Probatur tertiò, quia in qualibet creatura maior inclinatio est ad bonum commune, quàm ad bonum particulare; & sic videmus quòd bonus ciuis plus diligit bonum totius ciuitatis, quàm proprium, & propter illud sępe hoc periculo exponit: similiter quòd quælibet pars animalis patitur libenter vulnerari, vt seruetur vita totius. Sed generatio viuentis ordinatur ad bonum commune speciei, nutritio verò, & augmentatio ad bonum proprium indiuidui: ergo viuens magis inclinat ad generationem, quàm ad nutritionẽ, & augmentationem.

8. Dices: Tam generatio, quàm nutritio respicit bonum commune speciei: ergo natura non magis propendit in vnam, quàm in alteram. Probatur antecedens; bonum speciei conseruatur tum per productionem indiuidui intra ipsam speciem, tum per conseruationem indiuidui producti intra eandem speciem: ergo cum indiuiduum producatur per generationem, & conseruetur per nutritionem, vtraque ista operatio respiciet bonum commune speciei.

9. Confirmatur: Bonum commune solùm præfertur particulari, quãdo nõ possunt simul cohærere, quòd si in particulari bono includatur æquale bonum commune, tunc magis appetit natura illud bonum particulare, quàm aliud commune: & sic videmus, quòd lapis si vacuum reple-

replere possit descendendo, quàm ascendendo, potiùs inclinabilitur ad illud replendum per descensum, quã per ascensum. Sed per actum nutritionis acquiritur bonum commune, scilicèt conseruatio speciei, & insuper bonum proprium ipsius indiuidui, per actum verò generationis solùm acquiritur cõseruatio speciei, non verò proprij indiuidui generantis: ergo natura potiùs inclinabitur in nutritionem, quàm in generationem.

10. Resp breuiter tùm ad obiectionem, tum ad confirmationem, quòd nutritio per se primò & formaliter ordinata est à natura ad cõseruationem proprij indiuidui tantùm, quamuis inde sequatur materialiter, & quasi secundariò conseruatio speciei: Secus verò generatio: Et ita non mirum quòd natura ardentius feratur in generationem, quã in nutritionem. Adde quòd species ceteris paribus plus conseruatur per generationem, quàm per nutritionem, nam per decem generationes conseruatur species in decem indiuiduis, non autem per totidem nutritiones, vt patet.

11. Dices secundò, Animalia sepe pro conseruatione vite, & sanitatis, desistunt ab actu generationis: ergo fortiùs inclinantur in conseruationẽ proprię vitæ, quę fit per nutrionem, quàm in generationem. ¶ Respond. negando consequentiam, quoniam id non prouenit ex eo, quòd fortiùs inclinentur in conseruationem proprij indiuidui, quàm speciei: sed ex eo quòd possunt tam proprium, & indiuiduale esse, quàm esse speciei conseruare, absque eo quòd tunc generent: & ideo pro tunc à generatione desistunt, vt alio tempore commodius illi vacare queant.

12 Dices tertiò, Id, quod nociuum est rei, non potest ei esse connaturale: alioquin res connaturaliter in proprium damnum inclinarentur: sed generare est nociuum viuẽtibus, teste Aristotele lib. de longitudine vitæ cap. 5. Ergo. ¶ Respond. negando maiorem; manus enim naturaliter cum sui detrimento exponit se ictui, vt saluet vitam totius; non ergo mirum, quòd generans cum sui damno naturaliter tendat in generationem, per quam bonum speciei conseruatur. Adde quòd vt Medici ex Galeno referunt, Venus est causa salutis, cum opportunè inest, & mediocriter exercetur. Si verò aliquando nocet, est quia nimium ei vacatur. Eo sanè proportionali modo, quo cibus ex se saluferus est, & tamen si nimium manducetur, solet esse nociuus.

DVBIVM SECVNDVM.

An in viuente his tribus operationibus correspondeat vna tantùm potentia, vel tres realiter, essentialiter distinctæ?

13. IN titulo huius dubij supponimus, ab anima vegetatiua dimanare potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Difficultas est, an istæ sint tres potenię realiter, & essentialiter distinctę, an verò tantùm vna. Hoc secundum asserunt Durandus in 1. distinct. 3. quæst. 2 Conimbricenses libr. 2. de anim. cap. 4. quæst. vnic. Ruuius tract. de potentijs animæ vegetatiuæ quæst. 2. & alij. Sed contrariũ tenedũ est, nẽpè potẽtiam nutritiuã, augmẽtatiuã, & generatiuã non esse vnã, sed tres potẽtias reali-

alitèr & essentialitèr distinctas. Ità expressè docet D. Th. 1. p. q. 78 art. 2. in corpore, vbi sic ait: *Respondeo dicendum, quòd tres sunt potentiæ vegetatiuæ partis; vegetatiuum enim vt dictum est, habet pro obiecto ipsū corpus viuens per animam, ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria: vna quidem per quam esse acquirat, & ad hoc ordinatur potentia generatiua: alia verò per quam corpus viuum acquirat debitamquantitatem, & ad hoc ordinatur vis augmentatiua: alia verò per quam corpus saluetur, & in esse, & in quantitate debita, & ad hoc ordinatur vis nutritiua.* Et in fine subdit: *intèr istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt dicitur 2. de anima. Est enim rei iam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est: generatiuæ autem deseruiunt & augmentatiua & nutritiua: augmentatiuæ verò nutritiua.*

14. Ratio fundamentalis huius sententiæ est: quia potentiæ sumunt suam distinctionem realem & specificam ab actibus adæquatis realiter, & obiectis formaliter distinctis: sed potentia generatiua, augmentiua, & nutritiua habent distinctos actus adæquatos, & distincta formaliter obiecta: ergo sunt potentiæ realiter essentialiter distinctæ. *Minor quoad primam partem liquet*, nàm certum est, nutritionem distingui realiter ab augmentatione, & vtramque à generatione, quandoquidem multoties nutritur viuens, & non augetur; & multoties nutritur & augetur, non tamen generat. *Quoad secundam verò partem scilicet quòd habeant distincta obiecta formalia, probatur*; nam generatio habet pro obiecto formali substantiam totalē totius viuentis: nutritio substantiā partialem: & augmentatio maiorem quantitatem.

15. Dices: actus isti sunt inter se subordinati; nutritio enim subordinatur augmento, augmentum verò generationi, eo quòd viuens nutritur vt augeatur, & augetur vt possit generare sibi simile: ergo non diuersos, sed vnum & eundem actum adæquatum constituunt. ¶ Resp. negando consequentiam; nam quòd vnus actus subordinetur alteri, & fini illius, non arguit illos constituere vnum & eundem actum adæquatum vnius potentiæ, aut virtutis operatiuæ: actus enim sensuum externorum subordinantur actibus sensuum internorum, & hi tàm ad inuicem, quàm respectu actuum intellectus habent suam subordinationem, & nihilominus pertinent ad distinctas potentias: & virtus humilitatis subordinatur virtuti charitatis, & tamen sunt distinctæ virtutes: ergo ex eo, quòd nutritio subordinetur augmento, & vtraque ista operatio generationi, non rectè colligitur, non esse actus adæquatos distinctarum potentiarum, respicientium distincta formaliter obiecta.

16. Quæres; in quonam subiecto prædictę potētię subiectentur? Omnes conueniunt, potentiam nutritiuam, & potentiam augmentatiuam esse dispersas per omnes partes corporis viuentis, eo quòd omnes prędictę partes nutriuntur, & augentur. Dissidium est de potentia generatiua; qui enim tenent, potentiam generatiuam non esse distinctam à potentia nutritiua & augmentatiua, consequenter dicunt, etiam potentiam generatiuam esse spar-

ſparſam per totum corpus,licèt hoc quod eſt efficere virtutem ſeminalem non ei conueniat in quauis parte, ſed tantùm prout reſidet in membro genitali,quia hoc tàm propter ſitum, quàm propter cõcurſum aliarum qualitatū, eſt valdè accommodatum ad talem effectum.

17. Hæc tamen opinio non placet; quia repugnat aliquod principium proximum operandi collocari à natura in aliquo tanquam in ſubiecto, vbi nunquam dari poſſunt omnia requiſita ad illius operationem: ergo vel dicendum eſt, potentiam generatiuam, quæ eſt principium proximum generandi, non eſſe diffuſam per totum corpus, vel quòd in quauis illius parte habeat omnia requiſita ad generandum. Antecedens probo; quia principiū proximum operandi eſt per ſe primò inſtitutum à natura in ordine ad eliciendam operationem: ergo repugnat ibi collocari, vbi non poſſunt naturaliter eſſe omnia, quæ ad talem operationem eliciendam deſiderantur.

18. Vera igitur ſententia docet, potentiam generatiuam ſubiectari in ea parte corporis, in qua ſemen efformatur, & conſeruatur, & à qua, quando fit genetatio, deciditur. Quia prædicta dumtaxat pars habet diſpoſitiones, & temperamentum requiſitum ad illam;qua ablata,quātumuis omnes aliæ corporis partes remaneant, generatio deficit: quod non contingit in ablatione cuiuſcūque alterius partis. Et confirmatur, nam ſemina arborum, & quarumcumque aliarum plantarum in determinata parte corporis efformantur, vt experientia conſtat: ergo idem de ſeminibus aliorum viuentium dicendum eſt; non enim videtur poſſe diſparitatis ratio quoad hoc aſſignari.

19. Dices: ex ſemine generatur fetus ſimilis generanti ſecundū omnia membra: ergo neceſsè eſt, quodlibet membrum aliquod ſeminis conferre, vt tot membra ſimilia membris generantis per generationem producantur. ¶ Reſp. negando conſequentiam, nam quòd fetus producatur ſimilis generanti quoad omnes ſuas partes, non prouenit ex eo, quòd ex omnibus illis ſemen decidatur: alioqui ſi generans careret aliquo membro v. g. manu, tunc proles deberet neceſſariò produci abſque eodem mēbro; quod tamen, vt experientia conſtat, eſt apertè falſum. Sed talis aſſimilatio oritur ex eo, quòd in ſemine reſidet virtus quædam deriuata à viuente,media potentia generatiua,de cuius ratione fit, quòd per modum inſtrumenti producat per ſe loquēdo prolem integram quoad omnia membra, quæ ad eius complementum in inſtanti generationis deſiderantur.

DVBIVM TERTIVM.

Quid ſit generatio viuentium?

20. Generatio viuentiū eſt *origo viuētis à principio viuēte coniuncto in ſimilitudinem naturæ*. Ita D. Th. 4. cont. gent. cap. 11. & 1. p. q. 27. art. 3 vbi communiter expoſitores Deſumiturque ex Ariſt. lib. 7. met. cap. 8 & lib. 8. & hìc cap. 12. & lib. 1. de generat. animal cap. 1. & 2.

21. Explicatur quoad ſingulas particulas. Dicitur in primis generatio *origo viuentis*, vt denotetur, quòd proprius terminus ipſius debet eſſe viuens. Per quod diſtinguitur à generatione nonuiuentium Nomi-

ne autem *viuentis* intelligitur viuẽs totale, itaut per hanc particulam distinguatur etiam generatio à nutritione, qua acquiritur noua pars substantiæ viuentis. Nam licèt talis pars sit viuens, nihilominus nutritio illa non habet rationem generationis viuentium simpliciter, & absolutè talis.

22. Dicitur secundò *à principio viuente*, vt denotetur, principium generationis debere esse viuens, alioqui generatio viuentium non esset actio vitalis. Vnde generatio Euę ex costa Adami, non habuit, vt fuit ab illo, rationem prędictę generationis, quia secundùm quòd fuit ab Adamo, non processit à viuente vt tali, nec in genere causæ efficientis, sed tantùm materialis, quatenus scilicet Adam materiam ministrauit.

23. Additur prętererea particula illa *coniuncto*, vt innuatur, quòd viuens genitum debet secundùm aliquid suî in initio generationis esse coniunctum cum suo principio, à quo procedit, & esse quodammodo de substantia generationis. Hoc optimè explicat D. Th. loc. cit. cont. gent. in animalibus generantibus sibi similia, quę non nisi medio semine generant: semen enim est factum ex sanguine defęcato animalis, vnde ipsum generans non imprimit suam formam in materia extranea, sed in materia intrinseca. Quod non petit generatio nonuiuentium: nam ignis v.g. nullam sui partem transfundit in ignem genitum, nec in ea imprimit suam formam.

24. Dices: natura non procedit à perfectioribus ad imperfectiora, sed è contra: ergo ad producendum semen non transit à sanguine defæcato; qui informatur anima totius, ad ipsum semen, quod ignobiliori forma actuatur. Respond quòd natura non efficeret hunc transitum sanguinis in semen, si ibi sistendum esset: sed talis transmutatio tendit in productionem alterius indiuidui, & conseruationem speciei.

25. Ponitur tandem in eadem definitione, *in similitudinem naturæ*; quia ad rationem generationis viuentium requiritur, vt viuens, quod per illam connaturaliter procedit, sit saltem eiusdem naturæ specificæ. Dixi *saltem eiusdem naturæ specificę* quia licèt hoc ad minùs requiratur non tamen obstat, quòd viuens procedat simile in eodem numero natura: vnde generatio Verbi Diuini est perfectissima generatio viuentis, & nihilominùs generans est omninò idem secundùm naturam numericã cum genito.

26. Dices, generatio Muli ex accessu Asini ad Equam, est generatio viuentis, & tamen mulus non est eiusdem naturæ cum generante. Resp. generationem istam muli esse monstruosã, & præter intentionem asini generantis, & ita non mirum, quòd non procedat in similitudinẽ naturæ. Addo, ad rationem generationis viuentium satis esse, quòd quantùm est ex vi virtutis generatiuæ residentis in generante, produceretur genitũ simile in natura ipsi generanti, quamuis per accidens oppositum contingat.

27. Definitio sic explicata facilè suadetur; quoniam nihil aliud apparet, quod requiratur ad rationem generationis viuentium, præter ea, quæ in hac definitione ponuntur: & hoc ipso, quòd omnia hæc inueniantur, eo ipso productio illa est generatio viuentiuum, vt in gene-

ra-

ratione hominis, & aliorum animalium cernere licet.

DISPVTATIO V.

De Anima sensitiua.

QVidquid ad perfectam animæ sensitiuæ notitiam desideratur, accipiendum est ex dicendis de eius potentijs, quæ sunt proxima principia sentiendi. Ideòque sit.

DVBIVM PRIMVM.

An potentiæ sensitiuæ indigeant speciebus impressis ad cognoscenda obiecta?

1. NEgant aliqui, quorum fundamentum est: quia potentiæ cognoscitiuæ non indigent speciebus, nisi vt ab eis determinentur ad cognoscenda hæc potiùs obiecta, quàm illa: sed sensus tàm externi, quàm interni absque speciebus sunt determinati ad cognitionem horum potiùs obiectorum, quàm illorum: ergo non indigent prædictis speciebus ad suas sensationes eliciendas. Prob. minor, nam cùm sensus externi non possint sentire nisi obiecta realiter sibi præsentia, fiet indè vt sufficienter determinentur per prædictam præsentiam, ad hoc vt hæc obiecta, scilicet præsentia, potiùs quàm illa, nimirùm absentia, percipiant. Sensus verò interni non possunt sentire, nisi mediante sensatione sensuum externorum: ergo eo ipso, quòd sensus externi sentiant hoc obiectum potiùs, quàm illud, manebunt interni determinati ad illud obiectum potiùs, quàm aliud percipiendum.

2. Communis tamen sententia docet, dari species potētijs cognoscitiuis impressas ab obiectis, sine quibus potentiæ istæ cognoscitiuæ in sensationem exire non possunt. Quę est expressa Aristotelis in hoc 2. lib. de anim. tex. 21. & tex. 134. alijsq; in locis. Et D. Th. lib 3. contr. gent. cap. 49 & 1. p. q. 55. art. 1. & q. 79. art. 2. & alibi sępè.

3. Prob. primò vna vel altera experientia; Prima est: nam cum à longè nobis adstantibus aliquis securi percutit lignum, tunc prius videtur percussio, quàm sonus indè resultans audiatur: cuius non potest alia reddi ratio, nisi quia species visibiles deueniunt ad visum in minima valdè duratione: species autem soni, quippè procedentes ab obiecto non ita perfecto & actiuo, non nisi in longiori tempore multiplicantur per medium, & ad auditum accedunt: nam si solùm requireretur præsentia obiecti visibilis & audibilis absque eo, quòd aliquid imprimerent in suas potentias, non esset cur priùs videretur percussio, quàm audiretur sonus; quia distantia & præsentia obiecti est eadem.

4. Secunda est: quia oculus non potest se videre, nec vnus homo hominem alium à tergo existentem; & tamen experimur, oculum vnius se videre in pupilla oculi alterius ante positi; quod non est intelligibile, nisi ex eo quòd oculus vnius producit aliquam similitudinē propriam in oculo alterius, quæ per reflexionem producit aliam in oculo eiusdem, & ita informatur oculus propria specie, & se videt: experimur etiam quòd. Posito ante speculo, videmus in eo hominem, vel aliud corpus à tergo positum; ratio huius est quia homo à tergo positus producit speciem sui vsque ad spe-

 culum,

culum, in quo eadem species producta reflectitur, & per reflexionem aliam similē imprimit oculis nostris.

5. Tertia est: quia aliqui homines per inspicilia concaua acutiùs vident, quàm per plana, huius nulla ratio reddi potest, nisi quia in centro illorum magis vniuntur species obiecti, & efficaciores redduntur in repræsentando, quia virtus vnita fortior fit se ipsa dispersa.

6. Et quarta est in sensibus internis; nam experientia constat, notitiam hominis semel visi, iam verò absentis, in memoria sensitiua permanere: hoc autē esset impossibile, nisi aliqua eius similitudo permaneret in memoria; quia obiectū istud nō est pręsēs, sed absens: Et sic sentiri nō potest, nisi per aliquod à se relictū, quod in memoria conseruatur. Ergo species potentijs cognoscitiuis impressæ ab obiectis, negari nō possūt.

7. Prob. secundò ratione. *Primò*, quia potentia cognoscitiua ex se est indifferens ad plures actus: ergo nō potest hunc potiùs, quàm alterum elicere, nisi determinetur ab obiecto: sed non potest obiectum per seipsum determinare potentiam, vt probant efficaciter experientiæ adductæ: ergo necessariò concedendum est, quòd per aliquam similitudinem sui ei impressam, eam determinet: ergo hæc est necessariò admittenda. *Secundò*, quia non potest fieri sensatio, nisi obiectum coniungatur potentię, quia ex obiecto & potentia paritur notitia: sed obiectum, puta lapis, non potest per se ipsum coniungi potētiæ, puta visui: ergo per aliquam sui similitudinem in eadem potentia productā ei cōiūgitur, & vnitur Et *tertiò*. Quia meliùs & perfectiùs rem aliquā tūc cognoscimus, cùm producimus speciem expressam, meliùs illam repręsentantem: ergo oportet, quòd potentia antequam producat prędictā speciem, & similitudinē expressam, sit similis in actu primo cum obiecto cognoscendo; alioqui nequiret prædictam similitudinem expressam producere, vt ex se constat: ergo cum ex se non sit similis obiectis, oportet vt recipiat similitudines illorum, seu species impressas, ratione quarum fit ex omni capite potens ad productionem speciei expressæ, & cognitionem eliciendam.

8. Ex dictis habes, sensum esse potentiam, non tamen purè passiuam, quia potentiæ concessæ sunt animæ à natura, vt per eas, tanquā per instrumenta operetur: instrumenta autem concurrunt effectiuè ad operationes. Sed ex parte passiuam, & ex parte actiuam, quia prius est obiectū vniri potentiæ per speciem, per quam in actu primo potentia determinatur ad operandum circa tale obiectum, quàm potentiā ipsam actuatam per speciem receptā in se ab obiecto, elicere sensationem tanquam principium effectiuū eius.

9. Sed quæres, an species effectiuè concurrat ad actum sensationis? Diximus potentiam sensitiuam informatā specie ab obiecto sibi impressa, elicere actum sensationis. An verò ad eundem actum sola potentia concurrat effectiuè, vel etiam species cum ea? non est determinatū sed cōtrouertitur apud auctores, nam Toletus lib. 2. de anim. q. 12. concl 2. tenet speciem non concurrere effectiuè ad actum sensationis, sed solam potentiam. Cuius fundamentum est: quia sentire est propria operatio animæ: ergo debet procedere

dere à principio animato media potentia eiusdem animæ: sed species est inanimatum quid, extrinsecè proueniens ab obiecto: ergo non potest esse principium vitalis operationis animæ.

10. Vera tamen sentētia est, quòd species concurrat effectiuè simul cū potentia ad sensationem; itaut ex vtraque fiat vnum totale principiū compositū ex duplici quasi partiali. Ita D. Th. 1 p q. 56 art. 1. & 1. 2 q. 51. artic. 5. Prob primò, ex illo communi axiomate ex D. Aug lib. 9. de Trinit. cap. vlt. desumpto; *ex obiecto & potentia paritur notitia.* Deindè ratione; quia potentia sensitiua ex se non est sufficienter constituta in actu primo ad operandum; cum ex se sit indifferens ad quamlibet operationem sui ordinis eliciendam, & ad nullam in particulari determinata; determinatur verò ab obiecto media specie sibi impressa eiusdē obiecti: ergo per eam constituitur sufficiens in actu primo ad operādum: sed virtus constituens, seu complens potentiam actiuam in actu primo actiuè concurrit simul cum ipsa potentia, quia principium actiuum, qua tale, non completur nisi per virtutem actiuam: ergo species simul cum potentia actiuè concurrit in operationem.

11. Confirmatur quia omnes rationes repertę in effectu correspondere debent alicui causę effectiuę: sed nec soli potentiæ, nec soli speciei possunt correspondere omnes rationes, quæ sunt in operatione; benè tamen vtrique: ergo vtraque effectiuè concurrit ad eam eliciendam, & non sola potentia. Probatur minor, nam licèt potentię correspondeat ratio vitalitatis, non potest tamen ei correspondere ratio specifica, quia sine specie non est determinata ad operationem circa tale obiectum, sed omnem prorsus determinationem ab eadem specie accipit: speciei verò non potest correspondere ratio vitalitatis, vt patet, benè tamen ratio specifica: ergo omnes rationes, quæ sunt in operatione, correspondent vtrisq; & non vni tantū.

12. Vnde ad contrarium argumentum respondetur, speciem habere tantùm vim ad eliciendam cognitionem quatenus est huius obiecti, & non alterius, non autem ad eliciendā cognitionem quatenus est vitalis; nam licèt cognitio sit quid vitale, aliūdè tamē sumitur eius specificatio, & vitalitas; quoniam illud prius cōpetit illi per ordinē ad obiectū; & hoc posterius per ordinē ad potētiā.

13. Quæres secundò, Quonam modo fiat vnum ex potentia, & specie in ordine ad sensationem? Resp. sub distinctione; nam species sensibilis duplicem considerationem habet, priorem quidem in ordine ad subiectum, quatenus accidens quoddā intentionale est, posteriorē verò in ordine ad obiectum, quod repræsentat, inquantum similitudo eius est. Si igitur species consideretur priori modo, non potest cum potentia efficere, nisi vnum accidentale, quod quasi tertium est ab vtraq; distinctum. Si verò consideretur posteriori modo sub ratione qua repræsentat potentiæ obiectum, quasi obiectum ipsum esse censetur, non quidem in esse rei, sed in esse repræsentati, & hoc modo sic vnitur potentiæ, vt non efficiatur ex vtraque aliquid tertium: sed ipsamet potentia quodam modo fiat obiectum, nā habens in se similitudinem eius,

quo-

quodammodo dicitur habere ipsum in se, cum repræsentatum habeat,& sub eadem ratione dicitur esse ipsũmet obiectum, sicut species ipsa vocatur obiectum vt repræsentatum. Et sic obiectum dicitur esse intra intellectum, vel sensum per suam similitudinem, ratione cuius intellectus ipse, vel sensus in actu primo fit res ipsa intelligibilis secundùm esse intentionale repræsentatum. Ita docet expreſſè D.Th. multis suę doctrinæ locis ex mente Aristotelis. Et in hoc sensu verum dixit Commentator, quod *ex potentia,& obiecto fit magis vnum, quàm ex materia & forma*; nam neque materia fit forma, nec forma fit materia, sed ex vtraque fit tertium à qualibet realiter distinctum; ex sensu verò & sensibili, aut ex intellectu, & intelligibili ita fit vnum, vt sensus ipse quodam modo fiat ipsummet sensibile, & intellectus fiat intelligibile, non quidem in esse rei, sed in esse intelligibili, aut intentionali, hoc est, secundùm modum repręsentationis intentionalis iam expositum, & in ordine ad operationem sensitiuam, aut intellectiuam, sensus factus sensibile, aut intellectus intelligibile, est vnũ principiũ per se sensationis aut intellectionis.

14 Quęres tertiò, An species sint formales similitudines obiectorum? quærimus in præsenti, an species per modum imaginis repręsentet obiectum, vel solùm quadam ratione virtuali, quia virtus, & quasi semen eiusdem obiecti sit; Et ita sicut semen est principiuum effectiuum generationis, vt instrumentum viuentis absque alia ratione formalis similitudinis; sic species sit principium effectiuum sensationis tanquã semen, ac virtus obiecti absque ratione formalis similitudinis.

15. Prima opinio solùm tribuit speciei hoc postremum, negans ei rationem formalis similitudinis repræsentatis obiectum per modum imaginis. Ita sentiunt Recentiores quamplurimi; quorum potissimum argumentum est: quia repræsentatio formalis obiecti solùm potest esse duplex, aut realis naturalis, aut realis intentionalis: sed nullo ex his modis potest species impressa ab obiecto ipsum repræsentare: ergo non est similitudo formalis eiusdem obiecti. Minorem probant, quia naturalis similitudo fundatur in vnitate naturæ: sed species intentionalis non est eiusdẽ naturæ cum obiecto: ergo non est similitudo formalis naturalis obiecti. Quòd verò nec sit similitudo formalis intentionalis, probant, quia formalis similitudo intentionalis obiecti informans potentiam, & repræsentans ei obiectũ, reddit ipsam formaliter cognoscentem; sed hoc non præstat species impressa, sed expressa: ergo species impressa non est similitudo formalis intentionalis obiecti. Maiorem probant, nam tunc potentia cognoscit actu obiectum, quando facta est ei actu, & formaliter similis, quia cognitio consistit in actuali assimilatione eius cum obiecto: sed si species impressa est similitudo formalis obiecti, eo ipso quòd actu inhæret potentię eam informans, constituet eam actu, & formalitet similem obiecto: ergo constituet eam formaliter cognoscentem.

16. Secunda,& vera opinio tenet, quòd species sit similitudo obiecti per modum imaginis ipsum repręsentatis. Sic sentit Aristoteles lib.2.

de

de anima tex. 21. & in lib. de memoria, & reminiscentia cap. 1. quibus locis ait, obiecta eodem modo imprimere proprias similitudines in potentijs, sicut sigillantes annulis imprimunt eorundem sigillorum figuras. Et imagines obiectorum vocat species intentionales: ergo sentit ea repręsentare per modum formalium similitudinum. Et eodem modo loquitur D. Th. pluribus alijs suę doctrinę locis, vocans speciem similitudinem obiecti vniétem ipsum cum potentia, præsertim 1. p. q. 12. art. 2. & lib. 2 cont. gent. cap. 98. & lib. 3. cap. 49. vnde hanc sententiam vt Aristotelis & D. Thomæ defendunt communiter Thomistæ.

17. Probatur ratione; quia euidens est, speciem esse virtutem obiecti impressam potentiæ ab illo: vel ergo est virtus eius per modum formalis similitudinis ipsum repręsentantis, vel tantùm per modum effectus ab eo procedentis, & ordinati vt sit principium sensationis, eo ferè modo, quo semen est virtus animalis ab eo decisa, & naturaliter ordinata ad generationem naturalem viuentis (non est enim alius modus excogitabilis:) si primum dederis, habeo intentum; Si solùm habet secundum, non potest esse principium effectiuum sensationis, quod sic ostendo; quia cognitio sensitiua fit per modum assimilationis; sed species non potest efficere assimilationem potentię cum obiecto, si solùm sit virtus, vel semen eiusdem obiecti per modum effectus, & non per modum formalis imaginis: ergo. Minorem probo, quia effectus causę ęquiuocę, cum sit alterius naturę ab ea, non procedit ei similis, vt patet de calore producto à sole: sed species procedit ab obiecto tanquam à causa ęquiuoca, & ideo est diuersę naturę ab eo: ergo non potest causare modum assimilationis potentię cum obiecto, patet consequentia, quia iste modus assimilationis causatur per hoc, quòd potentia recipiat in se similitudinem obiecti: si ergo species non est similitudo obiecti, non poterit actuando potentiam, eam assimilare obiecto. Cõfirmatur quia repugnat produci terminum similem, nisi à principio producenti simili: ergo si species impressa non est similitudo formalis obiecti, non potest assimilare potentiam obiecto, nec esse principium sensationis.

18. Ad argumentum autem in contrarium respondetur, non sufficere quamcumque similitudinem ad cognitionem, sed requiri perfectam: hęc autem est sola species expressa, quæ vt terminus cognitionis repręsentat rem vt actu cognitam. species verò impressa non est terminus cognitionis, sed principium, & ideo non repręsentat rem vt actu cognitam, sed vt cognoscibilem in actu primo.

19. Quęres tertiò. An omnes species sensibiles, quę multiplicantur in medio, atque in potentia, producantur immediatè ab obiecto, vel quędam medijs alijs? Prima opinio negat, vllam speciem producere alteram, sed omnes asserit, produci ab obiecto immediatè, & per se, tam in medio, quàm in potentia. Ita aliqui recentiores, quorum ratio est: quia species repręsentat rem, à qua procedit; & sicut ab ea accipit esse, sic accipit repręsentationem: sed omnes species repręsentant per se immediatè obiectum, & nulla repræsentat aliam: ergo nulla procedit

dit ab alia, sed omnes immediatè ab obiecto. Probatur minor, quia illud repręsentat species, quod per eam cognoscitur: sed per nullam cognoscitur altera, sed per omnes obiectũ, & nihil aliud: ergo omnes repręsentant solum obiectum, & nulla repręsentat alteram.

20. Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, quam colligo ex D. Th. q. 16. de verit, art. 1. ad 1. vbi asserit, quòd dum lapis videtur in speculo per reflexionem, species eius producitur in oculo, nõ immediatè ab ipso lapide, sed à speculo, hoc est, à specie eiusdem lapidis producta ab eodem lapide, & reflexa in speculo, quare sentit, speciem productam ab obiecto producere aliam per reflexionem in potentia, per quam videtur. Et prob. ex fine, ob quem producuntur species ab obiecto, videlicet vt per ipsas perueniat ad potentiam, & ei coniungatur, constat autem, dum maximè distat obiectum à potentia, non posse per se immediatè producere in ea speciem, sed solùm in medio sibi proximiori; quare nec potest coniungi potentię per species immediatè à se productas, vt igitur ei coniungatur, necesse est concedere, quòd species istæ productę ab obiecto, possint alias producere in potentia, & in partibus medij propinquioribus.

21 Ad argumentum primæ opinionis distinguenda est maior; *species repræsentat illud à quo procedit*, vt à causa principali, concedo; vt à causa instrumentali nego. Causa autem principalis productionis speciei, est obiectum, & species producens aliã speciem, producit illam in virtute obiecti, & ideo omnes species repręsentant obiectum, & vna non repręsentat aliam.

DVBIVM SECVNDVM

De obiecto sensuum externorum.

22. Obiectum sensuum externorum genericè sumptum est duplex: aliud per se, aliud per accidens Hoc posterius re vera non est obiectum, quia non sentitur à sensu, nec illum immutat, dicitur sensibile per accidens, solùm quia per accidens est coniunctum cum sensibili per se, quod habet immutare sensum.

23. Sensibile per se, diuiditur in proprium, & commune. Ratio huius diuisionis est: quia sensibile per se est illud, quod percipitur à sensu: inter autem sensibila, quæ percipiuntur à sensu, alia percipiuntur tantùm ab vno sensu, vt color tantùm à visu, & sonus ab auditu; alia ab omnibus, vel pluribus sensibus, vt motus, quies, numerus. Vnde nomine sensibilis communis in præsenti, vt vides, non venit conceptus aliquis communis abstractus à particularibus sensibilibus, quia nec ratio ista communis à sensu potest percipi, nec ab ea immutari, nam sensus singularia tantùm sensibilia perpicere possunt: sed illud sensibile, quod ab omnibus vel pluribus sensibus percipitur, ad distinctionem sensibilis proprij, quod ab vno sensu & ideo est specificatiuum illius, & ab eo per se primò respicitur, quia vnumquodque per se primò respicit suum specificatiuum.

24. Quinque sunt sensibilia cõmunia, nempe motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Prob. nam ista quinque habent per se immu-

immutare sensum, & sic quæ sunt alia reducuntur ad ista: ergo sensibile commune vt sic adæquatè diuiditur in prædicta quinque membra. Antecedens *quoad primam partem patet* quia huiusmodi sensibilia aliquam diuersitatem faciunt in immutatione sensus: alio enim modo immutatur sensus à magna superficie, & à parua, & alio ab albo quiescente, & ab albo se mouente; quod satis indicat prædicta sensibilia per se immutare sensum Quod quidem non habent sensibilia per accidens: vnde cum videtur album, non variatur visio ex eo quòd ibi sit, vel non sit substantia, quæ est subiectũ albedinis, vt contingit in visione hostiæ, quæ eadem est tam ante, quàm post consecrationem. *Quoad secundam verò probatur*, quia si quæ alia essent sensibilia communia, maximè sunt tempus, vnitas, situs, & distantia: atqui omnia ista reducuntur ad prædicta quinque, tempus enim reducitur ad motum, vnitas ad numerum, situs & distantia ad magnitudinem, ex eo quòd situs est modus quidam magnitudinis, & ex diuerso situ, diuersa etiam distintia oritur: ergo.

25. Dices: sensibilia communia sunt extra latitudinem obiecti adęquati sensus: ergo à sensu percipi non possunt. Prob. antecedens; obiectum adæquatum v.g auditus, est sonus, gustus est sapor, & sic de alijs: ergo sensibilia communia, quæ distinguuntur à sono, sapore, & alijs sensibilibus proprijs, sunt extra latitudinem obiecti adæquati sensus. ¶ Resp. negando antecedens, & ad probationem dico, quòd sensibilia communia percipiuntur à sensibus, quatenùs in esse sensibili sunt modi propriorum sensibilium; modi autem reducuntur ad res modificatas.

26. Quæres primò, vtrum sensibile commune habeat speciem propriam, vel per speciem sensibilis proprij immutet sensum? Prima opinio asserit, sensibile commune imprimere sensui propriam speciem se repræsentantem, distinctam à specie proprij sensibilis, & per illam percipi. Ita Scotus in 4. dist, 12. q. 3. Gandauus 2. lib. de anima q. 17. Ægidius in eodem libro ad textum 65. dub, 2. & alij; quorum ratio est: quia sensibile proprium & commune nõ solùm specie, sed genere differunt, vt albedo, & quantitas: ergo non possunt repræsentari per eandem speciem; quia rerum adeò diuersarũ non potest dari eadem imago; necesse est ergo per diuersas repræsentari sensui.

27. Hæc tamen opinio est falsa: nam id, quod per propriam speciẽ repræsentatur, habet per se primò immutare potentiam: sensibilia autem communia non possunt per se primò imutare sensus, quia non sunt eorum specificatiua: ergo non habent speciem propriam, per quam representententur.

28 Secunda & vera opinio tenet, sensibilia communia solùm modificare speciem sensibilis proprij, à qua sic modificata repræsentantur. Ita D.Th. hìc lect. 13 & 1. p. q. 17. art. 2. & q 78. art 3 ad 2. quem sequuntur eius discipuli, & recentiores ferè omnes. Ratio autem est: quia species sensibilis immittitur ab obiecto, vt est hìc & nunc conditionibus materialibus vestitum: ergo repræsentat illud vt est omnibus illis modificatum: ergo non est necessaria alia species ad ræpresentanda

sensibilia communia, sed sufficit species sensibilis proprij sic modificata. Confirmatur & explicatur; nã sensibilia propria non percipiuntur à sensibus separata à subiectis sensibilibus, sed in eis: non enim videtur albedo abstracta, sed in cõcreto: in concreto autem sunt coniuncta cum sensibilibus communibus: ergo percipi non possunt, nisi percipiantur coniuncta cum sensibilibus cõmunibus: sed non possunt percipi sic coniuncta, nisi sic repræsententur per speciem: ergo species repræsentat vtrumque.

29. Vnde ad argumentum contrarium negatur consequentia, nam licèt sensibile proprium, & commune sint diuersa, repræsentari tamen possunt per eandem speciem modificatam, quia species modificata duo habet, scilicet entitatem modificatam, & modum modificãtem; ratione entitatis repræsentat sensibile proprium, & ratione modi sensibile commune, & vtrumque per modum vnius obiecti modificati.

30 Quæres secundò, An sensibile positum supra sensum externum faciat sensationem? Respondeo, sensum externum non posse percipere obiectum sensibile sibi immediatè coniunctum, sed vt circa illud sensationem eliciat, necessarium esse aliquod medium, vel externum, quale est aer, aut aqua, vel quid simile, quod mediat inter visum, auditum, olfatum, & obiecta ipsorũ: vel internum, quale est cutis, aut caro, quæ mediat inter tactum, & gustum (qui subiectantur in neruo sub cute aut carne posito) & propria ipsorum sensibilia. Ratio autẽ est: quia sensus non potest percipere sensibile, nisi per speciem proportionatam ab ipso receptam: à sẽsibili autem immediatè coniuncto, vel non recipit vllam speciem, vel illa est nimis materialis, & improportionata, sicut & ipsum obiectum in se est nimis crassum, & materiale: ergo debet intercedere aliquod medium, in quo species suam crassitiem, quam habet, cum primum ab obiecto effluit, deponat.

31. Dices: Exalationes odoriferæ pertingunt vsque ad organum odoratus, & nihilominus vt experientia constat, sentiuntur. Similiter aliquę partes liquidæ cibi cum saliua permixtæ facilè per partes linguæ porosas (est enim membrum hoc valde porosum) vsque ad neruũ, in quo residet gustus, pertranseunt, & tamen ibi gustantur. Et deniquę si sensorium tactus pungas ferro, maximus absque dubio dolor inde resultabit. Ergo non quilibet sensus indiget medio ad sensationes suas eliciendas. ℣. Respondetur in his casibus omnia prædicta sensibilia non sentiri à sensibus secundùm eã partem, quam immediatè tangunt, sed secundùm remotam, & aliquantulum distantem, itavt quòd illa prior pars deseruiat vt medium ad depurandam crassitiem specierũ.

32. Quæres tertiò, Quomodo vehemens sensibile lædat sensum? vehemens sensibile lædere sensum, cõstat multis experientijs; videmus enim quòd si quis solem directè per aliquod tempus aspicere conetur, excæcatur: quòd aures ob vehemẽtem sonitum obsurdescũt: & quòd odoratus ob odores nimium acutos maximè offenditur. Difficultas est, quomodo talis læsio fiat.

33. Respondeo breuiter, læsionem

nem hanc non fieri per speciem intentionalem, hæc enim quantumuis intensa, habet esse diminutum, & longè imperfectius esse naturali: ergo non potest organi temperiem, quæ non constat qualitatibus intẽtionalibus, sed naturalibus ad mediocritatem redactis, lædere aut corrumpere. Sed per qualitatem naturalem, & physicam, eo quod potẽtia ad sentiendum obiectum excedens suam proportionem, nimis defatigatur, & ad maiorem conatum, quem adhibet, concurrit illic maior copia spirituum animalium, qui cum sint calidissimi, poterunt in organo maiorem calorem producere, quàm sit ille, quem secundùm suã naturalem temperiem organum petit: & consequenter illud lædere, vel corrumpere.

34. Quæres quartò, vtrum sensus circa sensibile proprium errare possit? Euidens est, sensum circa sensibile commune errare posse; constat enim multis experientijs, nam conspicimus solem quasi quiescentem, cũ tamen rapidissimo motu feratur: similiter stellas minores terra intuemur, cum tamen quælibet ex illis terra ipsa sit maior: & sic de cæteris. Difficultas est de sensibili proprio, quod est obiectum specificatiuum sensus.

35. Ad quam difficultatem breuiter respondeo, nonnunquam sensum, licèt rarò, circa proprium obiectum errare posse. Et probatur quia ad hoc vt sensus circa propriũ sensibile non erret, tres conditiones requiruntur, nempè debita obiecti distantia, idonea organi dispositio, & medium rectè dispositum: atqui nonnunquam deficit vna vel altera ex prædictis conditionibus: ergo nonnunquam sensus circa propriũ obiectum errare potest. Et sic ratione indebitæ distantiæ res è longinquo apparent nigræ, quamuis talis coloris non sint. Ratione indispositionis organi homini febricitanti, quia habet gustum humore colerico infectum, res dulces amaræ sapiunt. Et ratione medij alterati, qui per vitrum viride intuetur, omnia eodem colore affecta conspicit, licèt re vera viridia non sint.

DVBIVM TERTIVM.

De sensibus externis.

§. I.

De sensu visus.

36. Potentia visiua residet in pupilla oculi. Ratio est, quia pupilla oculi magna perspicuitate pollet, quod valde ad visionem conducit. Rursus est expers omnis coloris, vt possit omnes illos intueri: Et sic videtur habere omnia necessaria, vt sit organum aptum potentiæ visiuæ.

37. Dices: Pupilla oculi est nigri vel cerulei coloris: ergo non est apta vt sit organum potentiæ visiuæ. ❡ Resp. quòd licèt pupilla oculi appareat nigra, vel cerulea, re verà tamen nullius coloris est, sed hoc prouenit ex eo quòd cingitur tunica quadam vuea, quæ cum sit coloris subobscuri, & multoties nigri, fit inde, vt pupilla, quæ humor quidã crystallinus est, appereat etiam subobscura, vel nigra: sicut crystallus propè aliquod corpus coloratum existens, solet eiusdem coloris apparere.

38. Obiectum potentiæ visiuæ est lux & color; quia quidquid videtur, aut quatenùs luminosum,

aut quatenus coloratum videtur. Nomine autem lucis hic non intelligimus lucem vt distinctam à lumine, radio, & splendore: quia omnia ista secũdùm speciem idem sunt, quamuis diuersis nominibus appellentur: *lux* enim vocatur, quatenùs residet in proprio corpore lucido: *lumen* verò secundùm quod prædicta lux à corpore lucido diffunditur in medium; & si lumen hoc per lineam rectam producatur, nomine *radij* insignitur: sicut si in corpore, in quod directè diffunditur, reflectatur, dicitur *splendor*.

39. Quæres primò, An sit necessarium lumen in medio, vt obiectum visibile videatur? Est omninò certum, ad videndum colorem, necessarium esse medium illuminatum, quia experimur, in tenebris nullum videre colorem. Difficultas est de lumine, an videri possit etiam si medium non fuerit illuminatum? Et ratio dubitandi est, quia corpora lucida non solùm videntur in tenebris, sed quo magis obscurum est, ac tenebrosum medium, videntur meliùs: ergo ad eorum visionem lumen in medio non videtur necessarium. Et ita tenent aliqui.

40. Dicendum tamen est, ad quãlibet visionem, non solùm coloris, sed etiam luminis, necessarium esse medium illuminatum. Ita docet S. Th. hìc lect. 14. Ferrara q. 15 Soncinas, & alij. Prob. ratione; quia visibile non potest intentionaliter immutare medium, nisi sit dispositum: atqui medium disponitur per illuminationem, aliàs nulla esset ratio, quare medium non illuminatũ species intentionalis coloris non immutet: ergo ex parte medij necessarium est lumen, vt visibile, quodcumque sit, videatur. ¶ Ad rationem autem dubitandi respondeo, illa lucida, quæ noctu videntur, aliquantulùm, licèt imperfectè, illuminare medium, sed sufficienter vt videri possint.

41. Quæres secundò, An lumen non solùm sit necessarium ad videndum colorem ex parte medij, sed etiam ex parte obiecti? Resp. non requiri lumen ex parte obiecti, sed illuminato medio posse absque alio concursu luminis videri colorem. Et prob. quia color est per se visibilis, nam est obiectum proprium potentię visiuæ. ergo sola sua virtute potest producere speciem, per quam videatur, absque concursu luminis. *Et confirmatur*, quia color distinguitur à lumine: ergo non redditur visibilis per ipsum lumen. Prob. consequentia, quia propietas sequitur essentiam, à qua emanat: sed visibilitas est proprietas luminis, & etiam coloris: ergo visibilitas vnius est distincta à visibilitate alterius: ergo repugnat quòd color reddatur visibilis per lumen. *Confirmatur secundò*, quia si color redderetur visibilis per lumen, vel vtrũque videretur per vnam simplicem speciem, vel per duas partiales coniunctas & vnitas; ex quibus coalesceret vna: neutrum dici potest: ergo quodlibet habet suam propriam speciem distinctam, per quam videatur independenter ab altero. *Prob. minor quoad primam partem*; quia color & lumen sunt sensibilia propria realiter distincta: ergo quodlibet est per se primò repræsentabile per propriam speciem. *Prob eadem minor quoad secundam partem*; quia color est visibile cõpletũ: ergo per speciẽ cõpletam repręsentabile.

§ II.

§. II.

De sensu Auditus.

42. Sensus auditus residet vt in subiecto in substantia quadã aerea, quæ intra aures animalis reperitur. Ratio est: tum quia prædicta substantia, cum sit aerea, est valdè apta vt immutari possit intentionaliter à sono, qui est obiectum auditus: tum etiam, quia experientia constat, quòd si prædicta substantia dissipatur, statim destruitur sensus auditus; quòd signum euidens est, substantiam istam esse proprium, & connaturale organum illius.

43. Sonus, qui, vt experientia constat, est obiectum auditus, definitur. *Qualitas sensibilis, resultans ex forti percussione corporum sonororum, & resilientia medij.* Dicitur primò *qualitas sensibilis*, in quo conuenit cum alijs qualitatibus sensibilibus. Dicitur secundò *ex forti percussione resiltans*, per quam particulam significatur, tria debere ad sonum concurrere, scilicet percutiens, percussum, & medium, quod ex vi talis percussionis resilit. Additur tertiò *corporum sonororum* quia talis percussio debet esse inter corpora potentia sonum efficere. Ad quod duæ conditiones requiruntur. Vna, quòd sint solida, quia mollia cedunt percutienti. Altera, quòd vltra soliditatem, habeant etiam lenitatem, idest, superficiem vniformem, & regularem, itavt pars non superemineat alteri. Additur vltimò *ex resilientia medij*, quia ex vi percussionis corporum solidorum resilire debet medium, & fugam arripere, vt generetur sonus.

44. Quæres primò, Quodnam sit subiectum soni? Respondeo sonum secundùm suum esse reale non subiectari in corporibus se collidentibus, sed in medio ex vi talis collisionis resiliente. Ita Aristoteles lib. 2. de anima cap. 8. tex. 77. & 78. vbi D. Th. lect. 16. & communiter expositores. Ratio autem est: quia in eo subiecto subiectatur sonus, in quo fit fractio, & compressio, ex quibus resultat: sed quod frangitur, & comprimitur, est corpus intermediũ: ergo in corpore intermedio, nõ autem in corporibus se collidentibus subiectatur sonus. ¶ Confirmatur, quia sonus non potest subiectari in vno ex corporibus se collidentibus, cum non sit maior ratio, cur in hoc potius, quàm in illo subiectetur, si ad inuicem se percutiunt: neque in ambolus simul, quia cum sonus sit vnum accidens, nequit esse in duobus subiectis: ergo subiectatur in corpore intermedio, cum non remaneat aliud, in quo subiectari possit.

45. Quæres secundò, Quodnam sit corpus istud intermedium, in quo sonus secundùm suum esse reale subiectatur? Aliqui existimant esse omnia corpora fluida. Alij verò esse solum aerem. Quod videtur probabilius, nam experimur, pisces sub aquis natantes nullum causare sonum: è contra verò statim ac perueniunt ad superficiem aquæ, & aerem contingunt, causare illum: quod est signum, solum aerem, & non aquam, aut alia corpora ei similia, esse subiectum soni.

46. Dices: ideo non causari sonum ab his piscibus, quia sine sufficienti violentia aquas natando diuidunt.

uidunt, Sed contra: nam ingentes pisces magna vi, & valde fortiter aquas diuidunt, maximè cum contra impetum eiusdem aquæ natant; quæ violentia sufficeret ad causandum sonum, si aqua esset medium idoneum ad generationem illius.

47. Quæres tertiò, An etiam in solo aere species intentionales soni recipiantur? Respondeo species intentionales soni recipi non in solo aere, sed etiam in aqua, & alijs corporibus fluidis. Et probatur experientia de piscibus sub aquis existentibus, qui si foras strepitus fiat, fugiunt, quam fugam non arriperent, nisi strepitum illum audirent. Et Plinius lib. 10. naturalis historiæ cap. 70. refert, fuisse in piscinis Cesaris aliquos pisces adeo perfecti auditus, vt haberent propria nomina, & vocati venirent.

48. Quæres quartò, Vtrum ad perceptionem soni requiratur, quòd sonus secundùm suum esse reale pertingat ad organum auditus? Resp. negatiuè, tum quia pisces sub aquis existentes percipiunt sonum, & tamen ibi sonus secundùm suum esse reale non est. Tum etiam quia non videtur possibile, quòd Petro v.g. loquente, parua illa percussio aeris, adeo debili instrumento facta, habeat vim ad commouendum, & collidendum totum illum aerem, qui est in distantia illa, in qua vox ipsius auditur.

49. Quæres quintò, Vtrum sonus immittat speciem statim ac producitur? Respondeo affirmatiuè; quia omne agens naturale non impeditum, necessariò producit effectum suæ virtuti proportionatum: sed sonus est agens naturale respectu immissionis propriæ speciei ad auditum, sicut quodlibet obiectum respectu suæ potentiæ, & nullum adest impedimentum impediens talem immissionem: ergo statim ac producitur, immittit illam.

50 Quæres sextò, Quid sit Echon? Echon est regressio soni vel secundùm suum esse reale, vel secundùm suum esse intentionale. Fit duobus modis: vno modo per hoc, quòd aer motus, & deferens sonum, inuenit aliquod corpus, quod ei obsistat, & sit causa vt in contrarium flectatur: sicut iacto lapillo in aquam fiunt gyrationes orbiculares in illa, quæ gyrationes inuenientes corpus obsistens, in contrarium reuertuntur. Alio modo fit solùm medijs speciebus intentionalibus reflectentibus ab aliquo corpore obsistente vsque ad auditum, absque eo quòd sonus secundùm suum esse reale multiplicetur: sicuti visio reflexa fit medijs solis speciebus visibilibus reflectentibus ab speculo vsque ad visum, sine eo quòd obiectum visibile plurificetur.

51. Quæres vltimò, A quo prouenit, quòd in Echo solùm audiantur vltimæ syllabæ vocis? Resp. prouenire, quia pars aeris continens vltimas syllabas, est proximior auditui, & ita impedit perceptionem primarum syllabarum. Cuius signum est, quòd si paulatim proferantur syllabæ, tunc omnes audiuntur.

§. III.

De sensu odoratus.

52. Organum odoratus, cui ipse proximè inhæret, sunt duę mollities carneæ, quæ ab Anathomistis *processus mamillares* appellantur

tur, positæ supra os in radice nasi existentes: quæ cum sint caro quædam spongiosa, sunt valde aptæ vt odores percipiant.

53. Eius obiectum est odor. Odor autem est *qualitas secunda, causata ex certo temperamento primarum qualitatum, in qua siccum comprehendit humidum*. Dicitur *qualitas*, ad distinctionem substantiæ: nam cum odor sit sensibile proprium odoratus, & substantiæ non sint per se sensibiles, fit inde, vt odor non sit connumerandus inter substantias, sed inter accidentia ¶ Additur ly *secunda*, quia odor causatur ex permixtione primarum qualitatum: & ideo iuxta varias mixtiones varij odores reperiuntur in mixtis. Ex quo fit, pura elementa non posse esse odorabilia, & si aliquando odorem emittunt, non sunt in sua puritate, sed aliquid mixtionis habent. ¶ Ponitur deinde *ex certo temperamento causata, in qua siccum comprehendit humidum*. Per quam particulam denotatur, odorem non causari ex quauis permixtione primarum qualitatum, sed præcipuè ex humido, & sicco: ita tamen vt siccum excedat humidum, qui excessus per ly *comprehendit* significatur. Vnde si res odorifera igni apponatur, maiorem & iucundiorem odorem spirat, quia per calorem magis exsiccatur, & augetur eius siccitas. Hæc tamen exsiccatio debet esse in debita proportione, nam si odorifera nimium exsiccantur, amittunt odorem.

54. Medium, per quod odor suas immittit species, sunt aer, & aqua; nam tam animalia aquatilia, quàm ea, quæ in aere viuunt, odorem sentiunt Vt autem odor percipiatur, non est necesse vt media fumosa exhalatione realiter diffundatur à re odorabili vsque ad olfatum. Cum n. odor cadaueris vsque ad quingenta millaria, vel amplius à vulturibus sentiatur, impossibile videtur, quòd aliqua corporalis euaporatio cadaueris vsque ad tantum spatium diffundatur. Imò percipi potest absque eo quòd euaporatio aliqua detur: nam si res odorabilis debet fumosam exhalationem immittere adhoc vt immutet intentionaliter odoratum, fieret inde vt granum piperis citò, vel saltem transacto mense, aut anno, medijs his exhalationibus totum resolueretur in illas; quod est contra experientiam. Sequela patet, siquidem continuò redolet seu immittit species intentionales ad odoratum, & ita quoties odoratus est intra spheram suæ actiuitatis, toties percipit eius odorẽ. Ergo si ad hanc immissionem specierum requiritur prædicta exhalatio, non poterit non prædictum granum adeo exiguæ quantitatis citò, vel saltem transacto mẽse, vel anno secundùm se totum euaporari, & in fumosam exhalationem resolui.

§. IV.

De sensu gustus.

55 Organum gustus est lingua, non quidem secundùm omnes sui partes, sed secundùm neruum quendam mollem à cerebro descendentem, & per eam sparsum vsque ad palatum; ita tamen vt in linguę culmine magis vigeat vis gustatiua, quàm in alijs partibus. Si enim res sapida debitè applicetur linguæ secundùm prædictum neruum, experimur eam statim gustari: & si applicetur cuspidi eiusdem linguę, me lius

nere; & alterum percipere sensationes sensuum externorum.

66. Conclusio est affirmatiua, quam expressè docet Aristoteles lib. 3 de anim. cap 2. vbi D. Th lect 3. & communiter expositores. Prob. quoad singulas partes, & in primis quoad posteriorem. Nam præter notitiam directam, quæ est in animalibus circa externa sensibilia, habent aliam quasi reflexam, per quam cognoscunt se per externos sensus sentire, ac proinde se per visum videre, & per auditum audire: sed notitiam hanc nequeunt habere per aliquem ex sensibus externis: ergo necesse erit alium sensum realiter ab eis distinctum admittere, cuius munus inter alia sit, percipere sensationes sẽsuum externorũ *Maior patet*, quoniam Bruta pertimescunt quædam loca, in quibus percussa fuerunt, & redeunt ad alia in quibus cibum, & potum inuenerunt: ergo recordãtur doloris perpessi, & delectationis perceptæ: ac proinde priùs has sensationes externas perceperũt; quandoquidem non nisi illorum, quę priùs sentiuntur, potest esse recordatio *Minor verò probatur*; quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui obiecti adæquati: sed visio v. g. est extra obiectum adæquatum potentiæ visiuę, quippe nec est lux, neque calor: ergo potentia visiua nequibit suam visionem percipere.

67 Probatur deinde conclusio quoad priorem partem; quoniam animal discernit album à dulci, odorem à sono, & similia: sed hęc discretio non potest fieri ab aliquo ex sensibus externis: ergo vltra sensus externos admittendus est alius in animali internus, qui omnia prędicta cognoscat, & discernat. Probatur minor, quia discretio inter album, & dulce solùm fieri potest ab eo sensu, qui vtrumque cognoscit: sed nullus sensus externus cognoscit album, & dulce; visus enim solùm cognoscit album, & non dulce: gustus verò cognoscit dulce, non autem album: ergo nullus sensus externus album à dulci discernere potest.

68. Dices: ex hac ratione solùm sequitur, non posse discretionem hanc fieri ab vno tantùm sensu externo, non verò non posse fieri ab animali per omnes sensus externos simul sumptos; quoniam omnes illi simul sumpti cognoscunt omnia externa sensibilia, & radicantur in vno & eodem animali: & sic per omnes illos poterit animal inter prædicta sensibilia discernere. Sed contra est: quia animal non cognoscit discretionem illorum, nisi mediante aliqua potentia: huiusmodi autem potentia non possunt esse sensus externi, nam visus licèt cognoscat album, nõ verò discernit illud à dulci. Similiter gustus licèt cognoscat dulce, non tamen discernit illud ab albo: ergo oportet, quòd sit aliqua alia potentia distincta à sensibus externis, per quam ipsum animal illa cognoscat, & discernat.

69. Quæres: An sensus communis discretionem hanc cognoscat per vnicam speciem? Respondeo negatiuè, quia ab obiectis adeo diuersis, & ita diuersum modum immutandi habentibus, non potest vna, & eadem species immitti: nec à speciebus ab eisdem sensibilibus immissis poterit vnica alia species produci, quia istæ non sunt maioris actiuitatis, quàm ipsa sensibilia Fit autem hæc discretio per multiplicem speciem: nam

nam cum omnes sensus externi radicentur, & vniantur in sensu communi, vt docet D. Th. 1. p. q. 78. art. 4. ad 1. species sensibilium, quæ mittuntur ad sensus externos, vltimò perueniunt ad sensum communem, & deseruiunt ad prædictam discretionem faciendam.

70. Sed hic insurgit difficultas, quomodo prædicta potentia vnico actu vti possit tot speciebus ad faciendam discretionem illam? Respondeo, hoc non esse difficile, quia species sensibilium ex natura sua habēt quòd in sensu communi vniantur quātum satis est vt cum illo ad prædictam operationem cōcurrant, quia ab eadem natura determinatæ sunt, vt inseruiant potentijs, quibus insunt, iuxta modum, & exigentiam earum. Vnde sicut calor verb gr. ita se attemperat diuersis substantijs, in quibus est, vt existens in igne producat ignem, & in animali carnem, & sanguinem, & hoc non aliunde prouenit, nisi quia prædictus calor est institutus à natura ad hoc vt deseruiat substantiæ in qua est: ita quia species intentionales tribuuntur à natura ad hoc vt deseruiant animali, & eius potentijs: fit inde quòd cum animal sit discretiuum inter plura obiecta sensibilia, & vna species materialis non possit plura illa obiecta repræsentare, oportet vt vtatur pluribus speciebus, & quòd hæ sic cum sensu communi vniantur, vt simul cum eo ad prædictam sensationem concurrant.

§. II.

Vtrum phantasia seu immaginatiua sit potentia à sensu communi distincta?

71. OMnes Auctores conueniunt, dari in animalibus perfectis potentiam aliquam sensitiuam, quæ phantasia, seu immaginatiua nuncupatur, quandoquidem in somnis aliqua immaginari solemus, vt experientia constat. Difficultas est, vtrum hęc potentia sit distincta realiter à sensu communi? Et respond. affirmatiuè, quia operatio sensus communis est, cognoscere sensibilia externa, eaque discernere, vt pręsentia, & quatenus talia: operatio verò phantasiæ, seu immaginatiuæ est cognoscere eadem sensibilia externa, eorumque discretionem, vt abstrahunt ab absentia, & præsentia: hæ autem operationes terminantur ad distincta obiecta formalia, quia sensibile vt abstrahens ab absentia, & præsentia habet rationem obiecti magis abstracti, & magis immaterialis, cùm præscindat ab existentia, à qua non præscindit sensibile præsens: ergo potentiæ, à quibus eliciuntur, sunt realiter distinctæ.

72. Dices: si phantasia terminatur ad omnia sensibilia externa prout abstrahunt ab absentia, & præsentia, superfluè poneretur sensus communis, siquidem per illam possent omnia sensibilia externa, & sensationes externorum sensuum percipi, dum sunt præsentia. ¶ Respond. negando sequelam, nam est quid generale in potentijs subordinatis, quòd superior cognoscat, quidquid inferior & aliquid amplius, vel aliquo alio modo, vt constat in sensu communi respectu sensuum externorum, & in intellectu respectu facultatum sensitiuarum: vnde sicut non superfluunt sensus externi, etiam si detur sensus communis percipiens quidquid illi percipiunt; neque ex eo quòd detur intellectus attingens obiecta virium sensitiuarum, colligitur has esse su-

perfluas; ita ex hoc quòd phantasia percipiat quidquid sensus communis percipit, non sequitur hunc esse superfluum, quandoquidem phantasia est potentia superior, & cognoscit sensibilia externa sub ratione magis eleuata, nimirum quatenus continentur sub sensibili externo abstrahente à præsente, vel absente; sensus verò communis solùm cognoscit illa quatenus formaliter sunt præsentia.

§. III.

An detur æstimatiua, cuius munus sit cognoscere rationes insensatas obiectorum?

73. PRO explicatione tituli notandum est, rem, quæ obijcitur sensibus externis, dupliciter cognosci posse. Primò quoad rationem illam, quæ per sensus externos percipitur; quæ quidem ratio solet propter hanc causam appellari *sensata*. Secundò potest cognosci quoad rationem quandam à sensibus externis non perceptam, vt quoad rationem conuenientiæ, & disconuenientiæ; amicitiæ, & inimicitiæ; & hęc solet appellari *insensata*, quia à nullo sensu est antea cognita. Et de hac titulus intelligendus est.

74. Conclusio est affirmatiua, quam docet expressè S. Th. 1. p. q. 78. art. 4. vbi sic ait: *Considerandum est, quòd si animal moueretur solùm propter delectabile, & contristabile secundùm sensum, non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus in quibus delectatur, aut horret, sed necessarium est animali vt quærat aliqua, vel fugiat, non solùm quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates siue nocumenta, sicut ouis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ, & similiter auis colligit paleam non quia delectat sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum: necessarium est ergo in animali, quòd percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.*

75. Ratio autem est: quia natura non deficit in necessarijs, deficeret verò si prædictis animalibus hunc sensum non tribueret; nam si ouis non cognosceret lupum vt inimicum, non fugeret, atque adeo periret; Et si auis non cognosceret conuenientiam palearum, aut similium rerum ad nidificandum, non posset nidulum suum construere, & sic nec filios debitè procreare: ergo illum eis de facto concessit.

76. Dices; satis esse, ad hoc vt natura sufficienter prædictis animalibus prouiderit, quòd supposita cognitione horum obiectum quantum ad rationes sensatas, moueantur ab auctore naturæ ad fugiendum illa, quæ eis sunt disconuenientia, aut ad consequendum ea, quæ fuerint conuenientia; quamuis nulla in eisdem animalibus præcedat cognitio prædictorum obiectorum quoad rationes illas conuenientię, aut disconuenientię. Sed contra est: quia ad suauem Dei prouidentiam spectat, vt vnicuique rei concedat illum modum operandi, qui suę naturę congruit: sed naturę sensitiuę & cognoscitiuę congruit, vt moueatur à se, & media cognitione, in ordine ad rationes insensatas, quę ad propriam, vel suæ speciei conserua-

tio-

tionem necessariȩ, vel vtiles sunt: ergo hunc operandi modum, ac proindè potentiā sensitiuam ei proportionatam, quam appellamus ęstimatiuam, eis concessit. Hęc autem intelligenda sunt iuxtà ea, quę diximus lib. 2. physic. disp. 14. dub. vltimo.

77. Ob: 1. Aristoteles nunquam egit de ęstimatiua, sicut egit de phantasia, & sensu communi: ergo iuxtà ipsius mentem non est admittendus talis sensus. ❡ Resp. quòd licèt Aristoteles non posuerit expressè in animalibus potentiam ęstimatiuam non tamen illam negauit, quia in lib. de natura animalium, & de eorum historia plura asseruit, & proprietas adduxit, quæ non possunt in illis inueniri, nisi obiecta sensibilia quoad plures rationes insensatas cognoscant, atque adeò nisi detur in eis potentia cognoscitiua harum rationum [illegible]

78. Ob: 2. sensus internus solùm potest cognoscere ea, quæ ab externis sensibus percipiuntur: ergo nullus sensus internus datur, qui rationes insensatas percipiat. ❡ Resp. negando antecedens, quia sensus internus cum sit nobilior, quàm externus, debet ad plura se extendere, ad quę nō se extendit sensus externus; licèt quęlibet cognitio ipsius sensus interni, sicut & intellectus oriri debeat à sensu externo; & sic ouis v.g. per sensum externum visus cognoscit lupum, cum quo habet inimicitiam, & rationem insensatam inimicitię per æstimatiuam, supposita visione lupi. Solutio est S. Th. loc cit. ad 4. vbi ad simile argumentum sic respondet. *Ad quartum dicendum, quòd licèt intellectus operatio oriatur à sensu, tamen in re apprahensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest. Et similiter æstimatiua, licèt inferiori modo.*

79. Ob: 3. Rationes insensatę, vt ratio amicitię & inimicitię, paternitatis & filiationis, sunt valdè immateriales: ergo nequeunt percipi à potentijs sensitiuis, & materialibus. ❡ Resp quòd licèt rationes insensatę sint abstractiores & immaterialiores, quàm rationes sensatæ, nihilominùs non habent tantam immaterialitatem, vt sint purè spirituales. Nec æstimatiua percipit rationes istas insensatas in communi, sed in particulari, & provt fundantur in aliqua natura particulari sensibili & materiali: qui modus cognoscendi solùm indicat potentiam sensitiuam corpoream, licèt non parùm perfectam intra hanc lineā.

80. Ob: 4. Non sunt possibiles species repræsentantes rationes insensatas: ergo neque est possibilis sensus cognoscitiuus earum. Prob. antecedens; tales species non possunt produci ab obiecto, quoniā si producerentur ab obiecto, fierent ab illo in omnibus & singulis æstimatiuis omnium animalium, qui essent intra sphęram suę actiuitatis: sicut quia species visibiles immittuntur ab obiectis, propterea immittuntur ab illis ad omnes & singulos visus, qui intra suę actiuitatis sphærā continentur: hoc autem est apertè falsum; nam lupus non immittit speciem inimici ad alium lupum, nequè amicitiæ ad ouem. Nec produci possunt ab speciebus sensatis, quoniam species sensatæ, & immissæ ab obiecto, non producunt alias species, nisi in virtute sui obiecti: ergo si obiecta nequeunt immit-

mittere prædictas species insensatas, nec etiam species sensatę ab eis immissę poterunt tales species producere. Neque apparet aliqua alia causa, à qua produci possint: ergo tales species non sunt possibiles.

81. Resp. negando antecedens, & ad probationem dico, speciem illam produci ab obiecto, & non vtcunque, sed itavt à lupo duplex species essentialiter, & realiter distincta immediatè procedat, vna quidem sensata, alia verò insensata: & ratio est, quoniam licèt lupus in esse rei sit vnus, attamen in esse obiecti est multiplex, itavt quędam ex his rationibus obiectiuis sit sensata, alia verò insensata: & propterea non mirum, quòd ab eo duplex species, vna insensata, alia verò sensata immediatè procedat: sicut etiam non est mirum, quòd prædictum obiectum immittat diuersas species insensatas conuenientiæ, aut disconuenientię respectu diuersarum ęstimatiuarum; quoniam esse conueniens, aut disconueniens, non est ratio competens obiecto absolutè, sed per ordinem ad alia, & ita eadē res respectu diuersorum dicitur conueniens, & disconueniens. Hinc sequitur, lupum producturum speciem inimicitię in ęstimatiua ouis, non verò in ęstimatiuis aliorum luporum, aut quorumcumque aliorū animalium intra sphęram suę actiuitatis contentis, cum quibus inimicitias non gerit: quoniam sicut æstimatiua vnius lupi non est à natura determinata ad apprehendendū alterum lupum vt inimicum, ita non habet capacitatem ad recipiendas species, quæ repręsentent alterum lupum vt inimicum.

§. IV.

An æstimatiua sit potentia realiter distincta à phantasia?

82. Respondeo affirmatiuè; quia distinctio realis potentiarum sumitur penes distinctionem formalem obiectorū, vt disp. 3 dub. 1. ostensum est: sed ratio sensata, quę est obiectum phantasię, & ratio insensata, quę est obiectum ęstimatiuę, distinguuntur formaliter: ergo phantasia, & ęstimatiua sunt duę potentię realiter distinctę. ¶ Confirmatur, magis distant inter se rationes insensatę à sensatis, quàm rationes sensatę pręsentes à se ipsis vt abstrahentes ab absentia, & presentia: sed ob hanc minorem distantiam ponuntur duę potentię realiter distinctę: ergo à fortiori ob illā maiorem distantiam duę potentię realiter distinctę poni debent.

83. Ob. 1. Phantasia potest percipere rationes insensatas: ergo non distinguitur realiter ab ęstimatiua. Probatur antecedens, rationes conuenientis, vel disconuenientis sunt rationes insēsatę: & hę percipiūtur à phantasia, siquidē mouet appetitum sensitiuum, qui solùm à conuenientia, vel disconuenientia obiecti moueri potest: ergo &c. ¶ Respondetur negādo antecedens; & ad probationem dico, maiorem esse veram de rationibus, quæ sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad naturam, non verò de illis, quæ per se primò sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad sensum externum, seu quæ per se primò illi delectabilia, vel molesta sunt,

De-

Deindè distinguo minorem, & concedo de rationibus posterioribus conuenientiæ, vel disconuenientiæ, non verò de prioribus; & ita phantasia, quæ solùm cognoscit delectabilia, quæ per se primò delectant sensum externum, non cognoscet rationes insensatas. Ad verificandum autem, quòd phantasia moueat appetitum ad aliquam delectationem, vel tristitiam, non est necessarium, vt apprehendat obiectum sub ratione conuenientis, aut disconuenientis ipsi naturæ, sed solùm quòd apprehendat rem sensatam delectabilem, aut molestam: nam ex hoc excitantur in appetitu varij affectus, & in corpore variæ alterationes, vnde verificatur, quòd secundùm apprehensionem phantasiæ multa agimus, & patimur.

84. Ob. 2. Potentia percipiens lupum vt hostem, oportet vt percipiat ipsum lupum; siquidem nequit cognoscere lupum vt hostem, nisi percipiatur ipse lupus: sed lupus non potest percipi, nisi per externa accidentia; quæ sunt rationes sensatæ; ergo potentia attingens in obiecto rationem insensatam attingit etiam rationes sensatas. ℣. Respondetur negando maiorem; nam æstimatiua ouis solùm formaliter apprehendit hoc vt disconueniens, non autem quid sit hoc disconueniens, & sic non est necessarium, quòd cognoscat lupum. Adde, quòd cognitio lupi semper adest, nam licèt nō habeatur ab æstimatiua, habetur tamen antecedenter, vel concomitāter ab alijs potentijs.

LIBER III. ART. V.

An in parte sensitiua danda sit memoria, quæ sit potentia realitèr distincta ab æstimatiua?

85. RESpondeo affirmatiuè. Ratio est: quia ad vitam animalium perfectorum necessariò desideratur aliqua cognitio, per quam cognoscant plures rationes insensatas absentes, quas per æstimatiuam cognouerant præsentes: sed hæc cognitio non potest elici ab æstimatiua: ergo oportet addere aliam potentiam sensitiuam & cognoscitiuā, per quam eliciatur, quam memoriam appellamus. *Maior est perspicua*, quoniam nisi animalia possent apprehendere plures rationes insensatas absentes, multoties perirent, quia non possent quærere plures cōmoditates, quæ ad vitam, vel procreationem filiorum sunt illis necessariæ: & ita auicula non posset quærere paleas absentes, quatenùs sunt illi conuenientes ad fabricandum nidum, & sic de alijs. *Minor verò probatur* omnibus illis rationibus, quibus supra probauimus, phantasiam, & sensum communē realiter distingui, nam sicut sensus communis est cognosciuus rationum sensatarum præsentium, & phantasia earundem vt absentium, vel vt abstrahentium ab absentia & præsentia, ita æstimatiua est perceptiua rationum insensatarum vt præsentium, & memoria earundem vt absentium, vel abstrahentium ab absentia & præsentia: ergo omnes rationes, quibus suadetur, sensum communem & phantasiam realiter distingui, debēt hanc ipsam distinctionem inter æstimatiuam & memoriam probare.

IN

IN TERTIVM LIBRVM *De Anima.*

DISPVTATIO VI.

De anima rationali.

1. EXPLICATA iam natura, & ratione totius sensitiuę partis, videlicet externis, atque internis sensibus, ex quibus plena, atque perfecta notitia animę sensitiuę constat: sermonem transferimus ad animam rationalem; de qua quærimus primò, an immediatè producatur à Deo ex nihilo? Nam fuit error aliquorum, qui tenuerunt, animas non fieri à Deo immediatè ex nihilo, sed medijs causis secundis, nempe ab alijs hominibus per seminalem propagationem, aut generationem, sicut fiunt cęteræ animæ sensitiuæ, ac vegetatiuæ ab agentibus eiusdem speciei. Quem errorem Augist. lib. de hæresibus cap. 34. tribuit Tertulliano. Et in eodem fuit Apollinaris Alexandrinus, vt constat ex lib. 5. Historiæ Tripartitæ cap. 44. & ex D. Thoma 2. cont. gent. cap. 86. & habuerunt Luciferiani, vt legitur in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 13. & 14.

2. Sed veritas est, quòd anima rationalis nec sit educta de potentia materiæ, nec producta ab aliquo agente creato, sed à solo Deo ex nihilo per creationem. Quam veritatem tenet communis consensus Scholasticorum, & Sanctorum Patrum, & colligunt ex verbis Scripturę Sacræ, præsertim ex 2. cap. genes. vbi dicitur: *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Per vitæ spiraculum rationalem animam intelligentes, & inspirationis nomine creationem eiusdem animæ, & infusionem in corpus. Ex illo etiam Ecclesiast. 12. vbi de morte hominis sic dicitur: *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat*: hoc est corpus. *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: nempe animam per creationem.

3. Ratio autem pro hac veritate probanda, est: quia eduei de potentia materiæ vel subiecti, est pendere in esse, & fieri ab eo vt lib. 1. physic. disp. 3. dub. 2. latè ostendimus: sed anima rationalis, cum sit spiritualis, & per se subsistens, vt statim probabitur, non dependet in esse, & fieri à materia, vel alio subiecto: ergo anima rationalis non educitur de potentia materiæ, vel subiecti: ac proinde creatur, nam creatio non est aliud, quàm productio rei ex nihilo: fieri autem ex nihilo, est fieri ex non præsupposito subiecto: sed quod non educitur de subiecto, fit ex non præsupposito subiecto: ergo creatur. Cum igitur creatio competat soli Deo, fit inde quòd anima rationalis à solo Deo ex nihilo creetur.

4. Præsupposito, quòd anima rationalis creata sit à Deo ex nihilo, quærimus secundò, quo tempore creetur? Aliqui dixerunt, in principio, quo creatus est Mundus, creatas fuisse omnes animas, successu autem temporis infundi, dum completa est dispositio materiæ. Nam postquam Deus omnia creauit, quæ ad hunc Mundum pertinent, per sex dierum spatium, dicitur requieuisse ab omni opere, quod patrarat cap. 2. Genesis: ergo nihil postea creauit, neque aliud nunc creat. Probatur consequen-

quentia, quia si aliquid de nouo crearet modò, non requiesceret ab opere, sed operaretur adhuc, quod contradicit scripturæ verbis.

5. Nihilominus tenendum est, Animas rationales non creari à Deo priùs tempore, quàm infundantur corporibus, sed in eodem puncto, quo materia sufficienter disposita est, creari simul, atque infundi, & vniri corpori, & contrarium videtur, sine erroris saltem periculo non posse defendi, propter verba Leonis I. epist. 93. ad Episcopum Austricensem cap. 10. quę sic habent: *Catholica fides constanter atque veraciter prædicat, quòd animæ hominum priusquam inspirentur corporibus, non fuere.* Ratio autem desumitur ex differentia inter causas efficientes, & formales, quòd illę possunt priùs tempore existere, quàm operentur, non verò formales, sed simul ac fiunt, informant: sed constat animam rationalem esse veram formam: ergo non priùs fit. quàm materia sit completè disposita.

6. Dices: Anima rationalis potest naturaliter permanere sine corpore: ergo potest etiam naturaliter ante illud esse. Probatur consequentia, quia si potest sine illo esse à parte post, ideo est, quia esse eius non dependet à corpore: sed hoc idem probat, posse esse ante illud: ergo. Sed contra: quia anima rationalis duo habet ex propria natura, & quòd sit forma existere potens separata à corpore, & quòd sit forma corporis corruptibilis: & ex vtroque, præsertim ex vltimo prouenit illi sic informare corpus, vt naturaliter futura sit aliquando sine illo: ergo licèt naturale sit ei, esse sine corpore post primam informationem, non tamen quòd sit sine corpore ante illam, quia causa formalis naturaliter non petit esse priùs, quàm effectum formalem tribuat materiæ. Et confirmatur, quia forma habet esse incompletum, & partiale ordinatum ad constituendum compositum cum alia parte, se illi communicando: ergo vel non potest naturaliter esse ante compositum, si sit corruptibilis, vel saltem non est suę naturæ consonum, vt ante illud sit, quia toto illo tempore, quo illud antecederet, priuaretur suo fine naturali.

7. Ad argumentum verò in contrarium ex Genesi. Respond cessasse Deum post sextum diem, vel requieuisse à nouis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ nullo modo præextiterunt in primis operibus à se factis; non tamen cessasse ab eisdem rebus nunc condendis, & in suis speciebus multiplicandis, quod in corporibus quotidie de nouo genitis est manifestum. Itaque non potest intelligi, Deum omnino requieuisse ab opere: cum Christus dixerit, *Ioannis* 5. Pater meus vsque modo operatur, & ergo operor: operatur verò, & operabitur ad conseruandas species in principio à se productas per nouam, atque continuam productionem indiuiduorum, quæ secundùm exigentiam naturę postulat nouam creationem animarum. Hæc est solutio D. Th. 1. p. q. 118. art. 3. ad primum

8. Inquirimus tertiò, An anima rationalis sit purè spiritualis, ita vt in sua entitate nihil corporis admixtum habeat? Conclusio affirmatiua est. Ita sentit vniuersa Schola Philosophica, atque Theologica; & quamuis aliqui ex Sanctis Patribus obscurè aliquando de hac re loquantur,

liùs gustari: quod signum euidens est, sensum gustus in prædicta parte linguæ residere.

56. Obiectũ gustus est sapor. Sapor autẽ est *qualitas causata à mixtione sicci terrei, & humidi aquei.* Pro quo nota, quòd siccitas est duplex, alia ignea & alia terrea: similiter, & humiditas est duplex, alia aerea, & alia aquea. Siccitas ignea est in materia valde tenui, sicut, & humiditas aerea, & ideo sunt parum aptæ ad nutriendum, & consequenter ad saporem causandum: propterea dixi, saporem esse qualitatem causatam à mixtione sicci terrei, & humidi aquei.

57. Medium gustus est caro illa, qua neruus gustatorius tegitur, quia vt experientia constat, quando sapores ciborum gustamus, nihil mediat inter cibos ipsos, & linguam. Dices, mediare saliuam. Respondeo saliuam non habere rationem medij, sed esse quasi condimentum omnium saporum, quia humectando organum, disponit illud ad rem sapidam percipiendam.

§. V.

De sensu tactus.

58. Sensus tactus, vt docet Aristoteles 2. lib. de anima tex. 116. & D. Th ibidem lect. 22. immediatè subiectatur in neruo quodã, quem Medici tactiuum appellant; quique (vt ex Anathomistis constat) est carne inuolutus, & per totum corpus dispersus. Et caro ista est eius medium.

59. Obiectum verò est quæuis qualitas tangibilis. Huiusmodi sunt primæ, vel secundæ. Qualitates autem primæ, scilicet calor, frigus, humiditas, & siccitas, vt organum tactus per species intentionales immutent, debent priùs illud physicè alterare Non verò qualitates secundæ, vt grauitas, & leuitas, durities, & mollities, quia non sunt actiuæ, sed tantùm intentionaliter tactum immutant, vt ab ipso percipiantur.

60. Tactus solùm sentit excellentias, seu exuperantias obiecti tangibilis, non verò gradus æquales aut inferiores, vt constat manifesta experientia: nam cum habemus manum nimis calidam, non sentimus calorem minus intensum alterius manus, sed illud frigoris exuperans frigiditatem, quæ est in manu nimis calida Et similiter manus nimis mollis non percipit minorem mollitiem alterius, sed maiorem duritiem, quę est in illa. Ratio autem est: quia tactus debet esse in potentia ad qualitates tangibiles, quas percepturus est: ergo non potest percipere eas qualitates, secundùm quas est in actu, sed solùm eas ad quas est in potentia: ac proinde solùm exuperantias, ad quas solas est in potentia.

61. Dices: Si tactus solùm potest sentire exuperantias sui obiecti, non dabitur tactus, qui sit tactiuus caloris vt vnum, quoniam nullus datur tactus, qui possit esse in organo non habente maiorem calorem, quam sit calor vt vnum: hoc autem est manifestè falsum, quia calor vt vnum est obiectum tangibile. ¶ Respond. calorem vt vnum esse obiectum tãgibile ex parte formæ, non autem ex parte tantitatis eiusdem formæ, quæ tantitas, quia per accidens coniungitur cum illa, ideo non tollit, quòd per se sit obiectum tangibile. Sicuti data materia prima omnium minima, quæ proinde esset sub mi-

nima

nima omniũ formarum substantialium, esset receptiua ex parte potẽtiæ eiusdem materiæ plurium aliarum formarum substantialium, quãuis ex parte tantitatis potentiæ eas actu recipere non posset.

62. Quæres: Vtrum tactus sentiat qualitatem tangibilem in organo existentem? Respondeo breuiter, qualitatem tangibilem inhærentem organo, non sentiri per illam partem, cui inhæret, sed à viciniori paululum distanti, si ea intensior fuerit. Prima pars patet, quia sensibile positum supra sensum impedit sensationem. Secunda verò probatur, nam tactus per se loquendo solùm requirit tangibile exuperans, debitè approximatum, & medium internum: sed calor inhærens vni parti organi est qualitas tangibilis, quandoquidem est eiusdem speciei cum externo calore: est intensior eo, qui est in parte viciniori, & paululum distanti, vt supponitur. & adest ibidem medium inter vtramque partem, nempe pars illa intermedia: ergo.

63. Ob. 1. Si tactus sentiret qualitates sibi inhærentes, semper esset in continua, & actuali sensatione: atqui hoc est contra experientiam: ergo. Sequela probatur, quia semper in organo tactus est aliquis calor, & cum eo cæteræ aliæ primæ qualitates. Respondeo breuiter, ideo qualitatem tangibilem existentem in vna parte organi non semper, & incessanter ab alia viciniori paululũ distanti sentiri, quia non semper sunt inæquales in intensione prędicti calores, quod ad prædictam sensationem requirebatur.

64. Ob. 2. Satis credibile est, quòd neruus tactiuus in aliquibus sui partibus sit durior, quàm in alijs, & tamen nullus vnquam talem duritiem per partẽ vicinã, & paululum distantẽ sensit, nec testimoniũ reddidit illius partis, quæ durior est: ergo falsum est, quamlibet qalitatem tangibilem exuperantem, & inhærentem, posse per partem viciniorem, & paululum distantem sentiri. Respond. hoc esse proprium qualitatum secundarum tangibilium, qualis est durities, vt non possit sentiri, neque immutare naturaliter sensum, nisi fiat aliqua confricatio, aut aliqualiter fortis contrectatio inter illam, & organum; si namque leuiter manus supra tabulam ponatur, non discernetur vtrum mollis, vel dura sit. Quare cum non possit commodè hæc confricatio, & aliqualiter fortis applicatio vnius partis nerui tactiui ad aliam paululum distantem fieri, ideo maior durities illius prioris partis non potest sentiri ab hac posteriori.

DVBIVM QVARTVM

De sensibus internis.

§. I.

An detur sensus communis?

65. Sensus tituli non est, an detur sensus communis, qui dicatur talis, ex eo quòd per se primò terminatur ad sensibilia communia, quoniam sicut hæc non sunt per se primò sensibilia, ita nec dabilis est aliquis sensus, qui sit per se primò ad ea percipienda destinatus. Sed solùm an præter sensus externos in animali detur potentia aliqua sensitiua interna, cuius duo sint præcipua munera: vnum cognoscere omnia sensibilia externa, eaque inter se discer-

nere: & alterum percipere sensationes sensuum externorum.

66. Conclusio est affirmatiua, quam expressè docet Aristoteles lib. 3 de anim. cap 2. vbi D. Th lect 3. & communiter expositores. Prob. quoad singulas partes, & in primis quoad posteriorem. Nam præter notitiam directam, quæ est in animalibus circa externa sensibilia, habent aliam quasi reflexam, per quam cognoscunt se per externos sensus sentire, ac prninde se per visum videre, & per auditum audire: sed notitiam hanc nequeunt habere per aliquem ex sensibus externis: ergo necesse erit alium sensum realiter ab eis distinctum admittere, cuius munus inter alia sit, percipere sensationes sēsuum externorū *Maior patet*, quoniam Bruta pertimescunt quædam loca, in quibus percussa fuerunt, & redeunt ad alia in quibus cibum, & potum inuenerunt: ergo recordātur doloris perpessi, & delectationis perceptæ: ac proinde priùs has sensationes externas perceperūt; quandoquidem non nisi illorum, quę priùs sentiuntur, potest esse recordatio *Minor verò probatur*; quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui obiecti adæquati: sed visio v. g. est extra obiectum adæquatum potentiæ visiuę, quippe nec est lux, neque calor: ergo potentia visiua nequibit suam visionem percipere

67 Probatur deinde conclusio quoad priorem partem; quoniam animal discernit album à dulci, odorem à sono, & similia: sed hęc discretio non potest fieri ab aliquo ex sensibus externis: ergo vltra sensus externos admittendus est alius in animali internus, qui omnia prędicta cognoscat, & discernat. Probatur minor, quia discretio inter album, & dulce solùm fieri potest ab eo sensu, qui vtrumque cognoscit: sed nullus sensus externus cognoscit album, & dulce; visus enim solùm cognoscit album, & non dulce: gustus verò cognoscit dulce, non autem album: ergo nullus sensus externus album à dulci discernere potest.

68. Dices: ex hac ratione solùm sequitur, non posse discretionem hanc fieri ab vno tantùm sensu externo, non verò non posse fieri ab animali per omnes sensus externos simul sumptos; quoniam omnes illi simul sumpti cognoscunt omnia externa sensibilia, & radicantur in vno & eodem animali: & sic per omnes illos poterit animal inter prædicta sensibilia discernere. Sed contra est: quia animal non cognoscit discretionem illorum, nisi mediante aliqua potentia: huiusmodi autem potentia non possunt esse sensus externi, nam visus licèt cognoscat album, nō verò discernit illud à dulci. Similiter gustus licèt cognoscat dulce, non tamen discernit illud ab albo: ergo oportet, quòd sit aliqua alia potentia distincta à sensibus externis, per quam ipsum animal illa cognoscat, & discernat.

69. Quæres: An sensus communis discretionem hanc cognoscat per vnicam speciem? Respondeo negatiuè, quia ab obiectis adeo diuersis, & ita diuersum modum immutandi habentibus, non potest vna, & eadem species immitti: nec à speciebus ab eisdem sensibilibus immissis poterit vnica alia species produci, quia istæ non sunt maioris actiuitatis, quàm ipsa sensibilia Fit autem hæc discretio per multiplicem speciem:

nam

nam cum omnes sensus externi radicentur, & vniantur in sensu communi, vt docet D.Th. 1.p.q. 78. art. 4. ad 1. species sensibilium, quæ mittuntur ad sensus externos, vltimò perueniunt ad sensum communem, & deseruiunt ad prædictam discretionem faciendam.

70. Sed hic insurgit difficultas, quomodo prædicta potentia vnico actu vti possit tot speciebus ad faciendam discretionem illam? Respondeo, hoc non esse difficile, quia species sensibilium ex natura sua habẽt quòd in sensu communi vniantur quãtum satis est vt cum illo ad prædictam operationem cõcurrant, quia ab eadem natura determinatæ sunt, vt inseruiant potentijs, quibus insunt, iuxta modum, & exigentiam earum. Vnde sicut calor verbi gratia se attemperat diuersis substantijs, in quibus est, vt existens in igne producat ignem, & in animali carnem, & sanguinem, & hoc non aliunde prouenit, nisi quia prædictus calor est institutus à natura ad hoc vt deseruiat substantiæ in qua est: ita quia species intentionales tribuuntur à natura ad hoc vt deseruiant animali, & eius potentijs: fit inde quòd cum animal sit discretiuum inter plura obiecta sensibilia, & vna species materialis non possit plura illa obiecta repræsentare, oportet vt vtatur pluribus speciebus, & quòd hæ sic cum sensu communi vniantur, vt simul cum eo ad prædictam sensationem concurrant.

§. II.

Vtrum phantasia seu immaginatiua sit potentia à sensu communi distincta?

71. Omnes Auctores conueniunt, dari in animalibus perfectis potentiam aliquam sensitiuam, quæ phantasia, seu immaginatiua nuncupatur, quandoquidem in somnis aliqua immaginari solemus, vt experientia constat. Difficultas est, vtrum hęc potentia sit distincta realiter à sensu communi? Et respond. affirmatiuè, quia operatio sensus communis est, cognoscere sensibilia externa, eaque discernere, vt pręsentia, & quatenus talia: operatio verò phantasiæ, seu immaginatiuæ est cognoscere eadem sensibilia externa, eorumque discretionem, vt abstrahunt ab absentia, & præsentia: hæ autem operationes terminantur ad distincta obiecta formalia, quia sensibile vt abstrahens ab absentia, & præsentia habet rationem obiecti magis abstracti, & magis immaterialis, cùm præscindat ab existentia, à qua non præscindit sensibile præsens: ergo potentiæ, à quibus eliciuntur, sunt realiter distinctæ.

72. Dices: si phantasia terminatur ad omnia sensibilia externa prout abstrahunt ab absentia, & præsentia, superfluè poneretur sensus communis, siquidem per illam possent omnia sensibilia externa, & sensationes externorum sensuum percipi, dum sunt præsentia. ¶ Respond. negando sequelam, nam est quid generale in potentijs subordinatis, quòd superior cognoscat, quidquid inferior & aliquid amplius, vel aliquo alio modo, vt constat in sensu communi respectu sensuum externorum, & in intellectu respectu facultatum sensitiuarum: vnde sicut non superfluunt sensus externi, etiam si detur sensus communis percipiens quidquid illi percipiunt; neque ex eo quòd detur intellectus attingens obiecta virium sensitiuarum, colligitur has esse su-

perfluas; ita ex hoc quòd phantasia percipiat quidquid sensus communis percipit, non sequitur hunc esse superfluum, quandoquidem phantasia est potentia superior, & cognoscit sensibilia externa sub ratione magis eleuata, nimirum quatenus continentur sub sensibili externo abstrahente à præsente, vel absente; sensus verò communis solùm cognoscit illa quatenus formaliter sunt præsentia.

§. III.

An detur æstimatiua, cuius munus sit cognoscere rationes insensatas obiectorum?

73. PRO explicatione tituli notandum est, rem, quæ obijcitur sensibus externis, dupliciter cognosci posse. Primò quoad rationem illam, quæ per sensus externos percipitur; quæ quidem ratio solet propter hanc causam appellari *sensata*. Secundò potest cognosci quoad rationem quandam à sensibus externis non perceptam, vt quoad rationem conuenientiæ, & disconuenientiæ; amicitiæ, & inimicitiæ; & hęc solet appellari *insensata*, quia à nullo sensu est antea cognita. Et de hac titulus intelligendus est.

74. Conclusio est affirmatiua, quam docet expressè S. Th. 1. p. q. 78. art. 4. vbi sic ait: *Considerandum est, quòd si animal moueretur solùm propter delectabile, & contristabile secundùm sensum, non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus in quibus delectatur, aut horret, sed necessarium est animali vt quærat aliqua, vel fugiat, non solùm quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates siue nocumenta, sicut ouis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ, & similiter auis colligit paleam non quia delectat sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum: necessarium est ergo in animali, quòd percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.*

75. Ratio autem est: quia natura non deficit in necessarijs, deficeret verò si prædictis animalibus hunc sensum non tribueret; nam si ouis non cognosceret lupum vt inimicum, non fugeret, atque adeo periret; Et si auis non cognosceret conuenientiam palearum, aut similium rerum ad nidificandum, non posset nidulum suum construere, & sic nec filios debitè procreare: ergo illum eis de facto concessit.

76. Dices; satis esse, ad hoc vt natura sufficienter præpictis animalibus prouiderit, quòd supposita cognitione horum obiectum quantum ad rationes sensatas, moueantur ab auctore naturæ ad fugiendum illa, quæ eis sunt disconuenientia, aut ad consequendum ea, quæ fuerint conuenientia: quamuis nulla in eisdem animalibus præcedat cognitio prædictorum obiectorum quoad rationes illas conuenientię, aut disconuenientię. Sed contra est: quia ad suauem Dei prouidentiam spectat, vt vnicuique rei concedat illum modum operandi, qui suę naturę congruit: sed naturę sensitiuę & cognoscitiuę congruit, vt moueatur à se, & media cognitione, in ordine ad rationes insensatas, quę ad propriam, vel suæ speciei conseruatio-

tionem necessariæ, vel vtiles sunt: ergo hunc operandi modum, ac proindè potentiã sensitiuam ei proportionatam, quam appellamus æstimatiuam, eis concessit. Hæc autem intelligenda sunt iuxtà ea, quæ diximus lib. 2. physic. disp. 14. dub. vltimo.

77 Ob: 1. Aristoteles nunquam egit de æstimatiua, sicut egit de phantasia, & sensu communi: ergo iuxtà ipsius mentem non est admittendus talis sensus. ¶ Resp. quòd licèt Aristoteles non posuerit expressè in animalibus potentiam æstimatiuam non tamen illam negauit, quia in lib. de natura animalium, & de eorum historia plura asseruit, & proprietas adduxit, quæ non possunt in illis inueniri, nisi obiecta sensibilia quoad plures rationes insensatas cognoscant, atque adeò nisi detur in eis potentia cognoscitiua harum rationum.

78. Ob: 2. sensus internus solùm potest cognoscere ea, quæ ab externis sensibus percipiuntur: ergo nullus sensus internus datur, qui rationes insensatas percipiat. ¶ Resp. negando antecedens, quia sensus internus cum sit nobilior, quàm externus, debet ad plura se extendere, ad quę nõ se extendit sensus externus; licèt quælibet cognitio ipsius sensus interni, sicut & intellectus oriri debeat à sensu externo; & sic ouis v.g. per sensum externum visus cognoscit lupum, cum quo habet inimicitiam, & rationem insensatam inimicitię per æstimatiuam, supposita visione lupi. Solutio est S. Th. loc cit. ad 4. vbi ad simile argumentum sic respondet. *Ad quartum dicendum, quòd licèt intellectus operatio oriatur à sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest. Et similiter æstimatiua, licèt inferiori modo.*

79 Ob: 3. Rationes insensatę, vt ratio amicitię & inimicitię, paternitatis & filiationis, sunt valdè immateriales: ergo nequeunt percipi à potentijs sensitiuis, & materialibus. ¶ Resp quòd licèt rationes insensatę sint abstractiores & immaterialiores, quàm rationes sensatæ, nihilominùs non habent tantam immaterialitatem, vt sint purè spirituales. Nec æstimatiua percipit rationes istas insensatas in communi, sed in particulari, & prout fundantur in aliqua natura particulari sensibili & materiali: qui modus cognoscendi solùm indicat potentiam sensitiuam corpoream, licèt non parùm perfectam intra hanc lineã.

80. Ob: 4. Non sunt possibiles species repræsentantes rationes insensatas: ergo neque est possibilis sensus cognoscitiuus earum. Prob. antecedens; tales species non possunt produci ab obiecto, quoniã si producerentur ab obiecto, fierent ab illo in omnibus & singulis æstimatiuis omnium animalium, qui essent intra sphęram suę actiuitatis: sicut quia species visibiles immittuntur ab obiectis, propterea immittuntur ab illis ad omnes & singulos visus, qui intra suę actiuitatis sphęrã continentur: hoc autem est apertè falsum; nam lupus non immittit speciem inimici ad alium lupum, neque amicitiæ ad ouem. Nec produci possunt ab speciebus sensatis, quoniam species sensatæ, & immissæ ab obiecto, non producunt alias species, nisi in virtute sui obiecti: ergo si obiecta nequeunt immit-

mittere prædictas species insensatas, nec etiam species sensatę ab eis immissę poterunt tales species producere. Neque apparet aliqua alia causa, à qua produci possint: ergo tales species non sunt possibiles.

81. Resp. negando antecedens, & ad probationem dico, speciem illam produci ab obiecto, & non vtcunque, sed itavt à lupo duplex species essentialiter, & realiter distincta immediatè procedat, vna quidem sensata, alia verò insensata: & ratio est, quoniam licèt lupus in esse rei sit vnus, attamen in esse obiecti est multiplex, itavt quędam ex his rationibus obiectiuis sit sensata, alia verò insensata: & propterea non mirum, quòd ab eo duplex species, vna insensata, alia verò sensata immediatè procedat: sicut etiam non est mirum, quòd prædictum obiectum immittat diuersas species insensatas conuenientiæ, aut disconuenientię respectu diuersarum ęstimatiuarum; quoniam esse conueniens, aut disconueniens, non est ratio competens obiecto absolutè, sed per ordinem ad alia, & ita eadē res respectu diuersorum dicitur conueniens, & disconueniens. Hinc sequitur, lupum producturum speciem inimicitię in ęstimatiua ouis, non verò in ęstimatiuis aliorum luporum, aut quorumcumque aliorū animalium intra spheram suę actiuitatis contentis, cum quibus inimicitias non gerit: quoniam sicut æstimatiua vnius lupi non est à natura determinata ad apprehendendū alterum lupum vt inimicum, ita non habet capacitatem ad recipiendas species, quæ reprę sentent alterum lupum vt inimicum.

§. IV.

An æstimatiua sit potentia realiter distincta à phantasia?

82. Respondeo affirmatiuè; quia distinctio realis potentiarum sumitur penes distinctionem formalem obiectorū, vt disp. 3 dub. 1. ostensum est: sed ratio sensata, quę est obiectum phantasię, & ratio insensata, quę est obiectum ęstimatiuę, distinguuntur formaliter: ergo phantasia, & ęstimatiua sunt duę potentię realiter distinctę. ¶ Confirmatur, magis distant inter se rationes insensatę à sensatis, quàm rationes sensatę pręsentes à se ipsis vt abstrahentes ab absentia, & presentia: sed ob hanc minorem distantiam ponuntur duę potentię realiter distinctę: ergo à fortiori ob illā maiorem distantiam duę potentię realiter distinctę poni debent.

83. Ob. 1. Phantasia potest percipere rationes insensatas: ergo non distinguitur realiter ab ęstimatiua. Probatur antecedens, rationes conuenientis, vel disconuenientis sunt rationes insēsatę, & hę percipiūtur à phantasia, siquidē mouet appetitum sensitiuum, qui solùm à conuenientia, vel disconuenientia obiecti moueri potest: ergo &c. ¶. Respondetur negādo antecedens, & ad probationem dico, maiorem esse veram de rationibus, quæ sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad naturam, non verò de illis, quæ perse primò sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad sensum externum, seù quæ per se primò illi delectabilia, vel molesta sunt,

De-

Deindè distinguo minorem, & concedo de rationibus posterioribus cōuenientiæ, vel disconuenientiæ, non verò de prioribus; & ita phantasia, quæ solùm cognoscit delectabilia, quæ per se primò delectant sensum externum, non cognoscet rationes insensatas. Ad verificandum autē, quòd phantasia moueat appetitum ad aliquam delectationem, vel tristitiam, non est necessarium, vt apprehendat obiectum sub ratione cōuenientis, aut disconuenientis ipsi naturæ, sed solùm quòd apprehendat rem sensatam delectabilem, aut molestam: nam ex hoc excitantur in appetitu varij affectus, & in corpore variæ alterationes, vnde verificatur, quòd secundùm apprehensionem phantasiæ multa agimus, & patimur.

84. Ob. 2. Potentia percipiens lupum vt hostem, oportet vt percipiat ipsum lupum; siquidem nequit cognoscere lupum vt hostem, nisi percipiatur ipse lupus: sed lupus non potest percipi, nisi per externa accidentia; quæ sunt rationes sensatæ; ergo potentia attingens in obiecto rationem insensatam attingit etiam rationes sensatas. ℣. Respondetur negando maiorem; nam æstimatiua ouis solùm formaliter apprehendit hoc vt disconueniens, nō autem quid sit hoc disconueniens; & sic non est necessarium, quòd cognoscat lupum. Adde, quòd cognitio lupi semper adest, nam licèt nō habeatur ab æstimatiua, habetur tamen antecedenter, vel concomitāter ab alijs potentijs.

§. V.

An in parte sensitiua danda sit memoria, quæ sit potentia realitèr distincta ab æstimatiua?

85. RESpondeo affirmatiuè. Ratio est: quia ad vitam animalium perfectorum necessariò desideratur aliqua cognitio, per quam cognoscant plures rationes insensatas absentes, quas per æstimatiuam cognouerant præsentes: sed hæc cognitio non potest elici ab æstimatiua; ergo oportet addere aliam potentiam sensitiuam & cognoscitiuā, per quam eliciatur, quam memoriam appellamus. *Maior est perspicua*, quoniam nisi animalia possent apprehendere plures rationes insensatas absentes, multoties perirent, quia non possent quęrere plures cōmoditates, quę ad vitam, vel procreationem filiorum sunt illis necessariç; & ita auicula non posset quęrere paleas absentes, quatenùs sunt illi conuenientes ad fabricandum nidum, & sic de alijs. *Minor verò probatur* omnibus illis rationibus, quibus supra probauimus, phantasiam, & sensum communē realiter distingui, nam sicut sensus communis est cognosciuus rationum sensatarum pręsentium, & phantasia earundem vt absentium, vel vt abstrahentium ab absentia & pręsentia, ita æstimatiua est perceptiua rationum insensatarum vt præsentium, & memoria earundem vt absentium, vel abstrahentium ab absentia & præsentia: ergo omnes rationes, quibus suadetur, sensum communem & phantasiam realiter distingui, debēt hanc ipsam distinctionem inter ęstimatiuam & memoriam probare.

IN

quentia, quia si aliquid de nouo crearet modò, non requiesceret ab opere, sed operaretur adhuc, quod contradicit scripturæ verbis.

5. Nihilominus tenendum est, Animas rationales non creari à Deo priùs tempore, quàm infundantur corporibus, sed in eodem puncto, quo materia sufficienter disposita est, creari simul, atque infundi, & vniri corpori, & contrarium videtur, sine erroris saltem periculo non posse defendi, propter verba Leonis I. epist. 93. ad Episcopum Austricensem cap. 10. quę sic habent: *Catholica fides constanter atque veraciter prædicat, quòd animæ hominum priusquam inspirentur corporibus, non fuere.* Ratio autem desumitur ex differentia inter causas efficientes, & formales, quòd illę possunt priùs tempore existere, quàm operentur, non verò formales, sed simul ac fiunt, informant: sed constat animam rationalem esse veram formam: ergo non priùs fit quàm materia sit completè disposita.

6. Dices: Anima rationalis potest naturaliter permanere sine corpore: ergo potest etiam naturaliter ante illud esse. Probatur consequentia, quia si potest sine illo esse à parte post, ideo est, quia esse eius non dependet à corpore: sed hoc idem probat, posse esse ante illud: ergo. Sed contra: quia anima rationalis duo habet ex propria natura, & quòd sit forma existere potens separata à corpore, & quòd sit forma corporis corruptibilis: & ex vtroque, præsertim ex vltimo prouenit illi sic informare corpus, vt naturaliter futura sit aliquando sine illo: ergo licèt naturale sit ei, esse sine corpore post primam informationem, non tamen quòd sit sine corpore ante illam, quia causa formalis naturaliter non petit esse priùs, quàm effectum formalem tribuat materiæ. Et confirmatur, quia forma habet esse incompletum, & partiale ordinatum ad constituendum compositum cum alia parte, se illi communicando: ergo vel non potest naturaliter esse ante compositum, si sit corruptibilis, vel saltem non est suę naturæ consonum, vt ante illud sit, quia toto illo tempore, quo illud antecederet, priuaretur suo fine naturali.

7. Ad argumentum verò in contrarium ex Genesi. Respond. cessasse Deum post sextum diem, vel requieuisse à nouis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ nullo modo præextiterunt in primis operibus à se factis; non tamen cessasse ab eisdem rebus nunc condendis, & in suis speciebus multiplicandis, quod in corporibus quotidie de nouo genitis est manifestum. Itaque non potest intelligi, Deum omnino requieuisse ab opere: cum Christus dixerit, *Ioannis* 5. Pater meus vsque modo operatur, & ergo operor: operatur verò, & operabitur ad conseruandas species in principio à se productas per nouam, atque continuam productionem indiuiduorum, quæ secundùm exigentiam naturę postulat nouam creationem animarum. Hæc est solutio D. Th. 1. p. q. 118. art. 3. ad primum

8. Inquirimus tertiò, An anima rationalis sit purè spiritualis, ita vt in sua entitate nihil corporis admixtum habeat? Conclusio affirmatiua est. Ita sentit vniuersa Schola Philosophica, atque Theologica; & quamuis aliqui ex Sanctis Patribus obscurè aliquando de hac re loquantur,

tur, & aliqui videantur aliquando dubij, si tamen diuersa eorum opera legantur, & verba expendantur, absq; dubio inuenietur, tenuisse ferè omnes animam rationalem esse prorsus incorpoream, nam eam vocant spiritualem substantiam, sine vllo additamento corporis. Ita D Dionys. cap 4 de diuin. nominib. Ambr. in lib. de Noe, & Arca. August. 6. lib. de Trinit. cap. 6. & in lib. retract. cap. 56. Gregor. 4. lib. dial cap. 6. & libr. 5. moral. cap. 26. Nazian. in apolog. cap. 1. Damas. 1. lib. fidei cap. 12. Nissen. in lib. de opificio hominis cap. 4. & 15. & D. Th. 1. p. q. 65. art. 1.

9. Probatur primò ex diuersis locis scripturæ, in quibus anima rationalis vocatur spiritus, Ecclesiastici vltimo de morte hominis sic dicitur: *Quousque reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad* Deum, *qui dedit illum.* Ad Roman 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij Dei.* Et Lucę 23. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Est autem certum in his locis non sumi spiritum pro aere, aut vento, quia nunquam pro vento accipitur, nisi vbi ex contextu literæ significetur, aut ex antecedentibus, & consequentibus intelligatur, vt Ioannis 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Sumitur ergo pro re incorporeà, quare efficaciter satis probatur ex his locis, quòd anima sit incorporea, quemadmodum ex illis Ioannis 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Efficaciter probant Sancti Patres, Deum esse omnino incorporeum, vt testatur D. Th. prima parte quæst. 3. articulo primo.

10. Probatur secundò ex Concilio Lateran. cap. de summa Trinitate & fide Catholica, vbi dicitur: *Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & Spiritualem, Angelicam scilicet, & mundanam, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Vnde aliqui putant, in dicto Concilio tanquam veritatem fidei definitum esse, quòd anima rationalis sit spiritus: & licèt alijs non videatur, definitionem hanc ad id se extendere, sed solùm ad veritatem illam, quam aduersus errorem Manichæorum de duobus principijs bono, & malo intendebat Concilium: nihilominus negari non potest, esse doctrinam communem à Concilio recitatam, & consequenter eam negare esset temerarium, ac periculosum.

11. Probatur tertiò ratione, quia potentiæ sequuntur conditionem substantiæ, à qua vt à suo principio procedunt, nec possunt esse altioris naturæ, quam illa: sed intellectus potentia propria animæ rationalis, est purè spiritualis: ergo anima rationalis à qua emanat, etiam est purè spiritualis Probatur minor, quia si intellectus non esset potentia purè spiritualis, esset corporea, & organica: sed euidens est, intellectum non esse potentiam corpoream, & organicam, nec intellectionem exerceri per organũ corporeum: ergo est potentia purè spiritualis. Confirmatur, quia potentia organica est limitata ad obiectum sensibile, aut corporeum; itavt nihil spirituale possit percipere, quia potentia debet habere obiectum sibi proportionatum, atque eiusdem ordinis, vltra

quod

quod non possit se extendere: sed intellectus percipit spiritualia, imo est potentia vniuersalis habens pro obiecto vniuersalissimam rationem entis: ergo est spiritualis.

12. Quartum quæsitum est de immortalitate animæ. Immortalitas autem dupliciter sumi potest: primò pro eo, quod adeo necessarium esse habet, vt contradictionem implicet illud amittere, vel esse desinere; & in hac acceptione nulla creatura quantumlibet spiritualis, aut independens à corpore, potest esse immortalis, sed solus Deus, cuius esse à nullo prorsus dependet; qua acceptione vsus D Paulus primæ ad Timoth. 6. vbi de Deo loquens asseruit. *Qui solus habet immortalitatem*. Posterior significatio immortalitatis est pro eo, cuius esse nullum habet desinendi principium, & ideo natura eius postulat, vt postquam illud accepit, perpetuò retineat, in eoque conseruetur, & proinde licèt à Deo dependeat, à quo emanauit, non tamen potest secundùm potentiam ordinariam illud destruere: & in hoc sensu Angeli sunt immortales, quia nullum intra se habent desinendi principium, & ideo debita est eis perpetuitas. In quo etiam sensu quærimus, an animæ rationali debeatur perpetuitas, & natura sua sit immortalis?

13. Conclusio affirmatiua est, quę probari potest innumeris ferè testimonijs Scripturæ Sacræ, ex quibus pauca hæc, vt expressiora sufficiant: Ecclesiastes 12. *ibit homo in domum æternitatis suæ*. Et Christus latroni in Cruce pendenti statim morituro dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Et Mathei 10. protulit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum timete, qui potest animam, & corpus in gehenam perdere*. Ex quibus, ac præsertim ex hoc vltimo statuit Ecclesia in Concilio Lateranen 3. sub Leone X. sess. 8. immortalitatem animæ firma fide tenendam esse, & omnes qui eam negarunt, tanquam hæreticos damnandos, hisce verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes: cum illa non solùm verè, per se, & essentialiter humani corporis forma existat: verùm, & immortalis, quod manifeste constat ex Euangelio*.

14. Probatur ratione; quia omnis substantia spiritualis est immortalis & incorruptibilis ab intrinseco: atqui anima rationalis est substantia spiritualis, vt ostensum est: ergo est immortalis, & ab intrinseco incorruptibilis. Probatur minor. Quod caret principio intrinseco corruptionis, tam proximo, quàm remoto, illud dicitur ab intrinseco incorruptibile: atqui substantia spiritualis caret principio radicali, & proximo corruptionis; nam nec habet materiam, quæ est primum, & radicale corruptionis principium; nec habet in se qualitates contrarias materiales & corporeas, quæ sunt proximum corruptionis principium: ergo substantia spiritualis est immortalis, atq; incorruptibilis ab intrinseco.

15. Probatur alia ratione; quia in quauis Republica benè instituta principalis cura Gubernatoris est, malos punire, & bonis debita præmia cōferere: sed hoc vniuersum est quędam Respublica à Deo instituta, cuius supremus Gubernator est ipse Deus: ergo pertinebit ad prouidentiam, & summam bonitatem illius, vt

vt malos pœna, bonos verò præmio afficiat; ergo cum Deus in hac vita multoties hoc non exequatur, sed videamus malos delitiosè vsque ad mortem viuere, bonos autem laboriosè, consequens erit, vt hoc illis in sequentem vitam reseruetur, & ita post corporis vitam, alia animæ vita supersit, in qua omnia hæc executioni mandentur.

DISPVTATIO VII.

De potentijs Animæ rationalis.

DVBIVM I.

De Intellectu Agente.

§. I.

An detur intellectus agens. Et vtrum sit realiter distinctus ab intellectu possibili?

1. PRima conclusio. Datur in nobis intellectus agens. Probatur, quia nomine intellectus agẽtis intelligitur facultas animæ, seu virtus quædam spiritualis actiua, producens in intellectu possibili species intelligibiles ad percepienda obiecta: atqui huiusmodi facultas necessariò est admittenda: ergo in nobis datur intellectus agens. Probatur minor, intellectus possibilis ex se non habet species intelligibiles, cum sit veluti tabula rasa: ergo vt percipiat obiecta, debet eorum species recipere: ergo debet dari virtus aliqua, quæ eas producat: sed hæc virtus non possunt esse obiecta externa, nec sensus siue interni, siue externi; cum sint agentia materialia & improportionata: ergo debet esse virtus aliqua spiritualis, & immaterialis, quam intellectum agentem appellamus. Hæc est ratio S. Thomæ 1. p. q. 79. art. 3. vbi sic ait, *Nam formæ in materia existentes: quas intelligimus, non sunt intelligibiles actu; nihil autem reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu, sicut sensus fit in actu per sensibile in actu: oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum à conditionibus materialibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.*

2. Secunda conclusio. Intellectus agens est potẽtia realiter distincta ab intellectu possibili. Probatur, quia potentiæ habentes diuersos realiter actus, & distincta obiecta formalia, non possunt non distingui realiter: sed intellectus agens, & possibilis sunt huiusmodi: ergo sunt potentiæ realiter distinctæ. Probatur minor, actus intellectus agentis, est productio speciei intelligibilis per abstractionem à phãtasmatibus: actus verò intellectus possibilis est pati ab speciebus intelligibilibus, & medijs illis intelligere: hi autem actus realiter inter se distinguuntur. Rursus obiectum intellectus agentis est obiectum intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendũ est intelligibile in actu: obiectum verò intellectus possibilis est idem intelligibile, vt mediante specie est iam intelligibile in actu: istæ autem duæ rationes obiectiuæ formaliter diuersificantur. Ergo intellectus agens, & possibilis habent destinctos realiter actus, & distincta obiecta formalia: ac proinde realiter distinguuntur.

3. Ob: 1. si intellectus agens esset distinctus ab intellectu possibili, frustra maneret in anima post hanc vitam: hoc autem videtur inconue-

conueniens: ergo. Sequela probatur, quoniam non haberet aliquam operationem, siquidem post hanc vitã species non acquiruntur virtute intellectus, sed infunduntur à Deo: Potentia autẽ operatiua frustra ponitur, vbi nullam habitura est operationem. ¶ Respondetur negando sequelam, & ad probationem dico, quòd & si concedatur, intellectũ agentem post hanc vitam non habere aliquam operationem sibi propriam, non indè fieret, manere frustra in illa, quoniam satis est, vt debito tempore habuerit suam operationem; sicut potentia nutritiua, & augmentatiua non manent frustra in Beatis, licèt in eo statu non exerceant, proprios actus, quia satis est, vt debito tempore illos exercuerint.

4. Ob: 2. Repugnat dari intellectum, qui non sit potens ad intelligendum, sicut repugnat dari sensum, qui non habeat virtutem ad sentiendum, & calorem qui non possit calefacere: ergo etiam repugnabit dari aliquem inetllectũ humanum distinctũ ab intellectu possibili. Patet cõsequentia, nã hoc ipso, quòd omnis intellectus humanus debet habere virtutem ad intelligendum, debet etiam esse talis conditionis, vt possit recipere species intelligibiles, & medijs illis fieri omnia illa, quæ intelligere potest: ergo etiam debebit esse intellectus possibilis, siquidem hoc est proprium, & peculiare munus ipsius. ¶ Respondetur negando antecedens, & ad probationem in eo inclusam dico, ideo repugnare dari sensum non habentem virtutem ad sentiendum, quia sentire est actus correspondens cuiuis sensui, ita vt nequeat dari alius, actus qui ei correspõdeat: attamẽ præter intelligere superest alius actus, qui possit correspondere intellectui, scilicet facere obiecta intelligibilia in actu; & ita per ordinem ad hanc operationem potest assignari in homine aliquis intellectus.

§. II.

An Phantasma effectiuè concurrat simul cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis?

5. Negat P. Suarez tom. 2. sum. Theol. tract. 3. lib. 4. cap. 2. num. 7. quem sequuntur plures Recentiores; quorum ratio est, quia Phantasma neque propria virtute, neque virtute intellectus agentis producere potest speciem intelligibilem: ergo nullo modo concurrit efficienter ad illius productionẽ. *Antecedẽs quoad primam partẽ patet*, quia res corporea nõ potest propria virtute producere effectum purè spiritualem, qualis est species intelligibilis, siquidem causa attingens virtute propria aliquem effectum, non debet esse inferioris ordinis, quàm ille. *Quoad secundam verò partem probatur*; quoniam ab intellectu agente in phantasma nequit deriuari aliqua virtus, ratione cuius phantasma effectiuè attingat speciẽ intelligibilem: ex eo quòd talis virtus neque esset corporea, nam phãtasma vnà cum illa maneret ita improportionatum, sicut antea ratione suæ materialitatis improportionatum erat: neque esset purè spiritualis, siquidem virtus purè spiritualis petit subiectum omnino spirituale, in quo recipiatur, vt ita inter recipiens, & receptum debita proportio seruetur.

6. Dicendum tamen est, species intel.

intelligibiles actiuè causari tum ab intellectu agente, tum etiam à phátasmatibus. Ita tenent Thomistæ, etiam & Scotistæ. Ratio autem est: quia species intelligibilis est repræsentatiua quidditatum materialium, & in esse entitatiuo est purè spiritualis: ergo intellectus agens ad eius productionem indigebit influxu actiuo phantasmatis; quoniã licèt intellectus agens sit virtus spiritualis, non tamen est repræsentatiuus quidditatum materialium: ergo quamuis non egeat influxu phantasmatis ad productionem speciei intelligibilis secundùm quod in esse entitatiuo est spiritualis, egebit tamen illo ad productionẽ eiusdem speciei, quatenus repræsentatiua est quidditatis materialis; siquidem cuiusuis rationis repertæ in effectu debet assignari causa effectiua, quæ in præsenti non potest assignari alia respectu esse repræsentatiui speciei intelligibilis, nisi esse repræsentatiuum phantasmatis.

7. Respondent aduersarij, satis esse ad hoc, vt intellectus agens se solo producat speciem intelligibilẽ absque concursu actiuo phátasmatis, quòd phantasma determinet illũ in genere causæ exemplaris, ad cuius similitudinẽ agens operatur, eo proportionali modo, quo imago, ad cuius similitudinem altera depingitur, solet sufficienter determinare artificem, etiam si talis imago non concurrat efficienter. ¶ Sed contra est: quoniam imago exterior non concurrit efficienter ad aliam imaginem, quæ ad eius similitudinem depingitur, ex eo quòd in intellectu artificis datur sufficiens principium actiuum continens omnes rationes, quæ in imagine denuo depicta inueniuntur: at in intellectu agente secluso phantasmate non continetur esse repræseutatiuum speciei intelligibilis. Rursus, exemplar, & modus determinationis per illud, solùm potest reperiri in agentibus per cognitionem, quandoquidem exemplar petit esse id, ad quod intuens agens operatur: intellectus autem agens est expers cognitionis. ¶ Ad argumentum oppositæ sententiæ iam responsum est lib. 2. physic. disp. 13. dub. 1. ad 2.

§. III.

An solus intellectus agens sit causa principalis productionis speciei intelligibilis?

8. Negat Scotus in 1. dist. 3. q. 8. ad 1. tribuens etiam phantasmati rationem causæ principalis constituentis vnicam totalem cum intellectu agente. Fundamentum huius opinionis est: quia illud, cui assimilatur effectus, est causa principalis actiua respectu illius: sed species intelligibilis assimilatur intellectui agenti, & phantasmati: ergo vtrumque erit causa principalis actiua respectu illius, constituens vnicam totalem. *Maior patet*, quia effectus non petit assimiliari causæ instrumentali, sed principali. *Minor verò probatur*; nam species intelligibilis duo habet, nimirum esse quid spirituale, & esse repræsentatiuum obiecti: at secundùm illam priorem rationem assimilatur intellectui agenti, & secundùm hanc posteriorem phantasmati: ergo.

9. Dicendum tamen est, solum intellectum agentem esse causam principalem in productione speciei intelligibilis, phantasma verò concur-

currere vt instrumentum ipsius. Ita tenet S. Th. pluribus in locis, præsertim quodlib. 8. art. 3. vbi inquit: *In productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter, phantasma verò concurrit instrumentaliter*. Et q. 10. de verit. art. 6. ad 7. dicit: *in receptione, qua intellectus possibilis species recipit à phantasmatibus, se habent phantasmata vt agens instrumentale, & secundarium: intellectus verò agens vt agens principale, & proprium*. Vnde hanc sententiam tuentur omnes eius discipuli

10. Ratio autem est: nam cum phantasma sit quid materiale & corporeum, & intellectus, in quo species intelligibilis producenda est, sit quid spirituale, & similiter species producta spiritualis, & spirituali modo repræsentans obiectum, fit inde vt prædictum phantasma sit agens inferioris ordinis, & conditionis respectu intellectus, qui est passum, & speciei intellig. bilis ab illo secundùm prædictam rationem producendæ: ergo non habet respectu vtriusque formaliter sumpti rationem causæ principalis, sed instrumẽtalis.

11. Et ad argumentum contrariũ respondetur, quòd cum causa instrumentalis habeat actionem præuiam, elicitam ab ea tanquã à causa principali: & insuper talis actio, & effectus præuius per illam productus sæpe non distinguatur ab actione & effectu causæ principalis, vt patet in scissione artificiosa respectu serræ, & artificis, inde est, quòd licèt effectus præuius productus per phantasma, scilicet esse representatiuum speciei, reducatur in phantasma vt in causam principalem, hoc tamen non tollit ab eo rationem instrumenti, quandoquidem nõ elicit hanc actionem nisi vt participans altiorem rationem, per quam in virtute intellectus agentis attingat eandem speciem secundùm quod absolutè & simpliciter repræsentat naturam spirituali modo, scilicet vt est sine conditionibus indiuiduantibus.

§ IV.

Vtrum species intelligibiles, quæ fiunt per virtutem intellectus agentis, repræsentent formaliter, & directè singularia materialia: An verò solam naturam, & quidditatem materialem obstractam à conditionibus indiuiduantibus?

12. Conclusio. Species intelligibiles, quæ fiunt per virtutem intellectus agentis non repræsentant formaliter, & directè singularia materialia, sed solam naturam, & quidditatem materialem, abstractam à conditionibus indiuiduantibus. Ita Aristoteles 1. physic. tex. 20. vbi inquit: *quòd intellectus est vniuersalium, sensus verò singularium*. Si autem species, quæ fiunt virtute intellectus agentis, repræsentarent formaliter, & directè singularia materialia, sicut repræsentant naturas vniuersales, non esset cur intellectus non esset etiam singularium, sicut sensus, siquidem eius obiectum directè ab eo cognitum posset esse prędictum singulare. Et lib. 3. de anima tex. 11. asserit, quòd intellectus intelligit vniuersale directè, singulare verò reflexè; & quòd singulare cognoscit per sensum, & per intellectum, sed per sensum directè, per intellectum verò reflexè. Constat autem quòd si species factę virtute intellectus agentis repræsentarent dire-

directè singularia materialia, quòd ipsa directè cognoscerentur. Idem docet S. Th pluribus locis. Vnde hæc conclusio est communis inter Thomistas.

13. Probatur ratione; quoniam species intelligibiles, quæ fiunt virtute intellectus agentis, producuntur ab illo per abstractionem à phãtasmatibus: ergo nequeunt repræsentare formaliter, & directè singularia materialia, sed naturam vniuersalem abstractam à conditionibus materialibus, & indiuiduantibus. Quia fieri speciem per abstractionẽ à phantasmatibus, nihil aliud est, quàm quòd de phantasmatibus aliquid assumatur, & aliquid relinquatur; seu (quod idem est) aliquid eorum in specie intelligibili eluceat, & aliquid non reluceat: eo quòd abstrahere nihil est aliud, nisi aliquid assumere, & aliquid relinquere: & de phantasmate non assumitur, seu elucet in specie intelligibili sola singularitas materialis, quia proprium est intellectus, vt distinguitur à sensu, attingere essentias, & quidditates; atque adeo proprium erit specierum intelligibilium illas repræsentare: ergo quod inde assumetur, seu ex phantasmate relucebit in specie intelligibili, erit natura, & quidditas ipsa materialis, non relucente singularitate illius.

DVBIVM SECVNDVM

De intellectu possibili.

§. I.

An detur in nobis intellectus possibilis, & quodnam sit eius obiectum?

14. PRIMA conclusio. Datur in nobis intellectus possibilis. Et probatur, quia nomine intellectus possibilis intelligitur facultas quædam spiritualis, cuius proprius actus sit intelligere res tam spirituales, quàm materiales: atqui constat dari in nobis intellectiones huiusmodi rerum: ergo euidens est, esse in nobis intellectum possibilem.

15. Secunda conclusio. Obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus est ens, aut verum in tota sua latitudine. Est communis, & probatur facilè, nam illud est obiectum adæquatum extensiuũ alicuius potentiæ, ad quod secundùm omnes suas partes sumptum, potest vtcumque extendi, non verò vltra illud: sed intellectus, vt experientia constat, non potest non versari nisi circa ens, seu verum; & nullum est ens, seu verum, quod ab ipso non possit vtcumque attingi: ergo ens, seu verum in tota sua latitudine est obiectum adæquatum extensiuum illius.

16. Dices: si obiectum adæquatum intellectus esset ens, aut verum in tota sua latitudine, fieret inde vt intellectus Angelicus, & humanus non distinguerentur specie; quia etiam intellectus Angelicus habet pro obiecto adæquato ens in tota sua latitudine. Hoc autem videtur falsum. ¶ Respond. quòd intellectus humanus potest considerari dupliciter, vel in ratione potentiæ, vel in ratione proprietatis: & si consideretur secundùm priorem rationem, est eiusdem speciei cum intellectu Angelico: si verò consideretur secundùm posteriorem rationem, diuersæ speciei. Ratio est, quia potentiæ in ratione potentiarum specificantur ab obiectis: in ratione verò proprietatum per ordinem ad naturam, à qua fluunt: cum igitur intelle-

tellectus humanus, & Angelicus habeant vnum, & idem obiectum adæquatum extensiuum; & profluant à diuersis naturis: in ratione potentiarum erunt eiusdem speciei; & in ratione proprietatum diuersæ Et confirmatur exemplo lucis, quæ licèt in ratione modi afficiendi solem, & aerem distinguatur specie, quia in aere afficit per modum accidentis communis, in sole verò per modum accidentis proprij, nihilominus in ratione lucis est eiusdem speciei in ambobus.

17. Tertia conclusio. Obiectum proportionatum nostri intellectus pro statu coniunctionis est sola quidditas materialis, vt abstracta à conditionibus indiuiduantibus. Nomine autem quidditatis materialis à conditionibus indiuiduantibus abstractæ, solùm intelligimus quidditatem materialem ordinis naturalis: nam cum intellectus sit potentia naturalis, debet eius obiectum proportionatum ad eundem ordinem pertinere.

18 Cōclusio sic explicata probatur; quia illud est obiectū proportionatū, & connaturale intellectus possibilis pro hoc statu, quod fit per se primò intelligibile in actu per operationē intellectus agentis: sed sola quidditas rei materialis est huiusmodi: ergo sola ipsa est obiectum proportionatum illius pro hoc statu. Probatur maior; quoniam intellectus agens institutus est à natura ad hoc, vt obiecta illa, quæ non sunt intelligibilia in actu ab intellectu possibili pro hoc statu, atque adeo nec sunt proportionata respectu illius, reddat ea intelligibilia in actu, & proportionata respectu eiusdem: atqui (vt ex dictis patet) intellectus agens non aliter reddit obiectum per se primò intelligibile, nisi producendo species intelligibiles, quæ per se primò sunt repræsentatiuæ quidditatum rerum materialium: ergo quidditas rei materialis abstracta à conditionibus indiuiduantibus, est obiectum proportionatum intellectus possibilis pro hoc statu.

19 Confirmatur, quoniam obiectum proportionatum, seu connaturale alicuius potentię cognoscitiuę, & prædicta potentia, debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis: sed intellectus pro hoc statu, solùm conuenit in gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis: ergo sola ipsa erit obiectū proportionatum illius. Prob. minor, nā sicut quidditas rei materialis quodāmodo est in materia, quia à parte rei est identificata cum indiuiduis materialibus; & quodammodo non est in materia; quia consideratur vt præscindens à materia singulari: ita intellectus pro hoc statu quodammodo est in materia, ex eo, quòd est in anima rationali, quæ est coniuncta materiæ; quodammodo verò non est in illa, quia non est in organo corporeo: ergo cum non possit aliter explicari conuenientia in gradu immaterialitatis inter intellectum pro hoc statu, & eius obiectum, nisi modo iam dicto, intellectus pro hoc statu, & sola quidditas materialis habebunt hanc conuenientiam in gradu immaterialitatis.

20. Quarta conclusio. Obiectum proportionatum nostri intellectus in statu separationis est quidditas spiritualis, præsertim ipsius animæ. Ita Ioannes à S. Th. hic q. 10. art. 3. & alij Thomistę. Ratio est, quia in statu separationis noster intellectus

non intelligit per conuersionem ad phantasmata, nec accipiendo species à sensibilibus: & aliàs, conuenit in gradu immaterialitatis cum quidditate spirituali, præsertim cum anima rationali: ergo quidditas hæc spiritualis est eius obiectum proportionatum in statu sepatationis.

§. II.

Quomodo intellectus pro hoc statu se habeat circa primam cognitionem singularis materialis?

21. PRæsupponit titulus, quòd intellectus cognoscat singularia materialia. Tũ quia intellectus format hanc propositionem, *Petrus est homo*, ac proinde cognoscit vtrũque extremum. Tum etiam, quia prudentia potissimùm versatur circa singularia: hæc autem est virtus residens in intellectu, vt docet D.Th. 2.2. q. 45. art. 2. ad 1. sicuti etiam fides, quę residet in intellectu, sæpissimè versatur circa singularia, & ita per illam credimus, Christum esse verum Deum, & hominem: & B. Virginem esse veram Matrem illius. Tum denique, quia cum intellectus sit potentia longè superior sensibus, debet cognoscere quidquid illi cognoscunt, atque adeo debet etiam attingere singularia; & ita videmus, quòd eosdem in suis cognitionibus dirigit, & ipsorum errata corrigit. Ex quibus euidenter sequitur, falsam esse sententiam Philop. Alexand. Themist, & Auerr. qui omnes negant, intellectum per se cognoscere singularia, & solùm ea cognoscere per sensus sibi subordinatos. Pręsupposito igitur tanquam certo, quòd intellectus sua cognitione intelligat singularia materialia, quęrit titulus, quomodo ea cognoscat; & non loquitur de quacumque cognitione, sed de prima, quia de hac est specialis difficultas.

22. Super qua est duplex opinio. Prima tenet, intellectum nostrum per se, & directè cognoscere singulare materiale in prima ipsius cognitione. Ita Scotus in 4. dist. 45. q. 3. Durandus in 2. dist. 8. q. 7. Richardus dist. 24. q. 4. Gregor. in 1. dist. 3. q. 1. art. 2 & est iam communis ferè inter recentiores. Probatur primò, quia si aliquid obstaret vt per se, & directè cognosceretur ab intellectu nostro singulare materiale, esset singularitas, vel materialitas, vel vtraq; simul: sed nihil horum obstat: ergo per se, & directè cognoscitur. Probatur minor, quia singulare materiale cognoscitur ab Angelo per se, & directè, & etiam ab anima separata: ergo nec impedit singularitas, nec materialitas, nec vtraque simul, vt per se, & directè cognoscatur.

23. Probatur secundò; quia quidquid potest cognoscere potentia cognoscitiua inferior per se, & directè, potest etiam superior: nam cum hoc perfectionis sit, non potest in potentia inferiori reperiri, quin reperiatur etiam in superiori: sed sensus, qui sunt inferiores potentię respectu intellectus, cognoscunt per se, & directè singulare materiale: ergo multò meliùs poterit per se, & directè cognosci ab intellectu.

24. Secunda verò opinio asserit, intellectum nostrum pro hoc statu cum primò cognoscit aliquod singulare materiale, non cognoscere illud directè, & per se, sed indirectè, & per quandam reflexionem, seu quasi reflexionem. Et hęc opinio est vera & tenenda, quam expresse docet D. Th.

Th. 1. part. quæst. 86. art. 1. & lib. 2. cont. gent. cap. 100. & sequuntur omnes eius discipuli, & ex aliis Fonseca 2. met. cap. 2. qu. 3. sect. 5. & Conimbricenses lib. 1. physic. cap. 2. q. 4. art. 5. Probatur primò auctoritate Aristotelis, qui lib. 2. de anima cap. 5 hoc discrimen constituit inter sensum, & intellectum, quòd sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium: ergo sentit, intellectum non cognoscere singularia per se, & directè. Quod asserit etiam in hoc 3. lib. tex. 10.

25. Deinde probatur ratione; quia species intelligibilis, per quam singulare materiale in prima sui cognitione attingitur ab intellectu pro hoc statu, repræsentat directè solam quidditatem materialem abstractam à singularibus, vt dub. præc. §. 4. ostensum est: ergo prædicta singularia non cognoscuntur per talem intellectionem directè, siquidem ad intellectionem directam alicuius obiecti requiritur repræsentatio directa in specie respectu eiusdem obiecti. Quòd verò cognoscantur reflexè probatur; quia natura per hanc speciem repræsentata, est natura, seu quidditas existens in aliquo indiuiduo materiali: ergo non potest cognosci ab intellectu plenè, & complete, nisi vsque ad indiuiduum hoc se extendat; eo quòd intellectus nititur cognoscere verum: veritas autem sumitur per conformitatem ad esse, vel non esse: ergo si esse inuenitur in diuiduis, oportet vt intellectus reuertatur ad phantasmata, in quibus ipsa indiuidua repræsentantur: vt perfectè cognoscat naturam.

26. Dices: intellectus non habet speciem repræsentantem ipsum phantasma. Respondetur non requiri speciem repræsentantem ipsum phantasma ad hoc vt in eo cognoscatur indiuiduum per ipsummet phantasma repræsentatum: sed sufficit dari speciem repræsentantem naturam vt abstractam à phantasmate, & consequenter vt connotantem illud in obliquo. Sicut cum intellectus reflectit super suum actũ, non habet propriam speciem actus seorsim ab obiecto, sed repræsentãdo obiectum tanquam cognitum, seu terminans cognitionem, reuertitur ad considerandam cognitionẽ ipsam.

27. Ad argumenta autem oppositæ sententiæ respondetur. Et ad primum, quòd est dispar ratio de intellectu angelico, ac de nostro in statu coniunctionis; nam Angelus intelligit per species à Deo infusas, & non acceptas à rebus. Nec nos dicimus omni speciei intelligibili repugnare repræsentationẽ directam rei singularis materialis, sed speciei, quæ fit intelligibilis per abstractionem à conditionibus indiuiduantibus. Anima verò in statu separationis intelligit ad modum Angelorum, tanquam spiritus separatus, non vnitus corpori: & ideò accipit species infusas ab ipso Deo. Et licèt cognoscat etiam singularia, quę in hac vita cognouit, vt constat ex illo Lucæ 16. *Recordare, quòd accepisti bona in vita tua;* & sic oportet ponere in anima aliquas species rerum singularium, quas hic cognouit: hæ autem sunt, quæ remanserunt in memoria eius ex hac vita, & formatæ fuerunt ex specibus præconceptis circa singularia; nam vt dicit D. Th. 1. p. q. 12. art. 9 intellectus natus est ex præconceptis speciebus formare alias species, quæ in memoria

manet. ¶ Ad secundum patet ex dictis; nam sensum per se, & directè cognoscere singulare materiale, prouenit ex imperfectione, & materialitate eius, & ideo intellectui cōcedi non debet.

§. III.

In quo satisfit tribus quæsitis.

28. Quæres primò; Quomodo intellectus noster pro hoc statu cognoscat substantiam materialem, & accidentia non sensibilia? Dico primò, intellectum nostrum pro hoc statu non cognoscere substantiam materialem per speciem productam ab intellectu agente. Probatur, quia talis species non datur: ergo. Probatur antecedens; intellectus agens nullius obiecti potest producere speciem, nisi eius, quod repræsentatur per phantasma: sed substantia nec repræsentatur, nec est repræsentabilis per phantasma; cum nullam habeat in se sensibilitatem, ratione cuius repræsentetur per speciem sensibilem: ergo non potest intellectus agens simul cum phantasmate producere in intellectu possibili speciem propriam substantiæ.

29. Dico secundò, Ab intellectu agente solùm produci speciem accidentis per se sensibilis, ex quo cognito peruenit intellectus per discursum ad cognitionem substantiæ, & accidentium eius non sensibilium. Probatur, nam sicut non dantur propria phantasmata, nisi accidentium per se sensibilium, ita non nisi eorum species intelligibiles producuntur ab intellectu agente; & consequenter ipsa sola intellectus possibilis primò cognoscit. Eis autem cognitis, intelligit non esse per se, sed apta inhærere alicui, à quo sustententur; & ita elicit ex speciebus accidentium conceptum substantiæ. Et simili modo cognoscit accidentia non sensibilia.

30. Ex dictis habes, quòd doctrina præcedentis paragraphi intelligenda sit, non de quacumque quidditate rei materialis, sed de quidditate materiali per se sensibili, nempe accidentium per se sensibilium: quia hæc sola quidditas lucet in speciebus intelligibilibus abstractis à phantasmantibus.

31. Quæres secundò; Quomodo intellectus noster pro hoc statu cognoscat substantias separatas, nempe Deum, & Angelos? Aliqui dicunt intellectum nostrum pro hoc statu cognoscere res spirituales per species intelligibiles proprias. Alij per oppositum volunt, nullam dari speciem propriam, nec proprium conceptum rei spiritualis in nostro intellectu, sed idolum tantùm rei materialis, quod à nobis eius loco substituitur; & ad cuius similitudinem intelligitur. Sed vtraque sententia est falsa. Et vera negat intellectui pro hoc statu cognitionem substantiarum separatarum per proprias species intelligibiles, à quibus per se immediatè repræsententur: & ei concedit, quòd per alienas species rerum corporearum proprios conceptus earum formet. Ita docet D. Th. lib. 3. cont. gent. cap. 45. & 1. part. q. 88. art. 1. & 2. vbi Caietanus, Bannez, & cæteri eius discipuli. Duabus autem vijs, aut modis potest intellectus pro hoc statu peruenire ad cognitionem rerum spiritualium per corporeas. Prior vocatur negationis, aut remotionis, remouendo aut negando à re corporea omnes imperfectio-

fectionis. Vt si intellectus directè, & per se cognoscat albedinem per speciem propriam productam ab intellectu agente, & ex cognitione eius discurrendo intelligat esse formam, vel actum inhærentem subiecto corporeo, quod maximæ imperfectionis est, qua carent spirituales substantiæ, quas ideo intelligit esse actus completos per se subsistentes, non corporeos, nec materiales, sed spirituales, vt sunt Angeli, in quibus adhuc intelligit dependentiam ab alio in suo esse, quod cognoscit non habere à se, sed ab alio, atque etiam limitationem ad certum genus, & speciem, & ex consequenti compositionem ex esse, & essentia, atque etiam ex substantia, & accidentibus spiritualibus, quæ sunt potentiæ, & actus: remouens igitur hæc à substantia spirituali, format conceptum cuiusdam substantiæ simplicissimæ his omnibus carentis, quæ purus actus sit à nullo dependens, & ideo non habens esse limitatum, sed infinitum, & talem substantiam spiritualem intelligit esse Deum. Alia via est positionis, seu attributionis, in qua procedit intellectus attribuendo substantiæ spirituali quidquid perfectionis cognoscit in rebus corporeis, sed sine imperfectione, imo cum maiori perfectione; ita vt ex pluribus positiuis, ac perfectis eliciat conceptum perfectiorē absq; imperfectione, quem Deo attribuit. Et isti sunt conceptus proprij, quos de Deo, & Angelis format intellectus, non quidem per proprias species formati, repræsentates entitatem, & substantiam eorum, sed per species alienas. Propria enim species naturaliter repræsentans Deum, sicuti est, non est dabilis; aliàs noster intellectus viribus naturæ quidditatiuè cognosceret Deum: quod est absurdum.

32 Quæres tertiò; Quomodo intellectus noster pro hoc statu cognoscat animam rationalem? Aliqui volunt, intellectum nostrum pro hoc statu cognoscere animam rationalem, à qua emanat, immediatè sine vlla specie. Quorum ratio est: quia anima non est minus intimè præsens, & proportionata proprio intellectui, quàm Angelus suo: sed vt docet Theologi 1. part. q. 56 art. 1. Angelus immediatè sine vlla specie cognoscit seipsum: ergo etiam anima immediatè cognoscit seipsam sine vlla specie sui repræsentatiua. Hæc tamen sententia falsa est; quia alias noster intellectus in hoc statu esset in continuo actu, & nunquam cessaret ab actuali intellectione animæ, sicut intellectus angelicus nunquam cessat intelligere ipsum Angelum: atqui hoc est manifestè falsum, nam vt omnes fatentur experimur contrarium. Ergo.

33 Dico igitur, intellectum nostrum pro hoc statu cognoscere animam rationalem eo modo, quo cognoscit substantias separatas, scilicet per discursum. Ita D. Th q. 10. de verit. art. 8. & 1. part. q. 87. art. 1. Probatur, quia anima rationalis vt informans corpus non est actu intelligibilis, sed solùm in potentia; quare vt intelligatur, debet fieri intelligibilis per speciem: sed non potest fieri intelligibilis per speciem propriam, productam ex phantasmate ab intellectu agente; quia enim sit entitas spiritualis, nec per se sensibilis; non habet proprium phantasma: ergo solùm intelligi potest, [illegible] per species suorum effectuum

ctuum intellectus discurrendo eam percipiat.

34. Ad argumentum autem oppositæ sententiæ distinguenda est maior, quòd anima non minus sit proportionata intellectui proprio, quàm Angelus suo; nam secundùm statum separationis à corpore, vera est,& propterea in eo statu cognoscit se per seipsam, sicut Angelus. Falsa verò secundùm statum informandi corpus: quia hoc modo considerata non est actu intelligibilis; & intellectus in hoc statu operatur dependenter à phantasmatibus: vnde cum non habeat propria phantasmata, solùm potest intelligi per species alienas.

DVBIVM TERTIVM

De actu intellectus possibilis.

§. I.

Vtrum quæuis intellectio huius status pendeat naturaliter ab operatione phantasiæ?

35. Explicatis his, quę pertinent ad obiectum intellectus possibilis, agendum est de actu eius. Circa quem primò quærimus, an pro statu præsenti intelligere possit independenter ab operatione phantasiæ Et loquimur naturaliter,id est, secundùm communem rerum cursum: nam de potentia Dei absoluta non est dubium,quin possit dari intellectio pro hoc statu vnionis dissolubilis cum corpore, quæ non pēdeat ab operatione phantasiæ, vt omnes communiter docent.

36. Conclusio. Quæuis intellectio huius status pendet naturaliter ab operatione phantasiæ,ita vt nulla intellectio dari possit, quin simul adsit operatio phantasiæ. Ita Aristoteles 3 de anima tex. 39. D. Th. ibidem lect. 13. & 1. p q. 84. art.7. vbi sic ait: *Respondeo dicendum, quòd impossibile est intellectum secundùm præsentis vitæ statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, nisi conuertendo se ad phantasmata.* idem tenet Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & in 4. dist. 45. q. 2. Probatur à D. Th. loc. cit. ex 1. p. ratione ab experientia deducta; nam læsa phantasia humore aliquo, vel etiam somno impedita, seu ligata, læditur vsus rationis, & impeditur intellectus,ne possit vllā operationē exercere, siue sit circa res corporeas,vel spirituales, ac diuinas, siue sit altissima earum contemplatio, vel quæuis alia: ergo dependet intellectus pro hoc statu in qualibet sua operatione ab operatione phantasiæ; quia si non foret tam vniuersalis dependentia,posset læsa phantasia aliquam saltem operationem habere per species, quas habet reseruatas in memoria, sicut potest phantasia per tales species operari nullo sensu externo operante.

37. Sed vnde procedat omnimoda hæc dependentia, non est facile explicare. Scotus enim vbi supra putat nō esse naturalē,sed in pœnā peccati originalis fuisse datam animæ informanti corpus Sed hic modus dicendi probabilitate caret; nam vt docet D. Th. 1. part. q. 94. art. 2. primus homo in statu innocentiæ eundem modum naturalem intelligendi per conuersionem ad phantasmata habuit. Quod considerans Scotus aliam causam assignauit dicens, talem dependentiam in modo intelligendi prouenire ex naturali ordine potentiarum animæ pro hoc statu, quem ordi-

ordinem confirmant experientiæ assignatæ. Neque hæc causa sufficiens est, & videtur petere principium. Nam etiam datur subordinatio naturalis inter potentias sensitiuas internas, & externas, & tamen non est tanta dependentia, vt non possit interna vllam habere operationem, nisi actu operante externa; cum euidenter constet, phantasiam in somnis operari, quando nullus sensus externus operatur: ergo naturalis subordinatio non est causa sufficiens, vt intellectus cum tanta dependentia ab actuali operatione phantasiæ operetur. Et præterea rationem eiusdem dependentiæ quærimus, ob quam tanta sit? quare principium petere videtur, qui eam pro causa sufficiente assignat.

38. Vera igitur ratio est: quia licèt anima non pendeat quoad suam entitatem à corpore pro hoc statu, pendet tamen ab illo quodammodo, scilicet quoad vnionem, & informationem, qua mediante est in materia; & licèt intellectus non sit immediatè in corpore, est tamen quodammodo in eo, quatenũ est in anima, quæ ipsum informat: ergo si anima rationalis, & intellectus habent aliquam dependentiam à corpore in esse, habebunt eodem modo in operando dependentiam ab illo. Hæc autem dependentia non consistit in hoc, quòd intellectio fiat per organum corporeum, sicut visio; quia hęc dependentia est tanta, vt arguat potentiam immediatè elicitiuam illius actionis, quæ fit per prędictum organum, esse corpoream; sed in hoc, quòd habeat necessariam concomitantiam, & connexionem cum aliqua operatione eiusdem corporis, medio organo corporeo elicita: ergo nequit dari intellectio pro hoc statu absque eo, quòd phantasia suam eliciat operationem.

39. Dices: Anima in statu vnionis indissolubilis cum corpore, vt in statu beatifico, non pendet in intelligendo ab operatione phantasiæ; & tamen in illo statu pendet in vniri à corpore, & intellectus est quodammodo in corpore, quatenus est in anima informante illud: ergo licèt in hoc statu coniunctionis anima, & intellectus in esse aliquo modo pendeant à corpore, non propterea sequitur, pendere etiam ab illo in operari. Respond. negando consequentiam; quia non quæcumque dependentia in vniri, & informare corpus est satis ad hoc, vt anima in sua operatione pendeat ab illo, sed hoc ex tali modo informandi, nimirum informandi imperfectè prouenire: qui quidem modus consistit in hoc, quòd anima non dominetur illi, neq; corpus plenè, & perfectè subijciatur animæ in suis operationibus. Quare cum in statu supernaturalis Beatitudinis, proueniat ex gloria animæ informatio corporis cum pleno dominio eius: ideo non mirum quòd homines beati possint, si volunt, sine dependentia à phantasmatibus intelligere. Quod quidem non contingit in his, qui in æternum puniendi sunt; aut in nobis pro hoc statu vnionis dissolubilis; quia in eo sic anima informat corpus, vt omnino ei se accommodet, & quasi ei obligata, ac quodammodo subiecta, ac dependens ab illo sit: & propterea non nisi dependenter à corpore, id est, ab operatione phantasię, nequit intelligere.

§. II.

§. II.

Vtrum intellectio sit de prędicamento actionis, vel qualitatis?

40. Licèt quæstio hæc de sola intellectione expresſè excitetur, attamen quia eadem eſt ratio de illa, ac de alijs actionibus immanentibus ſenſuum interiorum; propterea quidquid de intellectione dictum fuit, idem quoad alias actiones immanentes enumeratas dictum volumus.

41 Super igitur difficultate propoſita eſt duplex opinio inter Thomiſtas. Prima ait: intellectionem non eſſe de predicamento qualitatis ſed actionis, cuius terminus productus ſit verbum. Ita tenent Monteſinus 1. 2. diſp. 3. q. 5. Gonzalez 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 25. ſect. 4. nu. 29. & alij. Probatur *primò* ex Philoſopho, qui 10. ethic cap. 3. expreſsè negat, actus immanentes eſſe qualitates, dicens: *Nec enim virtutis operationes qualitates ſunt*. Conſtat autem operationes virtutis eſſe actus immanentes. Et 9. met cap. 9. diuidit veram, & propriam actionem in tranſeuntem, & immanentem: ergo vtraque debet eſſe propria actio, quia vtraque eſt membrum illius diuiſi. *Secundò*, quia non poteſt intelligi, quòd intellectio ſit vera, & propriè qualitas, niſi ſit effectus propriè per actionem productus; quæ enim eſt ratio, vt ad talem qualitatem non detur actio? Sed intellectio non producitur per actionem à ſe diſtinctam: ergo non eſt propriè qualitas; ſed actio de prædicamento actionis. Et *tertiò*, quia vera, & propriè actio tantùm petit, quòd ſit cauſalitas agentis, & verum fieri termini, ſeu effectus ab illo producti: ſed intellectio eſt vera cauſalitas intellectus, & verum fieri verbi ab illo producti: ergo eſt vera actio de prædicamento actionis.

42 Secunda verò opinio docet, intellectionem eſſe veram operationem de genere qualitatis, quæ per ſe primò reſpicit terminum cognitum ſeu obiectum, non terminum productum; virtualiter tamen eſſe productiuam verbi. Ita Caietanus 1. p. q. 79. art. 2. § *Quoad ſecundum*, & q. 34. art. 1. ad 2. Ferrara 2. cont. gent. cap. 9. in fine, & cap. 82. §. *quod ſi obijciatur*. Capreolus in 1. diſt. 35. q. 1. art. 3. Complurenſes hìc diſp. 21. q. 1. Ioannes à S Th. q. 11. art. 1 & alij Thomiſtæ. Et hæc ſententia probabilior eſt, & tenenda, quam expreſsè docet D. Th. opuſc. 84. tract. de actione cap. 7. vbi concludit. *quod actio immanens non eſt directè in prædicamento actionis*.

43. Excluditur autem à prædicamento actionis propter duo. Primum; quia actio de prędicamento actionis dicit aliquid fluens cum motu: intellectio autem formaliter non eſt cum motu, quia ſi eſſet cum motu, intellectio ordinaretur ad acquirendam aliquam formam in ſubiecto, qua acquiſita ceſſaret, inducta enim forma producta in ſubiecto, ceſſat actio: At verò intellectio non ceſſat per acquiſitionem alicuius formæ, quia etiam producto conceptu, ſeu Verbo, quod eſt eius terminus, remanet intellectio contemplans in illo, imò tunc eſt perfectior intellectio, quando iam perfectè formatum eſt Verbum: ergo intellectio formaliter non reſpicit terminum productum, ſeu formam, qua acquiſita ceſſet, ſed ſolùm reſpicit

cit obiectum, & ideo non est actio de prædicamento actionis.

44. Secundum Fundamentum est: quia actio formaliter est via, & causalitas, non autem finis vltimatè intentus: At verò intellectio non se habet vt via, & causalitas, sed vt perfectio vltimatè intenta ab intellectu; & si aliquem effectum habet, potius ordinat illum ad se, quàm è contra, eo quod perfectio intellectus non est in producendo aliquem effectum, sed in attingendo veritatem, & si producit effectum v. g. conceptum, est vt in eo contempletur veritatem; & sic contemplatio est vltimum, quod actuat, & perficit intellectum: vnde Beatitudo, quæ est summa perfectio intellectus, in actuali intellectione, & contemplatione cōsistit: ergo intellectio, & cōtemplatio sunt operationes finis, & ideo non pertinent ad prædicamentum actionis.

45. Quamuis autem intellectio non pertineat ad prædicamentum actionis formaliter, sed ad genus qualitatis, virtualiter tamen est actio productiua verbi, vt communiter tenent Thomistæ 1. p. q. 27. art. 1. vbi videri possunt Caietanus, Nazarius, Bannez, Zumel, & alij expositores, & expressè docet ipse S. Th eodem loco dicens: *quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum*. Et 4. cont. gent. cap. 11. ait *Verbum est terminus operationis intellectualis, intellectus n. intelligendo concipit, & format Verbum*.

45. Ratio huius conclusionis est: quia Verbum producitur per dictionem: dictio autem est ipsamet intellectio vt expressiua: ergo intellectio vt expressiua est productiua verbi, & cum sit de genere qualitatis vt ostensum est, solùm virtualiter erit actio productiua illius. Minor, in qua est difficultas, probatur; quia dicere est productio verbi exprimentis, & manifestantis rem vt intellectam, & cognitam: sed res non potest reddi intellecta, & cognita in actu, nisi per ipsam intellectionem, sicut non potest reddi visa in actu, nisi per ipsam visionem: ergo neque potest verbum procedere ab intellectu nisi per intellectionem, & consequenter intellectio vt expressiua idem est, ac dictio. Maior probatur, quia verbum dicitur locutio: ergo debet exprimere rem vt vitaliter attactam ab ipsa cognitione. Id enim repræsentat verbum interiùs, quòd vox exteriùs: per voces autem exteriores non solùm repræsentamus res, sed etiam cognitionem nostram, seu res vt à nobis cognitas: ergo etiam verbum hoc exprimit interiùs.

47. Sed inquires, quomodo dicere, & intelligere differant? Respondeo differre vt res, & modus; quia dicere identificatur cum intellectione, quia vt probauimus, non est actio distincta ab illa. Ex alia parte actualis dictio ponit aliquam habitudinē in intelligere præter ipsam substantiam intellectionis, quia intellectio de se non dicit habitudinem productiui, nec respicit terminum vt productum, sed vt cognitum, dicere autem respicit terminum vt dictum, seu vt productum: Iste autem respectus, seu habitudo, aliquis modus est, qui separari potest ab intellectione, vt patet in visione beatifica secundùm probabilem sententiam, & in intellectione quæ est in Filio, & Spiritu Sancto, in quibus non producitur Verbum: ergo reperiuntur signa distinctionis modalis,

48. Dices: dictio supponit intellectionem, quia ex hoc quod intelligit, procedit verbum, vt dicit S.Th. 1. p q. 29. art. 1. & ex alia parte intelligere vt contemplari supponit dictionem, quia in verbo dicto fit contemplatio: ergo dictio, & intellectio non identificantur, ac proinde plus quam res, & modus distinguuntur. Respond. quòd dictio supponit intellectionem, & intellectio dictionem secundùm diuersas considerationes, non tanquam duo omnino diuersa, sed vt formalitates, seu modi eiusdem operationis: supponit enim dictio intellectioné sicut modus rem ipsam cuius est modus; sicut sensitiuum supponit vegetatiuum, non sicut entitatem, & formam diuersam, sed vt gradum eiusdem. Et ita cum dicit D. Th. quòd quia intelligit, concipit seu dicit, non est sensus, quòd vna actio est causa alterius, sed quòd in eodem actu vna perfectio seu formalitas est ratio alterius; ex eo enim aliquis est dicens seu loquens, quia est intelligens, non entitate diuersa, sed eadem includente vtramque perfectionem. Et contemplatio supponit verbum productum, in quo contempletur, & productionem eius, non tanquam actionem distinctam, sed tanquam vnam, & eandem secundùm diuersos status, seu respectus; nam cognitio est formatiua sui obiecti faciendo verbum, quod cognoscendo, & exprimendo format, & sic vt respicit obiectum cognitum, est cognitio, vt expressum, & formatum in ratione repræsentationis est expressio, & productio, rursusque cognitio perficitur in ratione contemplationis in ipso verbo expresso, & producto, in quo obiectum attingitur.

49. Dices secundò, Cognitio non respicit obiectum, nisi in verbo repræsentatum: ergo per cognitionem non potest formari verbum; sed supponitur productum: ergo cognitio, & dictio sunt operationes distinctæ, & non identificatæ. Respond. non repugnare, quòd eadem cognitio simul cognoscat, & formet, aliàs si priùs formaretur verbum, oporteret priùs dicere, quàm cognoscere, & illa dictio, seu locutio cæco modo fieret, dicendo quod non cognoscit. Est ergo ipsa cognitio considerata in fieri, & in statu imperfecto formatiua verbi, ipso autem formato redditur perfecta, & completa cognitio.

50. Restat vt satisfaciamus argumentis primæ sententiæ; Et ad primum respondeo, Aristotelem in primo loco loqui de qualitatibus permanentibus, non de qualitatibus transeuntibus, vt obseruant Ioannes à S. Th. loc. cit. & alij; intellectio autem non est qualitas permanens, sed transiens. Ad secundum locum ex 9. met. dico, quòd diuisum illius diuisionis, qua diuiditur actio in transeuntem, & immanentem, non est actio de prædicamento actionis, sed ratio quædam superior respectu prædictæ actionis, & actionis immanentis. ¶ Ad secundum, quòd qualitas quæ est operatio, & actus secundus, non procedit per aliam actionem, benè tamen qualitas, quæ non est operatio; nam hoc ipso quòd est actus secundus immanens, eminenter habet vim actionis, & ita non indiget alia actione, media qua procedat. ¶ Et ad tertium, quòd intellectio licèt sit vera causalitas, sed sine imperfectione; neque enim ratio causalitatis restricta est ad prædica-

dicamentum actionis, nisi sit cum tali imperfectione, quòd tantùm ordinetur ad effectum, vt via, & tendentia ad terminum, non autem sit vltimum, quod intendit agens.

§. III.

Vtrum intellectio distinguatur realiter à Verbo?

51. Conclusio. Intellectio distinguitur à verbo per modum rei, & rei, quæ inter se realiter non identificantur. Ita Thomistæ omnes contra Suarem, & alios recentiores, Estque expressa sententia S. Th. q. 8. de potentia art. 1. vbi dicit: *Quòd intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet adrem, quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt*. Id ipsum docet quæst. 9. de potentia art. 5. & q. 4. de veritate art. 2.

52. Probatur primò; quia potest dari intellectio separata à verbo, vt visio beatifica, de qua §. sequenti ostendam, esse sine productione verbi: sed actualis separatio est signum euidens distinctionis realis: ergo intellectio distinguitur realiter a verbo. ¶ Probatur secundò, loquendo de intellectionibus formantibus verbum; quia actio realiter distinguitur à termino per eam producto, & realiter ab ipsa procedente: atqui verbũ est terminus realiter productus per intellectionem, vt §. præcedenti ostensum est: ergo verbum realiter distinguitur ab intellectione. ¶ Probatur tertiò, quia illud, ad quod per se primò terminatur intellectio, debet esse realiter distinctum ab ipsa; aliàs omnis intellectio esset realiter reflexa, siquidem ad seipsam realiter terminaretur: atqui per se primò terminatur ad verbum, seu speciem expressam repræsentantem in actu secundo obiectum, non verò ad ipsum obiectum externum immediatè, quod secundùm se non est præsens intra intellectum: ergo verbum seu species expressa realiter distinguitur ab intellectione tanquam res à re, cum vtraque sit vera entitas de prædicamento qualitatis.

53. Ob. 1. Verbum nihil aliud est, quàm id quo mediante cognoscitur obiectum: atqui intellectio est etiam id, quo mediante cognoscitur obiectum: ergo non distinguitur à verbo. ¶ Respondeo verbum esse id quo res cognoscitur, per modum termini intrinseci eam repræsentantis: intellectionem verò per modum operationis rem illam in verbo tanquam in termino attingentis, & cognoscentis.

54. Ob. 2. Intellectio est actualis manifestatio, & notitia obiecti: verbum similiter est actualis manifestatio, & notitia obiecti: ergo verbum & intellectio sunt idem. ¶ Respondi verbum manifestare repræsentando, intellectionem verò manifestare operando, & cognoscendo. Rursus verbum dicitur notitia terminatiuè, sed per modum termini, in quo fit notitia, non formaliter, & per modum operationis. Differt autem esse manifestatiuum, & expressiuum per modum repræsentationis, & per modum operationis, quòd primum dicit rationem imaginis, & similitudinis, secundum verò rationem actus.

48. Dices: dictio supponit intellectionem, quia ex hoc quod intelligit, procedit verbum, vt dicit S. Th. 1. p q. 29. art. 1. & ex alia parte intelligere vt contemplari supponit dictionem, quia in verbo dicto fit contemplatio: ergo dictio, & intellectio non identificantur, ac proinde plus quam res, & modus distinguuntur. Respond. quòd dictio supponit intellectionem, & intellectio dictionem secundùm diuersas considerationes, non tanquam duo omnino diuersa, sed vt formalitates, seu modi eiusdem operationis: supponit enim dictio intellectionẽ sicut modus rem ipsam cuius est modus; sicut sensitiuum supponit vegetatiuum, non sicut entitatem, & formam diuersam, sed vt gradum eiusdem. Et ita cum dicit D. Th. quòd quia intelligit, concipit seu dicit, non est sensus, quòd vna actio est causa alterius, sed quòd in eodem actu vna perfectio seu formalitas est ratio alterius; ex eo enim aliquis est dicens, seu loquens, quia est intelligens, non entitate diuersa, sed eadem includente vtramque perfectionem. Et contemplatio supponit verbum productum, in quo contempletur, & productionem eius, non tanquam actionem distinctam, sed tanquam vnam, & eandem secundùm diuersos status, seu respectus; nam cognitio est formatiua sui obiecti faciendo verbum, quod cognoscendo, & exprimendo format, & sic vt respicit obiectum cognitum, est cognitio, vt expressum, & formatum in ratione repræsentationis est expressio, & productio, rursusque cognitio perficitur in ratione contemplationis in ipso verbo expresso, & producto, in quo obiectum attingitur.

49. Dices secundò, Cognitio non respicit obiectum, nisi in verbo repræsentatum: ergo per cognitionem non potest formari verbum; sed supponitur productum: ergo cognitio, & dictio sunt operationes distinctæ, & non identificatæ. Respond. non repugnare, quòd eadem cognitio simul cognoscat, & formet, aliàs si priùs formaretur verbum, oporteret priùs dicere, quàm cognoscere, & illa dictio, seu locutio cæco modo fieret, dicendo quod non cognoscit. Est ergo ipsa cognitio considerata in fieri, & in statu imperfecto formatiua verbi, ipso autem formato redditur perfecta, & completa cognitio.

50. Restat vt satisfaciamus argumentis primæ sententiæ; Et ad primum respondeo, Aristotelem in primo loco loqui de qualitatibus permanentibus, non de qualitatibus transeuntibus, vt obseruant Ioannes à S. Th. loc. cit. & alij; intellectio autem non est qualitas permanens, sed transiens. Ad secundum locum ex 9 met. dico, quòd diuisum illius diuisionis, qua diuiditur actio in transeuntem, & immanentem, non est actio de prædicamento actionis, sed ratio quædam superior respectu prædictæ actionis, & actionis immanentis. ¶ Ad secundum, quòd qualitas quæ est operatio, & actus secundus, non procedit per aliam actionem, benè tamen qualitas, quæ non est operatio; nam hoc ipso quòd est actus secundus immanens, eminenter habet vim actionis, & ita non indiget alia actione, media qua procedat. ¶ Et ad tertium, quòd intellectio licèt sit vera causalitas, sed sine imperfectione; neque enim ratio causalitatis restricta est ad prædica-

dicamentum actionis, nisi sit cum tali imperfectione, quòd tantùm ordinetur ad effectum, vt via, & tendentia ad terminum, non autem sit vltimum, quod intendit agens.

§. III.

Vtrum intellectio distinguatur realiter à Verbo?

51. Conclusio. Intellectio distinguitur à verbo per modum rei, & rei, quæ inter se realiter non identificantur. Ita Thomistæ omnes contra Suarem, & alios recentiores. Estque expressa sententia S. Th. q. 8. de potentia art. 1. vbi dicit: *Quòd intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem, quę intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt*. Id ipsum docet quæst. 9. de potentia art. 5. & q. 4. de veritate art. 2.

52. Probatur primò; quia potest dari intellectio separata à verbo, vt visio beatifica, de qua §. sequenti ostendam, esse sine productione verbi: sed actualis separatio est signum euidens distinctionis realis: ergo intellectio distinguitur realiter a verbo. ¶ Probatur secundò, loquendo de intellectionibus formantibus verbum; quia actio realiter distinguitur à termino per eam producto, & realiter ab ipsa procedente: atqui verbũ est terminus realiter productus per intellectionem, vt §. præcedenti ostensum est: ergo verbum realiter distinguitur ab intellectione. ¶ Probatur tertiò, quia illud, ad quod per se primò terminatur intellectio, debet esse realiter distinctum ab ipsa; aliàs omnis intellectio esset realiter reflexa, siquidem ad seipsam realiter terminaretur: atqui per se primò terminatur ad verbum, seu speciem expressam repræsentantem in actu secundo obiectum, non verò ad ipsum obiectum externum immediatè; quod secundùm se non est præsens intra intellectum: ergo verbum seu species expressa realiter distinguitur ab intellectione tanquam res à re, cum vtraque sit vera entitas de prædicamento qualitatis.

53. Ob. 1. Verbum nihil aliud est, quàm id quo mediante cognoscitur obiectum: atqui intellectio est etiam id, quo mediante cognoscitur obiectum: ergo non distinguitur à verbo. ¶ Respondeo verbum esse id quo res cognoscitur, per modum termini intrinseci eam repræsentantis: intellectionem verò per modum operationis rem illam in verbo tanquam in termino attingentis, & cognoscentis.

54. Ob. 2. Intellectio est actualis manifestatio, & notitia obiecti: verbum similiter est actualis manifestatio, & notitia obiecti: ergo verbum & intellectio sunt idem. ¶ Respond. verbum manifestare repræsentando, intellectionem verò manifestare operando, & cognoscendo. Rursus verbum dicitur notitia terminatiuè, sed per modum termini, in quo fit notitia, non formaliter, & per modum operationis. Differt autem esse manifestatiuum, & expressiuum per modum repræsentationis, & per modum operationis, quòd primum dicit rationem imaginis, & similitudinis, secundum verò rationem actus.

§. IV.

Vtrum per quamlibet intellectionem creatam producatur verbum?

55. SVPER hac quæstione est duplex opinio. Prima affirmat, omnem intellectionem creatã producere verbum. Ita tenent qui existimant intellectionem esse formaliter de prædicamento actionis; quia actio sine termino dari non potest: terminus autem intellectionis est verbum: ergo omnis intellectio producit verbum. Secunda verò negat, omnem intellectionem creatam producere verbũ; quia in intellectione intuitiua, qua Beati clarè vident Deum, nullum verbum producitur: hæc autem est intellectio creata: ergo non omnis intellectio creata producit verbum. Ita tenent omnes ferè Thomistæ; quæ opinio mihi videtur probabilior, & sequenda, quam explico in tribus sequentibus conclusionibus.

56. Prima conclusio. In omni intellectione creata, excepta visione beata, de qua conclusione sequenti, producitur verbum. Est S. Th q. 9. de potentia art. 5. & lib 4. cont. gent. cap. 11. vbi ex professo negat, posse Angelos seipsos intelligere absque formatione verbi. Probatur autem ratione; quia iuxta Scholam S Thomæ verbum requiritur ex indigentia obiecti, vel vt reddatur præsens, si sit absens, quia intellectus non intelligit immediatè res ad extra, sed vt sunt intra ipsum intellectum; vel si sit præsens, & non tante immaterialitatis vt sit intelligibile in actu secundo, vt reddatur cognitum, & intellectum in actu secundo: sed obiectum cuiuscunque intellectionis creatæ alterius à visione beata, aut secundùm se non est intra intellectum, aut si est ei præsens, non habet tantam immaterialitatem, vt ex se sit terminus actualis ipsius intellectionis, cum nulla res creata id habeat, quòd essentialiter sit terminus actu cognitus: vnde licèt essentia Angeli habeat rationem speciei intelligibilis in cognitione sui ipsius, non tamen habet rationem speciei expressæ, quia ex sua essentia non habet quòd sit actu intellectus, seu terminus actualis intellectionis, quod tamen est de ratione speciei expressæ: atque adeo Angelus in sui etiam cognitione format verbum: ergo in omni intellectione creata, excepta visione beata, est indigentia verbi, & consequenter producitur verbum.

57. Secunda conclusio. In intellectione verò, qua Beatus intuitiuè videt diuinam essentiam, non producitur verbum, sed ipsa diuina essentia, quæ est obiectum prædictæ intellectionis immediatè per se ipsã eam terminat. Probatur facilè; quia vt dictum est, ob duas rationes debet produci verbum, nempe defectu præsentiæ, & defectu sufficientis immaterialitatis obiecti ad terminandam per se cognitionem: ergo si præsentia, & sufficiens immaterialitas adsunt in obiecto, non est necessaria efformatio verbi: sed essentia diuina intellectui beato vnita habet vtrumque, & quòd sit intimè præsens ipsi secundùm se, & quòd sit sufficientissimè immaterialis vt per seipsam terminet cognitionem, & sit actu intellecta: ergo, &c.

58. Dices: licèt essentia diuina habeat essentialiter esse intellectam à Deo, non tamen ab intellectu crea-

to: ergo licèt ad hoc, vt intelligatur ab illo, non indigeat verbo producto, & ita verbum diuinum non ex indigentia intellectionis Dei, sed ex fœcunditate ipsius procedat ab illa; nihilominus ad hoc, vt intelligatur ab intellectu beato indigebit verbo producto, de cuius ratione sit esse actu intellectum per talem visionem; & reddere diuinam essentiam actu intellectam ab illa.

19. Respondeo quòd esse intellectum duo dicit, alterum quòd obiectum sit applicatum ad intelligere per modum termini; alterum quòd sit formatum vltima actualitate, ita quod ipso intelligi constituatur in actu vltimo intelligibilitatis. Primum requiritur in visione beata, sed non requirit verbum à se formatum, sed sufficit applicatio, & vnio ad obiectum seu verbum iam formatũ; sicut intellectus postquam formauit verbum, cum in ipso contemplatur obiectum, non format nouũ verbũ, sed vnitur, & applicatur formato: sic Deus est de se non solũ inteligibilis, sed actu intellectus, respectu omnis intellectus cui præsens, & vnitus esse intimè potest. Vnde posita vnione eius in intellectu, potest per ipsũ intelligere Beati respici; sicut si cõceptum vnius poneret Deus in mente alterius, ad illum terminaretur intellectio.

60. Sed quæres: An hæc applicatio, & vnitio sit aliquid de nouo productum à prædicta intellectione: Affirmant aliqui Thomistæ, & sic saluant quòd etiam prædicta intellectio habeat terminum intra se productum, quamuis non producat verbum. Quorum ratio est: quia prædicta intellectio, & si non formet verbum, reddendo rem intellectam in esse obiecti, reddit tamen obiectum intellectum applicatum ad istud subiectum: ergo ipsam essentiam vnit in ratione verbi, & speciei expressæ ipsi intellectui, & sic aliquid de nouo producit, videlicet illam vnionem.

61. Alij verò Thomistæ hoc negant, & meliùs. Et ratio est, quia ille modus vel est distinctus ab ipso intelligere, vel non? Si non, ergo non assignatur terminus talis actionis. Si est distinctus, vel productus per intelligere quatenus dictio, vel quatenus contemplatio, & pura intellectio. Si quatenus dictio, erit verbum, quia est aliquid dictum, seu locutum, quod verbum est. Si vt contemplatio, supponit verbum vnitum, sicut nos contemplamur obiectum in verbo iam producto, & vnito nobis, & tamen per illam contemplationem non producimus vnionem verbi iam existentis in nobis, sed in verbo vnito contemplamur. Et sicut si Deus meo intellectui vniret conceptum, qui productus fuit à Petro, possem elicere operationem terminatam ad illum; Ita Deus se ipso vnit suam essentiam in ratione speciei impressæ, & expressę, intellectus verò elicit actum contemplando tale obiectum.

62. Tertia conclusio In visione beata neque de potentia Dei absoluta est possibilis productio verbi. Probatur, quia verbum est expressa similitudo, & repræsentatio obiecti, seu est ipsummet obiectum intelligibiliter sumptum: ergo in ordine intelligibili adæquat, & exprimit totam perfectionem obiecti: atqui nulla creatura est tantæ perfectionis, & immaterialitatis, vt in ordine intelligibili adæquare possit, & exprime-

re

re totam perfectionem Dei, & esse ipsemet Deus intelligibiliter; cum omnis creatura in quocunque ordine infinitè distat à Deo: ergo impossibilis est productio huiusmodi verbi in visione beata ¶ Confirmatur, quia in specie repræsentatio formaliter sumpta continet intelligibiliter, & intentionaliter ipsum obiectum immediatum, cuius est species: ergo in ordine intelligibili debet esse ita immaterialis, ac est ipsum obiectum; quia intelligibilitas in immaterialitate fūdatur: sed nulla creatura est ita immaterialis, ac est Deus, aliàs esset actus purus: ergo nulla creatura potest intelligibiliter, & intentionaliter esse expressa similitudo Dei. De hac re fusius agemus in tractatu de visione Dei, ibiq; satisfaciemus aduersariorum instātijs.

63. Ob. 1 ex D. Th. 1. p. q. 27. art. 1. vbi inquit: *Quicumque intelligit, ex hoc quòd intelligit, procedit aliquid intra ipsum*: ergo per D. Thomam in omni intellectione creata, nulla excepta, producitur verbum; aliàs D. Th. non efficaciter probaret, dari in Deo processionem Verbi, si in nobis in omni intellectione non datur productio verbi.

64. Respondetur negando consequentiam; nam non est necesse, quòd illa verba, *Quicumque intelligit*, distribuant pro omnibus indiuiduis, sed pro omnibus generibus intelligentium, quasi sensus sit, in omni natura intelligēte ex eo, quòd natura intellectiua est habet, quòd procedat aliquid intra ipsā, & nō solùm extra, siue hoc contingat in omni indiuiduo, siue non. Intentum enim S. Th. in illo articulo erat probare contra Sabellianos, & Arrianos, quòd datur in Deo processio aliqua ad intra, & hoc probat, quia in omni intelligente datur processio ad intra per actionem immanentem. Ad hoc autē impertinens est, quòd in omni intellectione indiuiduali procedat verbum; sufficit autem, & conducit quòd in omni natura intelligente detur processio ad intra, sic enim optimè infert, quòd etiam in Deo, qui intelligens est, datur aliqua processio ad intra. Non tamen probat, quòd in omni indiuidua intellectione datur processio ad intra, hoc enim esset nimis probare, cum in Deo Filius, & Spiritus Sanctus intelligant, & tamen non producunt verbum ad intra.

65. Ob 2. Deus non potest supplere intellectionem se ipso, quia est vitalis operatio: ergo neque rationem verbi, quia est vitalis terminus representans. Patet consequentia, quia non minùs repugnat suppleri terminum vitalem, quàm operationem vitalem, non minùs enim repugnat quòd sit filius alicuius, qui ab eo non est genitus, quàm quòd sit generatio alicuius, quæ ab eo non processit.

66. Respond., quòd cum Deus vnitur in ratione verbi, non supplet, quòd hoc verbum dicatur procedens à nostro intellectu hæc enim denominatio suppleri non potest, ita vt dicatur aliquis terminus vitaliter procedens, vel genitus, si vitaliter non procedit, sed solùm vnitus. Quod autem supplet Deus est, quòd hoc verbum dicatur repræsentare obiectum per modum termini repræsentatiui, non per modū termini procedentis, & producti à nostro intellectu. Esse autem terminum repræsentatiuum intelligibiliter, per se habet diuina essentia, &

& sic vnita intellectui nostro, supplet munus verbi secundùm hanc rationem.

DVBIVM IIII.

De voluntate.

§. I.

Vtrum voluntas sit perfectior intellectu?

67. SEntentia communis est negatiua contra Scotum. Ratio autem est: quia illa potentia est simplicitèr perfectior, & nobilior, quæ habet obiectum formale nobilius, siquidem penès illud, tanquàm penès proprium specificatiuum, attendenda est perfectio essentialis potētiæ: atqui intellectus habet obiectū formale nobilius, quàm voluntas: ergo intellectus est perfectior volū tate. Probatur minor. Illud obiectum est nobilius, & perfectius, quod est simplicius & abstractius à materia: atqui obiectum intellectus est simplicius & abstractius obiecto voluntatis; siquidem obiectum intellectus est ens abstrahens à conditionibus indiuiduantibus; obiectum verò voluntatis est bonum singularitate concretum: ergo obiectum intellectus est nobilius, & perfectius obiecto voluntatis; ac proindè est perfectior potentia intellectus, quā voluntas.

68. Ob. 1. illa potentia est simpliciter nobilior, cuius præcipuus actus est perfectior præcipuo actu alterius: sed præcipuus actus volūtatis est perfectior præcipuo actu intellectus: ergo voluntas est potentia perfectior intellectu. Probatur minor. Amor Dei est perfectior cognitione Dei: ergo præcipuus actus voluntatis est perfectior præcipuo actu intellectus. Probatur antecedens; illud est melius, cuius oppositum est peius: sed oppositum amoris Dei est peius opposito cognitionis illius, peius enim est odire Deum, quàm non videre: ergo amor Dei &c.

69. Respond. negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens, Amor Dei est perfectior cognitione Dei clara, & intuitiua illius, vt in se est, nego: obscura, & per effectus, qualem nos habemus, concedo. Et ad probationem eiusdem antecedētis distinguo maiorem, oppositum amoris Dei, nempè odium est peius opposito cognitionis claræ illius, in esse morali, concedo: in esse physico, nego. Vndè nihil contra nos, qui solùm intendimus, intellectum esse potentiam physicè nobiliorem voluntate.

70. Ob. 2. Per voluntatem efficimur formaliter liberi, & domini nostrarum actionum, non autem per intellectum. Rursus voluntas ratione suæ libertatis est quasi domina reliquarum potentiarum, quæ quoad exercitium suarum operationum subduntur nostræ libertati, & habet se vt mouens respectu earum, non autem intellectus. At hæc omnia maximam quandam excellentiā in voluntate dicunt: ergo voluntas est perfectior intellectu, cui talis perfectio deest.

71. Respondetur, quòd licèt voluntas sit formalitèr libera, nihilominus totum hoc prouenit ab intellectu, tanquam à radice: & ita ex hac parte voluntas non erit perfectior

ctior, quàm intellectus. Adde non ideò aliquam potentiam, vel operationem esse perfectiorē, quia sit magis libera: nam etiam naturale potest esse perfectius libero: Vndè charitas, quæ erat in via, & liberè vnà cum voluntate operabatur, manet in patria, vbi necessariò prorumpit in suum actum: & tamen in patria est multò perfectior, quàm in via. Ad illud autem, quod additur de voluntate mouente quoad exercitium omnes potentias ad operandum, respondetur, intellectum præstantiori modo mouere eandem voluntatem, quia voluntas mouet applicando, intellectus verò dirigendo. Rursus plures sunt actus intellectus, qui non sunt ex motione voluntatis, nimirum necessarij, inter quos potissimus est clara Dei visio; nullus autem est actus voluntatis, qui non sit ex motione & directione intellectus.

§. II.

Vtrum voluntas sit potentia formaliter libera.

72. Conclusio est affirmatiua, definita in Concilio Trident. sess. 6. c. 5. & 6. Probatur primò ex sacris literis, nam Eccles. 10. dicitur, *Reliquit eum in manu consilij sui*. Et Iosuæ 24. *optio vobis datur, eligite hodie quod placuerit.* Et 1. Corinth. 2. *potestatem habens suæ voluntatis*. Secundò experientia, etenim in nobis metipsis deprehendimus, quòd cum volumus, operamur, & similiter si velimus ab operatione cessare, possumus. Tertiò, quia homo natura sua est capax cōsilij, admonitionis, & præcepti: si autem voluntas hominis non esset libera, omnia ista forent inutilia, quia non esset in hominis potestate se abstinere ab operando, aut hoc, vel illud facere. Quartò, quia euidens est secundùm lumen naturæ, quòd sæpè voluntas hominis deuiat à diuina lege, & peccat: ergo si prædicta voluntas necessariò operatur, necessitabitur ab ipsa natura, & cōsequenter ab authore naturę ad peccandum: quod absurdissimum est.

73. Vltimò probatur ratione à priori; notando priùs, quòd cum voluntas sit potentia cæca, debet sequi ductum intellectus, à quo suum obiectum cognoscitur, & ipsi voluntati amplectendum proponitur. Ex quo sequitur, voluntatem velle suū obiectum eo modo, quo ipsi ab intellectu est propositū: itavt si ab intellectu nō est propositū sub indifferentia, necessitatur ad illud: si verò est ei propositum cum indifferentia liberè vult illud. Et ideò dicunt Philosophi omnes, & Theologi, quòd radix libertatis est in intellectu, quāuis libertas ipsa formaliter sit in voluntate. Intellectus autem cum cognoscat rationem boni & mali, per eas iudicat qualiter vnumquodquè obiectum prosequendum, vel fugiēdum sit à voluntate.

74. Hoc posito probatur conclusio efficaciter; nàm voluntas sequi debet modum iudicij intellectus: sed modus iudicij intellectus circa bona particularia est cum indifferētia ad vtrumlibet, iudicando de vnoquoque posse appeti, & non appeti: posse ita appeti secundùm vnam rationem, vt simul iudicet posse secundùm aliam respui: ergò ipsa voluntas taliter tendit in prædicta bona iudicata, vt possit non tendere, & tendere ad oppositum; quod est tēdere cum indifferentia, & libertate.

Di-

75. Dices: si voluntas omnino debet sequi ductum intellectus, existente huius iudicio de conuenientia talis obiecti, manebit necessitata ad prosequendum illud, nec poterit sequi oppositum. Iudicium enim vltimum intellectus semper est determinatum ad vnum: nam determinatè iudicat hic & nunc hoc dumtaxat esse appetendum, vel fugiendum: ergo voluntas manet ligata, & determinata ad illud sequẽdum; ac proinde sine libertate, si omnino ductũ intellectus sequi debet.

76. Ad hanc instantiam. Aliqui respondent, posito quocumque iudicio intellectus, liberum esse voluntati sequi contrarium etiam in sensu composito: nec voluntatem esse liberam dicunt, si ad predictum iudicium adstringeretur. ¶ Verùm hæc doctrina falsa est; quoniam cũ obiectum voluntatis sit bonum cognitum ab intellectu, sicut repugnat, eam extra suum obiectum ferri, ita repugnat velle nisi quod intellectus proponit, & secundùm eam tantùm rationem, secundùm quam proponitur: ergo si intellectus absolutè iudicat, esse conueniens hic, & nunc elicere operationem, quàm oppositum, non potest voluntas in sensu composito cã non elicere, aut dissentire. Prob. consequẽtia, nã vt voluntas dissentiat volendo oppositum, aut non volendo quod ita iudicatum est, oportet adesse aliud iudicium dictans, absolutè esse conueniens hic & nunc omnibus inspectis dissentire, vel nõ consentire potiùs quàm consentire; atqui hæc duo iudicia sunt incompossibilia: ergo repugnat, vt stante aliquo ex illis in intellectu, detur simul in voluntate oppositus assensus aut non detur ille, quem tale iudicium exposcit.

77. Vndè ad obiectionem respõdetur, quòd licèt posito iudicio determinato intellectus, voluntas infallibiliter illud sequatur, itavt in sensu composito non possit dissentire; nihilominus manet absolutè libera: quia potest dissentire, & nõ sequi illud in sensu diuiso: quod satis est ad perfectam libertatem, vt docent communiter Thomistæ agentes de prædeterminatione physica, quam licèt voluntas non possit non sequi in sensu composito, siquidem talis præmotio infert infallibiliter actum decreto Dei prædiffinitum, nihilominus manet absolutè libera, quia in sensu diuiso potest non sequi illam, & elicere actũ oppositum.

78. Pro intelligentia huius solutionis noto primò, quòd vt voluntas liberè operetur, aliquid requiritur ex parte potentiæ, seu actus primi, & aliquid ex parte actualis exercitij libertatis. Ex parte potentiæ sufficit, & requiritur vt simul sit in ea facultas & *posse* ad vtrumlibet extremum oppositionis: ita vt simul verificetur, quòd potest amare, & potest non amare, seu quòd potest amare, & potest odio habere. Ex parte verò actualis exercitij requiritur, quòd actu se applicet ad vnum ex prædictis extremis, & non ad aliud: quippè actualis applicatio ad vtrumque simul esse repugnat. Ita tamen fieri debet hæc applicatio, vt non excludat potentiam ad oppositum, sed intactam, & illæsam relinquat. Seu requiritur, quòd ita se applicet ad vnum, vt simul cum hac applicatione permaneat, & conseruetur idem *posse* ad vtrumlibet, ratione

 tione

tione cuius verificetur, etiam quando actu ad vnum tendit, posse tendere ad oppositum.

79. Noto secundò, voluntatem quoties liberè agit, duplex saltem iudicium ab intellectu requirere (siue formaliter, siue solùm virtualiter distinguantur) alterum proponens indifferenter extrema, inter quæ exercenda est libertas, & in vnoquoque sufficientem bonitatem ratione cuius possit appeti, simul cum aliquo bonitatis defectu, ratione cuius valeat respui. Alterum dictans determinatè, & efficaciter, quę pars hic, & nunc sit eligenda. Ex quibus primum constituit voluntatem solùm in actu primo liberam, & potentem ad vtrumlibet: secundum verò constituit eam sub actuali exercitio libertatis applicatam ad partē, quæ eligitur. Nam sicut voluntas vt libera in actu primo solùm habet, quòd possit tendere ad vtrumlibet, non tamen pro illo signo transit ad aliquod actu appetendum: ita iudicium pro tali signo necessarium solùm debet proponere vtrumque vt possibile appeti, & non appeti; non verò ostendere quòd sit hic, & nunc determinatè eligendum.

80. Cæterum quia exercitium libertatis est actualis electio vnius dumtaxat, retento eodem *posse*, & facultate ad aliud, iudicium ad hoc requisitum debet determinatè dictare illud vnum esse eligendum, & connotare permanentem propositionem primi iudicij de vtriusque eligibilitate. Et sicut in voluntate non habent repugnantiam, sed connexionē, quòd potens eligere vtrūlibet, eligat determinatè vnum: ita in intellectu nullam habent oppositionem, sed connexionem, iudicare ex vna parte vtrumq; extremū esse eligibile, & ex alia hoc dumtaxat esse eligendum. Atque adeò stant simul determinatio, & applicatio posterioris iudicij ad vnum extremum, & indifferens propositio prioris respectu vtriusque: eo præsertim, quia prædicta iudicia habēt distincta obiecta, nam primum iudicat indifferentiam ex parte potentiæ, & actus primi: posterius verò determinationem ex parte actus secundi: quæ sicut non repugnant simul esse in voluntate, ita non repugnant simul cognosci, & iudicari ab intellectu.

81. Hinc liquet veritas nostræ solutionis. Nam ex qua parte vltimū iudicium intellectus practicè & efficaciter dictat electionem vnius tātùm extremi, & constituit voluntatem sub libertatis exercitio, trahit infallibiliter secū ipsam electionē: & ideò non est possibile, in sensu cōposito cū illo, volūtatē nō eligere tale extremū; aut eligere oppositū. Ex qua verò prædictū iudiciū non opponitur primo, relinquit cum eadem indifferentia, & vniuersalitate totam eius propositionem circa vtrumque extremum, atque adeò integram, & illæsam facultatem, quæ ex vi talis iudicij erat in voluntate per modum actus primi ad eligendū vtrumlibet: quod est ipsam voluntatem posse absolutè, & in sensu diuiso non eligere quod eligit, & eligere oppositum.

§. III.

Vtrum sola voluntas sit potentia primò, & per se formalitèr libera?

82. Conclusio est affirmatiua. Pro ratione autem fundamentali

li noto primò, quòd sicut indifferentia per se, & formaliter ad libertatem requisita, est indifferentia actiua quoad exercitium, vt dicam § sequenti, sic ipsa libertas actu, & formaliter, splendet in huiusmodi applicatione: atque adeò primò, & formaliter cõuenire debet illi dumtaxat facultati, cuius est per se primò actiuè se, & cæteras ad exercitium applicare. Ad inuestigandum ergo quæ potentia primò, & per se sit formaliter libera, ex qua proinde libertas ad cæteras deriuetur, quærendum est, cui primò, & per se conueniat actiuè mouere, & applicare ad exercitium actus.

83. Noto secundò, quòd cum omne agens, & mouens actiuè moueat propter aliquem finem, ac proinde motum, & attractum ab ipso fine, id oportet esse primum mouens, & applicans actiuè, quod priùs à fine mouetur, seu in quod finis suam motionem finalem primò exercet. Constat verò finem per se primò mouere voluntatem, cuius est obiectum: illa igitur debet esse primum mouens actiuè, & primum applicans tam se, quàm cæteras potentias ad exercitium actus.

84. Ex his formatur efficax ratio pro conclusione in hunc modum. Illa potẽtia habet per se esse formaliter libera, cui per se conuenit mouere quoad exercitium: sed mouere quoad exercitium tantùm per se cõuenit voluntati: ergo sola voluntas habet per se esse formaliter libera. Maior habetur ex primo notabili, Minor ex secundo: & consequentia sequitur ex præmissis.

85. Dices: Ad omnem actum voluntatis præcedit iudicium efficax intellectus applicatis ad talẽ actũ: ergo priùs intellectus mouet voluntatem quoad exercitium, quàm ab illa moueatur. Nec refert si dicas, efficaciam illius iudicij non esse ex ipso intellectu, sed ex voluntate media alia volitione, quæ prædictum iudicium antecedit. Nam contra hoc est, quia si ad omnes actus voluntatis supponitur prædictũ iudicium, saltem efficacia primi iudicij erit ex ipso intellectu: siquidẽ nullum supponit actũ voluntatis, à quo eam recipiat.

86. Respondent Aliqui Thomistæ ad hanc obiectionem substinendo solutionem traditam; & ad impugnationem dicunt, efficaciam primi iudicij neque esse ex voluntate creata, neque ex intellectu secundũ se, sed ex voluntate authoris naturæ, cui speciali titulo incumbit mouere tam voluntatem, quàm intellectum ad exercitium primi actus, vt inde voluntas possit se, & intellectũ ad cęteros applicare.

87. Licèt hæc solutio sit probabilis, meliùs tamen respondent alij concedentes, quòd supposita propositione obiecti, determinatio primi iudicij proueniat ab ipsomet intellectu: quod quidem iudicium nõ efficienter, sed obiectiuè tantùm mouet voluntatem; ideoque primũ mouens ad exercitium actus non est intellectus, sed voluntas: libertas etenim formalis pertinet ad genus causæ efficientis, non autem ad genus causæ formalis. Et ex argumẽto allato solùm sequitur, intellectũ esse primum liberum radicaliter, nõ autem formaliter.

88. Instabis: si intellectus ex se ipso, & antecedenter ad quemcumque actum voluntatis se determinat ad iudicandum hoc hic, & nunc esse

sequendum, & non oppositum, ex se ipso eligeret istud iudicium præ alio: ergo erit formaliter liber. ¶ Respond. negando antecedens; nam per hoc, quòd intellectus determinatè iudicat hoc hic & nunc esse sequendum, & non oppositum, non eligit vnum præ alio, sed quia siue verè, siue falsè recognoscit in vno extremo obiecti esse maiorē rationem bonitatis, per quam debet sequi, quàm in altero extremo.

§. IIII.

Quæ indifferentia sit de ratione libertatis?

89. INdifferentia alia est *quoad specificationem*, alia *quoad exercitium*; seu alijs terminis, alia *contrarietatis*, alia *contradictionis*. Indifferentia contrarietatis, & quoad specificationem est, quæ respicit terminos contrarios, vt amorem, & odium: bonum, & malum. Indifferentia verò contradictionis est, quæ respicit terminos contradictoriè oppositos, sicut amare, & non amare: obedire, & non obedire. Hæc autem indifferentia semper clauditur in priori: siquidem vbi est indifferētia ad bonum, & malum, à fortiori est ad non bonum: & vbi est ad amorem, & odium, à fortiori est ad non amorem. ¶ His positis, quærimus in præsenti, quænam ex his indifferentijs sit constitutiua libertatis.

90. Conclusio: Indifferentia per se, & essentialiter cōstitutiua libertatis, est indifferentia *contradictionis*, vel *quoad exercitium*: quę verò communiter dicitur *contrarietatis*, seu *quoad specificationem*, per accidens ad libertatem se habet, & inquantum includit indifferentiā contradictionis. Probatur, illa indifferentia constituit formaliter libertatem, ratione cuius voluntas est domina sui actus: sed hoc habet per se à sola indifferentia contradictionis: ergo hæc dumtaxat libertatem per se constituit. Maior constat; siquidem voluntatem esse liberam, nihil aliud est, quàm habere dominiū suæ operationis. Minor verò probatur, quoniam voluntas tunc est perfectè domina sui actus, quando potest illum facere, & non facere: quippè eo ipso potest de tali actu pro suo libito disponere. ¶ Confirmatur: Indifferentia contrarietatis ideò præcisè confert ad libertatem, quia includit indifferentiam contradictionis: nam cum contraria simul esse non possint, qui potest facere vtrumlibet, à fortiori poterit vnumquodq; facere, & non facere: vnde etiam si poneremus voluntatem elicientem vnum actum, v. g. amorem Petri, posse elicere odium contrarium, si tamen non posset non amare, vel non elicere odium, nullum ex eis liberè eliceret: ergo indifferentia, & facultas contrarietatis, scilicet ad amorem, vel odium, eatenus dumtaxat ad libertatem cōfert, quatenus includit indifferentiam ad amorem, & non amorem, ad odium, & non *esse* illius, quæ est indifferentia contradictionis: atque adeo hæc sola erit per se constitutiua libertatis.

91. Dices: non potest intelligi indifferentia constitutiua libertatis, nisi per ordinem ad duo exercitia libera, quibus voluntas possit attingere terminos ipsius indifferentiæ: sed hæc duo exercitia necessariò requirunt duos actus positiuos: ergo indifferentia per se libertatis constitutiua,

ctiua; debet esse in ordine ad contraria; & non ad contradictoriè opposita. Maior constat; quoniam prædicta indifferentia non vtcumque est ad terminos oppositos; sed ad attingendum liberè vtrumlibet: quod fieri debet distinctis libertatis exercitijs. Minor verò probatur; nam in quolibet exercitio libero debet importari aliquis actus, qui sit ratio talis exercitij: secluso enim omni actu non possumus intelligere voluntatem liberè se exercere: ergo distincta exercitia in ordine ad terminos oppositos importare debent oppositos actus positiuos, ac proinde contrarios.

92. Ab hac instantia facilè se expediunt, qui dicunt, voluntatem posse libertatem exercere sine actu positiuo per puram omissionem. Verùm quia Ego sententiam istam improbabilem existimo, & § 6 huius dubij contrarium ex professo defendo, ideo aliter respondeo distinguendo minorem, *duo exercitia libera requirunt duos actus positiuos contrarios*: causaliter, & præsuppositiuè, concedo: immediatè, & formaliter, nego. Et simili modo potest distingui prima pars consequentis, & negari absolutè posterior. Quoniam denominatio contradictionis, aut contrarietatis, non ab eo quod eius extrema præsupponũt, sed ab eo quod sũt in seipsis immediatè, & formaliter, desumi debet. Pro cuius intelligentia nota, quòd licèt omissio, seu cessatio ab aliquo actu non possit esse libera, nisi præsupposito alio actu, qui sit causa omittendi; non tamen solus actus est formaliter exercitium libertatis, neq; omissio est libera præcisè per illius exercitium: sed hoc præsupposito, intelligitur seipsa liberè à voluntate egredi proprio, & immediato egressu indirecto negatiuo, distincto ab egressu positiuo actus, qui est causa omittendi, ab illoque, & non ab hoc denominatur immediatè, & formaliter *libera*. Vnde fit ex parte illius extremi indifferentiæ contradictionis, quod est cessatio ab actu, semper importari duplex exercitiũ; aliud præsuppositiuè, quo egreditur actus, qui est causa cessationis: & aliud formaliter, quo egreditur ipsa cessatio: & quia hoc posterius non actum, sed solam carentiam liberam includit, absolutè verum est, prædictã indifferentiã formaliter versari inter extrema, & exercitia cõtradictoriè opposita, scilicet inter actũ & cessationem: inter exercitium positiuum illius, & exercitium negatiuum istius: quamuis hoc negatiuum aliquid positiuum supponat.

93. Respondetur secundò, quòd libertas contradictionis, & libertas contrarietatis, non sic denominantur ab exercitijs liberis formalissimè vt exercitia sunt, sed ab obiectis, quę proponuntur vt liberè attingibilia medijs talibus exercitijs. Vnde quoties ea, quæ se habent vt obiecta, opponuntur contradictoriè, sicut *amare*, & *non amare*, quidquid sit de exercitijs, vocantur indifferentia, & libera *contradictionis*: quæ verò opponuntur contrariè, vt *amare*, & *odio habere*, dicuntur *contrarietatis*. Cuius ratio reddi potest: tum quia per se conuenit potentijs, & actibus sequi conditionem obiectorum, ac proinde iuxta conditiones eorum denominari. Tum etiam quia cum tota ratio indifferentiæ liberæ sit indifferens propositio obiectorum, oportuit vt iuxta horum contradictionem,

ctionem, vel contrarietatem, illa eodem modo denominaretur. Quæ doctrina confirmatur euidenti exemplo ab omnibus Theologis recepto. In Deo enim respectu boni honesti creati solùm conceditur libertas, & indifferentia contradictionis: & tamen hæc indifferentia respicit vtrumque extremum vt attingibile medio exercitio positiuo: positiuè enim diuina voluntas attingit omnia extrema suæ libertatis, & ad omnia est de facto positiuè terminata, volendo esse quod vult; & volendo non esse quod non vult. ¶ Et sic ad argumentum admisso requiri per se ex parte vtriusque extremi libertatis exercitium positiuum, negando tamen est, requiriri per se indifferentiam contrarietatis.

§. V.

Vtrum libertas in actibus liberis voluntatis sit intrinseca: & in quonam consistat?

94. NEgant aliqui libertatem in actibus liberis esse quid intrinsecum, dicuntque solùm esse denominationem extrinsecam prouenientem à libertate intrinsecè existente in voluntate. Ita Suarez, Vazquez, Molina, & alij plures extra scholam S. Thomæ. Quorum præcipua argumenta sunt. *Primò*, quia eo ipso quòd intelligimus actū procedere à potentia libera, hoc est, habente facultatem ad operandum, & non operandum, intelligimus fieri liberè: & in hoc nihil intrinsecum importatur, sed sola denominatio ab ipsa potentia libera: ergo in hac denominatione, & non in aliquo intrinseco libertas actus consistit. ¶ *Secundò*, quia actus potest transire de necessario in liberum sola variatione iudicij intellectus, quæ nihil ponit in actu voluntatis: eo enim ipso, quòd intelligimus iudicium priùs determinatum, fieri indifferens, intelligimus voluntatem priùs operantem cum necessitate, operari liberè: ergo actum esse necessarium, vel liberum non est quid intrinsecum in ipso. ¶ Et *Tertiò*, quia actus non est capax recipiendi in se libertatem: de ratione enim libertatis est indifferētia ad vtrùlibet; actus autem cum sit determinatus ad vnam partem, est incapax huius indifferentiæ: ergo solùm dicitur liber denominatione extrinseca à potentia libera.

95. Hæc tamen sententia falsa est: quia actus denominatur liber libertate actuali; voluntas verò est libera libertate habituali: ergo actus non potest denominari liber à libertāte existente in voluntate.

96. Dico igitur, libertatem in actibus à voluntate elicitis esse respectum quendam intrinsecè illos afficientem, & constituentem liberos. Ita tenent Thomistæ, quorum plures citat Collegium Salmaticense tom. 3. tract. 10. disp. 2. dub. 4. Probatur quia actus liber elicitus dicit intrinsecum respectum ad voluntatem, ex qua procedit secundùm quòd est principium liberum: sed per huiusmodi respectum constituitur sufficienter in esse liberi: ergo libertas in actibus elicitis est respectus intrinsecus ad principium liberum. Minor videtur perspicua, quia respectus ad principium liberū specificatur ab ipso vt libero; sicut respectus ad principiū necessariū specificatur ab eodē vt necessario: ergo per huiusmodi respectum actus sufficien-

ficienter constituitur in esse liberi. Maior verò probatur; quoniam actio ex sua intrinseca ratione est egressus à principio actiuo: ergo actio libera à principio actiuo libero: sicuti actio vitalis à principio viuenti: & actio moralis à principio morali: sed in egressu ab aliquo principio intrinsecè clauditur habitudo & respectus ad tale principium: ergo. ¶ Confirmatur, ideo volitio secundùm substantiam accepta respicit voluntatem intrinseco respectu, quia ipsa voluntas considerata secundùm suam substantiam influit per se in ipsam volitionem: sed voluntas etiam in quantum libera per se influit in illam: ergo volitio libera dicit intrinsecum respectum ad voluntatem liberam. Actus enim elicitus secundùm omnes illas rationes debet respicere intrinsecè suum principium, secundùm quas egreditur ab illo: ergo si voluntas influit in actum liberum non solùm ratione suæ substantiæ, sed etiam ratione libertatis; secundùm vtramque rationem respicitur ab actu.

97. Ex his patet solutio ad argumenta contraria. Et ad primum negatur minor, quia actum elicitum procedere à potentia libera, vt libera, non est in eo denominatio extrinseca, sed verus, & intrinsecus respectus: à quo, & non ab ipsa potentia *liber* denominatur. ¶ Ad secundum dico, quòd quoties actus transit de necessario in liberum, vel è contra, mutatur intrinsecè, quia mutatur habitudo, & respectus intrinsecus, quem dicit ad principium sicut ex parte voluntatis mutatur modus influendi. ¶ Et ad Tertium respondeo, quòd actus non dicitur *liber*, quia est indifferens ad vtrumlibet, sed quia est exercitium potentiæ indifferentis, cui per se, & ab intrinseco conuenit, taliter egredi à potentia, vt non adimat facultatem ad oppositum.

§. VI.

Vtrum vt omissio sit voluntaria, requiratur actus, qui sit causa, vel occasio omittendi?

98. Conclusio est affirmatiua, & communis inter Thomistas quam etiam tenet noster Stephanus Spinula hic disp. 5. sect. 4. Probatur primò, quia vt aliqua omissio sit voluntaria, debet procedere, & oriri à voluntate tanquam eius exercitiũ saltem indirectum: sed à voluntate nequit vllo modo oriri sine actu, qui sit eius occasio, vel causa: ergo vt sit voluntaria, requiritur indispensabiliter talis actus. *Maior videtur certa*, tum quia de ratione voluntarij est, vt sit à principio voluntario: tum etiam quia vt omissio dicatur voluntaria, non sufficit quòd in voluntate sit carentia actus; aliàs omnia, quæ voluntas non facit, diceretur omittere: ergo requiritur quòd aliquo modo à voluntate procedat *Minor verò probatur*, quia nihil potest oriri à voluntate, nisi per ordinem ad suum obiectum specificatiuum, quod est bonum, & finis; atque adeo nisi bonum, & finis moueat, & influat in tale exercitium: sed hæc motio, & influxus non fit, nisi mediò actu, qui sit amor, & prosequutio ipsius boni: ergo, &c. ¶ Confirmatur, omissio vt dicatur voluntaria in actu secundo, & in exercitio, debet oriri à voluntate, inquantum ista habet esse principium voluntarium: sed à principio voluntario

tario vt tali non potest aliquid oriri nisi ex motione obiecti: ergo exclusa hac motione, nequit intelligi ratio voluntarij, siue per modum actus, siue per modum omissionis.

99. Hæc ratio traditur ab aliquibus doctis Thomistis, mihi tamen non placet, quia supponit, quòd motio finis sit actus voluntatis, cuius oppositum ostendi lib. 2. physic. disp. 14. dub. 4. ideo ea relicta, pro vera ratione noto primò, quòd omne voluntarium debet esse aliquo modo volitum: hæc est enim natura voluntatis, vt reflectatur saltem virtualiter supra omne suum exercitium: & ideo quidquid vult, consentit illud velle eo modo, quo vult; & ita cū aliquid voluntariè omittit, vult se omittere, & consentit in omissionem. ¶ Noto secundò, neque directè, neque reflexè posse aliquid esse volitum, nisi inquantum habet rationem boni; fundatur enim amabilitas supra rationē cōuenientis: hoc autē vel est finis, qui amatur propter se, vel medium, quod amatur propter finē, quatenus ad illū cōducit. ¶ Noto tertiò, quòd cum voluntas aliquid omittit, non versatur circa illud, tanquam circa bonum, sed tanquam circa malum: quia omissio est veluti fuga, & recessus, quæ circa malum versantur. Neque ipsa omissio potest apprehendi vt bona secundùm se; cùm enim sit carentia, & *non ens*, nulla bonitas potest in ea apprehendi: vnde non potest secundùm se amari. Potest tamen apprehendi vt vtilis ad aliquem finem, cui contrarietur actus omissus; & amari in ordine ad illum per modum medij, quatenus ad consequendum aliquod bonum delectabile, potest conducere omissio alicuius actus debiti: vt ad delectationem, quæ est in ludo, potest conducere omissio sacri.

100. Ex his formatur secunda ratio pro conclusione sic. Vt omissio sit voluntaria, debet esse aliquo modo volita: at nequit esse volita nisi ex præsupposito amore alicuius finis: ergo nisi huiusmodi actus sit causa omittendi, non erit voluntaria. Cōsequentia est legitima: Maior habetur ex nuper notatis. Minor verò probatur, quoniam omissio secundùm se non habet rationem boni, cum sit carentia, & non ens; sed tantùm potest apprehendi vt bona per modum vtilis ad aliquem finem: ergo solùm potest esse volita propter talem finem, atque adeo ex præsupposito eius amore.

101. Contrariam sententiam tenent Durandus in 2. dist. 35. q. 2. Curiel. 1.2.q.71.art.5.dub.1. & q.6. art.3 dub 1. vbi Salas disp. 2. sect. 5. Suarez disp. 1. sect. 5. Arriaga hic disp. 8. sect. 6. subsect. 4. Ouiedo controuer. 10. punct. 1. §. 3 & alij plures, qui obijciunt primò nobis plura loca S. Th. in quibus expressè asserit, voluntarium indirectum, quod est per omissionem, reduci in voluntatem; non sicut in agentem, sed sicut in non agentem: si autem prædictum voluntarium afferret actum, reduceretur in illam, sicut in agentem talem actum; ergo &c. ¶ Resp. voluntarium indirectum non esse à voluntate sicut ab agente, sed sicut à nonagente: quoniam licèt voluntas prius debeat agere, quàm voluntariè omittat, ipsum tamen *omittere*, non est formaliter *agere*; sed est quoddam *non agere* occasionatum ex priori actione, media qua prædictū *non agere* reducitur ad voluntatem.

Ob.

102. Ob. 2. Voluntas est libera non solùm libertate contrarietatis, quæ est ad oppositos actus, sed etiam libertate contradictionis, ad actum, & *non esse* illius: ergo sicut potest se liberè exercere per actum, nullam exercendo omissionem, ita poterit per omissionem nullum eliciendo actum: aliàs si in quolibet eius exercitio includeretur actus, libertas ex vtraque parte respiceret semper extrema positiua contraria, non verò præcisè contradictoria: atque adeo nunquam esset libertas solius contradictionis. ¶ Ad hoc argumentũ responsum est supra §. 4. numer. 92. & 93.

103. Ob. 3. Si Deus alicui præciperet, vt exerceret aliquem actum indeterminatè, & vagè, tale præceptum non posset aliter violari, nisi per puram omissionem: ergo est possibilis talis omissio. Probatur antecedens; nam cum prædictum præceptum esset de aliquo actu vagè, per quemcunque adimpleretur: ergo si debet violari, nullus debet adesse actus. ¶ Respond. præceptum non posse dari de quocumque actu: quia saltem debet determinare, ne sit malus ex obiecto; eo quòd huiusmodi actus sub nullo præcepto potest cadere. Vnde quodcumque preceptum affirmatiuum à Deo imponatur, poterit violari, etiam si non sit possibilis pura omissio: quia poterit is, cui imponitur, exercere actum malum impeditiuum cuiuscumque non mali.

104. Ob. 4. Potest Deus stante cognitione præcepti suspendere omnem prædeterminationem ad actum voluntarium: qua sublatâ neque voluntas adimplebit preceptum, neque exercebit actum, qui sit omissionis causa, vt est per se notum: ergo saltem in hoc casu dabitur omissio voluntaria, & peccaminosa sine actu. Patet consequentia, quoniam ad omissionis peccatum sufficit, vt voluntas possit, teneatur, & non faciat: quæ omnia adessent in prædicto casu: siquidem prædeterminatio quæ sola deficeret, ad nullum eorum spectat, sed supponit tam *posse*, quàm præceptum. ¶ Confirmatur, quia in prædicto casu non est, vnde homo excusaretur à peccato omissionis: si enim defectus prædeterminationis à malitia omissionis excusaret, nunquam homo peccaret omittendo; quippe dum ommittit, semper ei negatur prædeterminatio ad adimpletionem præcepti.

105. Respondetur admittendo casum de lege Dei absoluta (licèt de lege ordinaria repugnet talis suspensio) & negando consequentiam. Ad cuius probationem dico, ad voluntarietatem, & malitiã omissionis aliquid requiri vltra *posse, teneri*, & *non facere*, scilicet actuale exercitium voluntatis, ratione cuius illud *non facere* ab ea sit. Vnde quia prædictum exercitium necessariò petit incipere ab actu, id circo ablata præmotione ad omnem actum voluntatis, omne eius exercitium, ac proinde omne voluntarium siue actus, siue omissionis, debet necessariò suspendi. Neque aliter quoad præsens Philosophandum est de necessitate, aut suspensione præmotionis, quàm de necessitate, vel suspensione actus, pro quo exhibetur. ¶ Ad confirmationem autem respondeo, vt omissio imputetur, sufficere præmotionem ad materiale actus impeditiui adimpletionis, licèt ad actum omissum non detur. Secus si suspenderetur

vtraque præmotio, & nullus esset actus.

DISPVTATIO VIII.

De habitibus potentiarum Animæ rationalis.

DVBIVM PRIMVM

An dentur habitus, qui simul cum potentia efficiant actum?

1. A Prima parte huius dubij facilè me expedio, cum extra controuersiam sit, & ex communi Philosophorum consensu, quòd dentur aliqui habitus, & probatur experientia; Experimur enim vsu, & consuetudine actuum acquirere nos facilitatem in operando: quæ facilitas cum realis quidam effectus in nobis sit, ac permaneat transactis actibus, aliquam formam realem, & permanentem requirit, quæ in nobis sit, cum antea non esset; hanc autem vocamus habitum: ergo experientia constat, esse in nobis habitus.

2. Ratio autem à priori est: quia potentia ex se potens, & indifferens ad varios actus, non habet totam determinationem, & propensionem, quam habere potest ad aliquem actum: quia ergo natura intendit optimum operandi modum, iuxta vniuscuiusque rei capacitatem, & hæ potentiæ non possunt habere ex natura sua innatam totam virtutem necessariam ad operandum singulos suos actus cum tota promptitudine, & facilitate, ideo aptitudinem, & vim aliquam à natura habent, vt saltem vsu, & exercitio actuum possint huiusmodi facilitatem acquirere.

3. Circa verò secundam dubij partem Prima sententia negat, habitum propriè efficere actum, sed solùm (ait) per modum cuiusdam dispositionis esse conditionem quandam, qua posita sola potentia faciliùs exercet actum. Ita Durandus in 3. dist. 23. qu. 2. 3. & 4. Paludanus ibidem q. 2. & alij. Fundamentum eorum est: quia nihil est in actu, quod per se possit fieri ab habitu: ergo habitus non est principium per se effectiuum actus. Probant antecedens, in actu considerare possumus, aut substantiam eius, aut intensionem, aut facilitatem, seu promptitudinem: sed nihil horum potest esse ex efficientia habitus: ergo. Minorem probauit quoad singulas partes; nam substantia actus fit à sola potentia, tum quia ipsa habet ad hoc sufficientem virtutem, vt satis constat ex actibus, qui habitum præcedunt, qui sunt eiusdem substantiæ: tum etiam quia hi habitus non ponuntur propter substantiam actus: agimus enim de acquisitis, qui in hoc differunt à per se infusis. Eadem ferè ratio est de intensione, quia potentia ex vi habitus non potest facere actũ intensiorem; quin potius sicut habitus supponit actum, à quo fiat, ita habitus intensus supponit actum intensum à quo intendatur: ergo potentia est sufficiens principium totius intensionis actus. Facilitas verò vel promptitudo, quod idem est, non est aliqua entitas realis, sed denominatio quædam proueniens ex parte operantis, quatenus expeditior est ad operandum: ergo ratione facilitatis non potest habitus per se influere in actum: ergo nihil est in actu, quod per se possit fieri ab habitu.

4. Nihilominus dicendum est, habitum

bitum

bitum simul cum potentia efficere actum. Hæc est sententia D. Th. 1. 2. q. 94. art. 3. in corpore, adiuncta solutione ad primum, & q. 51. art. 2. ad 3. Caietani ibidem, & omnium ferè Doctorum. Probatur ratione: quia habitus confert potentiæ, vt faciliùs, promptiùs, & maiori propensione efficiant actum: sed non potest hoc præstare nisi quia iuuat potentiam ad actum efficiendum: ergo simul cum ipsa potentia verè per se efficit actum. Maior ab omnibus admittitur, & experientia constat. Minor verò probatur; quia non potest intelligi, quomodo habitus iuuet potentiam, nisi cum illa efficiendo, neque etiam quomodo illi conferat facilitatem in agendo, nisi illam iuuando. Quod præterea ita ostendo, nam quatuor modis intelligi potest, iuuari agens ab alio ad faciliùs operandum. *Primò*, auferendo impedimenta. *Secundò*, ex parte passi illud meliùs disponendo. *Tertiò* augẽdo virtutem eius actiuã. *Quartò*, conficiendo cum eo. Habitus autem non potest solùm primo modo iuuare potentiam, quia sæpe nullum est impedimentum quod auferat, vt scientia v. g. non iuuat tollendo errorem, vel aliquid simile, sed tollendo ignorantiam priuatiuam, quod non est tollere, sed ponere formam, quæ per se conferat ad opus: ergo causalitas habitus in actu non potest intelligi per solam ablationem impedimenti. Neq; potest solùm secũdo modo iuuare potentiam, quia ibi nõ est necessaria dispositio, remouẽs contrarias dispositiones, quia per se loquendo nullæ sunt huiusmodi dispositiones in tali potentia: neque interuenit ibi dispositio per se vniens actum cum potentia, nam ipsa potentia per se nudè considerata, vnitur actui antequam habeat habitum. Vnde propter hanc solam dispositionem nulla esset necessitas talium habituum.

5. Relinquitur ergo, non posse habitum iuuare, & facilitare potentiam ad actum, nisi augendo virtutem per se effectiuam talis actus. Non auget autem ipsam virtutem potentiæ quasi intendendo illam, quia potentiã in se est indiuisibilis, & intrinsecè intendi, & augeri non potest. Ergo habitus auget per se virtutem effectiuam actus per additionem seu multiplicationem virtutis, quia nimirum ipsemet actuat potentiam vt virtus influens per se in actum.

6. Superest verò explicandum, quid efficiat habitus in actu. Multorum enim sententia est efficere modum eius, non substantiam. Illum autem modum quidam putant esse maiorem intensionem ipsius actus. Alij dicunt modum illum esse facilitatem actus. Sed vtraque sententia est falsa. Vnde dico cum Caietano, & alijs, habitum efficere substantiam actus. Et probatur; quia si habitus non efficiat substantiã actus, nihil est quod in actu possit efficere: nam si quid esset, maximè intensio: siquidem facilitas, vel promptitudo non est modus physicus ipsius actus, sed denominatio quædam ab agente habente maiorem virtutem ad operandum. Sed intensionem habitus efficere non potest, nisi simul efficiat substantiam actus: ergo.

7. Dices: Si habitus efficit actum quoad substantiam: ergo est vera potentia, cum sit principium agendi rem quoad substantiam eius. Resp. negando consequentiam, quia habi-

tus licèt influat in substātiam actus, habet tamen proprium modum virtutis, & influxus, in quo deficit à ratione potentiæ; nam potentia in ratione principij proximi est prima facultas ad operandum, habitus verò intrinsecè, & natura sua supponit priorem facultatem, quam afficiat, & à qua suo modo applicetur ad agendum. Vnde habitus talis virtus est, talemque modum efficiendi habet, vt per se solus nihil possit efficere absque potentia: neque etiam anima possit illo immediatè vti ad operandum, sed tantùm mediante potentia. Hac ergo ratione non est potentia, etiam si cum illa aliquo modo conueniat in eo, quod est, habere virtutem agendi.

8. Dices secundò. Vel potentia, & habitus concurrunt vt causæ totales, vel vt partiales: neutrum dici potest: ergo. Respondeo potentiam & habitum concurrere vt principia partialia: nam quando actio ab eis procedit, etiam si tota fiat à singulis, à neutra tamen fit totaliter, quia ita fit ab vna, vt pendeat ab alia, & è conuerso.

9. Dices tertiò. Si habitus concurrit ad substantiam actus, nulla esset differentia inter habitus acquisitos, & per se infusos. Resp. negando sequelam, quia habitus acquisitus non est tota efficacitas proxima; at verò habitus infusus est tota efficacitas proxima, itavt potentia non proximè, sed tantùm radicaliter concurrat, quia virtutem proximam non habet.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum habitus scientiæ sit qualitas distincta ab speciebus obiectorum.

10. SVPER hac difficultate est duplex sententia. Prima asserit, scientiam habitualem nihil aliud esse, nisi congeriem quandam specierum intelligibilium, quatenus ordinatæ sunt, non autem qualitatem distinctam à prædictis speciebus. Ita tenent Soncinas 6. met. q. 9. Conradus 1. 2. q. 52. art. 3. & aliqui recentiores, inter quos noster Stephanus Spinula in libris de anima disput. 2. sect. 2. quorum fundamentum est: quia intellectus hominis cum sit potentia naturaliter operans, non videtur indigere alio habitu præter species intelligibiles: nam si illæ sufficienter repræsentant obiectum, intellectus naturaliter assentit; si verò insufficienter repræsentant, vel non potest præbere assensum, vel non nisi iuxta sufficientiam specierum: ergo impertinens est alius habitus, præter species obiectorum sufficienter propositas, & rectè coordinatas.

11. Secunda, & vera sententia docet, generari in intellectu proprios habitus distinctos ab speciebus intelligibilibus, inclinātes ipsum ad proprios actus. Et hæc est opinio magis recepta in scholis, quem tenet Caiet. 1. 2. q. 54. art. 4. Ferrara 1. cont. gent. cap. 56. & omnes recentiores Thomistæ. Sumiturq; ex D. Th. pluribus in locis; nam 1. 2. q. 51. art. 2. & 3. dicit, habitus intellectuales acquiriri per actus intellectus; & q. 53. art. 4. ad 3. dicit, habitum scientiæ perfici per actū, cum ad nouas conclusiones extenditur

tur, & non generari tunc alium habitum. Species verò intelligibiles non fiunt per actus, sed potius ipsæ species sunt principia actuum, & quando scientia extenditur ad nouas conclusiones, certum est acquiri nouas species intelligibiles.

12. Prob. ratione; quia species intelligibilis non requiritur ex parte potentiæ, sed ex parte obiecti, & est simpliciter necessaria ad operationem, & non tantùm ad melius esse: habitus verò acquisiti, de quibus loquimur, non se tenent ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ, neque sunt simpliciter necessarij, sed solùm facilitant, & promptam reddunt potentiam ad operandum: ergo habitus non sunt idem cum speciebus. §. Confirmatur, quia intellectus initio in ferendo iudicio difficultatem patitur, etiam post acquisitas species obiectorum: post consuetudinem verò, vel frequentiam actuum magnam experitur facilitatem: ergo signum est, habitum esse quid distinctum ab speciebus. §. Confirmatur secundò, quia species intelligibiles secundùm se sumptæ solùm repræsentant res simplices, & incomplexas: ergo ex solis illis, vel ex quacumque collectione earum, non fit homo sciens; sed ex facilitate & promptitudine vtendi conuenienter his speciebus, & componendi, ac discurrendi, & præsertim iudicandi, de rebus apprehensis, seu repræsentatis per illa.

13. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ respondetur, quòd quamuis intellectus sit potentia naturaliter agens, & ex parte specierum res repræsentata sit euidens, tamen ante habitum acquisitum non potest quis præbere assensum scientificum conclusioni, nisi adhibita formali & expressa demonstratione; tamen post acquisitum habitum nō semper indiget illo formali discursu, sed proposita tali veritate, statim ex habitu illi præbet assensum euidentem. Et siquis postea velit demonstrationem applicare, etiam ad hoc erit vtilis habitus, vt multò promptiùs & faciliùs possit vti speciebus ad applicandum proprium medium, quo talis veritas demonstranda est.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrum habitus scientiæ sit vna simplex qualitas?

14. NEgant Suarez disp. 44. met. sect. 11. & recentiores omnes, inter quos noster Stephanus Spinula in logic. disp. vlt. sect. vlt. Nihilominus dicendum est, scientiam totalem esse vnum habitū simplicem in ordine ad omnia, ad quæ se extendit. Hæc conclusio est expressa S. Th. 1. 2 q. 54. art. 4. in corpore, vbi sic ait: *inde est, quòd habitus est qualitas simplex, non cōstituta ex pluribus habitibus, licèt ad plura se extendat, non enim vnus habitus se extendit ad multa, nisi in ordine ad vnum, ex quo habet vnitatem.* S. Thomam sequuntur Ferrara, Caietanus, Soto, & alij, quos citant Ioannes à S. Th. in logic. q. 27. art. 2. & Ioannes Martinez in Metaphysic. controuer. 2. art. 4. § 3.

15 Prob. primò à simili; quia potentia est vna simplex qualitas, vt patet in potentia visiua, & intellectua, licèt se extendat ad actus specie diuersos eliciendos; & similiter habitus infusus est simplex qualitas, vt fides, & charitas, licèt habeant distinctas difficultates vincendas in di-

uersis

uersis materijs, & actibus; sicut fides destinctam difficultatem habet in credendo vnum articulum, quàm alium, vt dicitur 2.2. q. 1. art. 6. & charitas distinctam difficultatem habet in diligendo inimicum, quàm amicum: ergo nulla apparet repugnantia, quòd in scientijs totalibus vna simplex qualitas attingere possit omnia, quæ in ea scientia sunt.

16. Resdondent Aduersarij assignando discrimen, quia potentiæ, & habitus infusi non acquiruntur actibus: sed producuntur, vel infunduntur à Deo vel, à generante: sciẽtia verò acquiritur actibus. Sed cõtra: quia vis nostræ rationis stat in hoc, quòd si potentia, vel habitus infusus se extendit ad plura, & tamen est simplex qualitas, sic scientia potest se extendere ad omnes actus, qui cadunt sub obiecto specificatiuo ipsius, & esse simplex qualitas. Quòd autem potentia vel habitus infusus non acquiratur nostris actibus, scientia verò acquiratur, non soluit argumentum, nam hoc solùm pertinet ad modum, quo producitur effectiuè potentia, vel habitus, non autem ad formalem, & intrinsecam rationem, vndè sumitur vnitas, & distinctio specifica.

17. Prob. secundò ratione à priori, quam significat D. Th. loc. cit. dicens quòd *vnus habitus nõ se extendit ad plura, nisi in ordine ad vnum, ex quo habet vnitatem*: ergo in vna scientia totali, v. g. in Physica, vel Metaphysica, vbi diuersæ cõclusiones, & veritates ostenduntur per diuersa media, ita ordinantur inter se, vt omnes conueniant in vna ratione formali in genere scibilis: sed impossibile est, quòd ex parte obiecti reluceat vnica ratio formalis in genere scibilis, & quòd ex parte scientiæ non correspondeat vnicus modus cognoscendi tale obiectum: ergo talis ratio scibilis dicens vnam rationem formalem repertam in pluribus materialiter diuersis, attingi potest ab vna simplici qualitate per eundem modum attingibilitatis.

18. Confirmatur, quia ratio obiecti secundùm rationem formalem in esse obiecti, & in genere scibilis, aliquid reale specificat; siquidem potentiæ, & habitus non specificantur in esse rei, sed in esse obiecti: sed id, quod specificatur ab obiecto, est aliquis habitus, seu qualitas, quæ suam intrinsecam specificationem habet dependentem à tali obiecto in esse obiecti: ergo implicantia in terminis est, quòd scientia sit vna in genere scibilis, & non in genere qualitatis, & habitus; siquidem qualitas, & realitas ipsa est, quæ specificatur in sua intrinseca entitate ab obiecto in esse obiecti.

19. Prob. tertiò ex impossibili; quia si habitus scientiæ esset conflatus ex pluribus qualitatibus, illæ qualitates, ex quibus conflatur, nõ possunt distingui solo numero, quia duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto; subiectum autem esset idẽ, scilicet intellectus. Neque possunt distinqui specie, quia respiciunt idẽ obiectum formale, & scientia totalis est vna in specie athoma. Rursus istæ qualitates nõ possunt vniri per continuationem, quia hoc est proprium quantitatis: nec per modum actus, & potentiæ, quia ambæ qualitates sunt actus; & quod in vno ordine est actus, non potest in eodem

dem ordine habere rationem potentiæ: ergo earum vnio est impossibilis, & consequenter impossibilis etiam est, quòd scientia sit habitus conflatus ex pluribus qualitatibus.

20. Ob. 1, in quacumque scientia totali sunt plures demonstrationes specie distinctæ: sed quælibet demonstratio nata est generare sciẽtiam: ergo si sunt demonstrationes specie distinctæ, generabunt habitus specie distinctos. ¶ Respondetur, quòd in scientia totali demõstrationes quæ versãtur circa diuersas conclusiones, dicuntur diuersæ speciei materialiter, non formaliter, quia versantur circa materias in esse rei diuersas, sub eadem tamen formali ratione attingibiles; sicut in homine oculus & manus differunt specie, non ex parte formæ qua informantur, sed secundùm materialẽ distinctionem organi.

21. Ob. 2, in cognoscenda secũda vel tertia demonstratione potest dari noua difficultas: ergo requiritur nouus habitus saltem partialis; quia habitus dantur ad vincendas difficultates, & sic vbi est distincta difficultas, est distinctus habitus. ¶ Respondetur, quòd in habitibus sciẽtificis, & virtutibus datur duplex difficultas, alia accidentalis, alia essentialis. Essentialis est ex defectu rationis formalis, seu inclinationis ad obiectum formale virtutis, vel scientiæ. Accidentalis est ex defectu applicationis ad materiam, siue ex defectu exercitij, aut ex aliqua circumstantia accidentali tenente se ex parte operantis, quæ reddit difficiliorem operationem circa talem materiam, & talis difficultas etiam in habitibus infusis reperiri potest, quos tamen oppositi auctores fatentur esse simplices qualitates, sicut charitas potest habere difficultatem ex parte operationis in diligendo inimicum, & non in diligendo amicum; & Fides in assentiendo vni articulo potius, quàm in assentiendo alteri; & tamen ad vincendas istas difficultates non requiritur noua qualitas seu habitus: similiter ergo scientia, & habitus acquisiti, licèt dentur ad vincendas difficultates, non tamen quælibet difficultas in indiuiduo petit distinctũ habitum, sed ex vna ratione formali specificante habitum possunt diuersæ difficultates accidẽtales vinci.

22. Ob. 3. Quando fit secunda demonstratio in aliqua scientia, habitus præexistens augetur realiter per talem extensionẽ erga aliud obiectum: ergo per aliquid reale de nouo superadditum: hæc autẽ realitas nõ potest esse aliud, quã realitas aliqua, quæ cum præexistenti habitu non potest non constituere aliquod tertium, quod sit qualitas vna ex duabus conflata: ergo &c. Primum antecedens manifestũ est, quia per secundam demonstrationẽ habitus præexistens formaliter, & actu se extendit ad id, ad quod antea nõ extendebatur: ergo augetur extensiuè. Prima verò consequentia, scilicèt quòd augmentum fiat per additionẽ alicuius entitatis realis probatur; quia D. Th. 1. 2. q. 51. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. ponit differentiam inter augmentum intensiuum, & extensiuum, quòd augmẽtum extensiuum fit per nouam additionem realitatis, at verò augmẽtum intensiuum non fit per aliquam nouam realitatem superadditam: ergo aliquid cõceditur augmento extensiuo, quod negatur augmento in-

intensiuo: sed de augmento intensiuo in schola D. Th. solùm negatur, quòd fiat per additionem nouæ entitatis: ergo conceditur augmento extensiuo quòd fiat per illam.

23. Respondetur augmentū habitus quantum ad extensionem nō fieri per additionem realitatis, sed per eandem formam de nouo applicatam ad distinctam materiam; sicut eadem anima extenditur ad informandam nouam partem materiæ sine additione nouæ entitatis informantis, sed distinctæ entitatis informabilis. Itaque ista additio, & augmentum fit per additionem extrinsecam, non intrinsecam: ad distinctionem augmēti intensiui, quod solùm fit per radicationem maiorē in eodem subiecto, & nullam additionem dicit, quia nec nouum subiectum addit, nec nouum obiectum attingit, sed maiorem actualitatem in eodem subiecto.

24. Ob. 4. Hoc augmentum producitur de nouo per causam realem, & habet in ipso intellectu nouū effectum realem, scilicèt reddere inclinatum & facilitatum intellectum proximè, & formaliter ad aliquod obiectum, seu conclusionem, ad quod antea non reddebat; & consequenter realiter immutat ipsā sciētiam præexistentem perficiendo illam: ergo est augmentum nouæ realitatis. Respondetur quòd facta additione extensiua iam explicatā, redditur habitus magis perfectus, & intellectus magis facilitatus erga talia obiecta, non per aliquam nouā qualitatem, sed per nouam applicationem præexistentis ad nouam materiam; quia de se ille habitus præexistens, est inclinatio ad omnia, quæ continentur sub suo obiecto formali; quòd verò proximè, & in actu non inclinet ad talem, vel talem materiam, non prouenit ex defectu habitus, sed ex defectu materiæ, vel subiecti, quatenus non dum habet species, nec ex parte subiecti exercitium, quod pertinet ad applicationem, sine qua ipse habitus non est sufficienter applicatus, vt ipse habitus æquali facilitate inclinare possit in illas, quod exemplo fidei de nouo inclinantis in noua credibilia ab Ecclesia proposita, ad quæ actu non inclinabat, manifestè monstratur. Itaque quando primò generatur habitus per aliquam demonstrationem, generatur essentialis, & formalis facilitas ad omnes actus & obiecta sub tali ratione formali contenta; per secundam verò, vel tertiam demonstrationem non generatur noua facilitas essentialis, sed accidentalis difficultas tollitur ex parte subiecti, & applicationis materiæ.

25. Quod verò dicitur, secundā vel tertiam demonstrationem esse nouum actum, & postulare nouum effectum. Respondetur habere quidem nouum effectum, non quia nouum habitum entitatiuè producat, sed quia præexistentem reddit perfectiorem, vt dicit D. Th. 1. 2. q. 54. art 4 ad 3. *Fieri autem perfectiorem (inquit) est ad plura se extendere.* Iste ergo est nouus effectus in rerum natura; sicut quando Fides extenditur ad noua credibilia, vel anima ad diuersas partes materiæ informandas. Nec est necesse, quòd omnis actio sit productiua nouę formæ, sed sufficit quòd sit applicatiua, vel vnitiua, vt in exemplis adductis patet.

26. Ob. 5. Non potest qualitas indi-

indiuisibilis quantũ ad aliquid amitti, & quantum ad aliquid manere: sed constat, quòd habitus scientiæ quantum ad secundam vel tertiam conclusionem, remanente demonstratione primæ, patest amitti: ergo non potest esse idem habitus, qui inclinat ad primam, & ad secundam, & tertiam demonstrationem. ¶ Respond. quòd qualitas indiuisibilis, & simplex, quando virtualiter est multiplex in extensione, vel intensione, potest amitti quantum ad nouã perfectionem, seu applicationem erga illa, ad quę se extendit, nulla amissione facta circa entitatem; sicut anima desinit informare aliquas partes materiæ sine amissione alicuius entitatis ipsius animæ.

DVBIVM QVARTVM

Quid sint habitus in volũtate existẽtes

27 EST omnino certum interPhilosophos, dari habitus naturales in voluntate, inclinantes illam in hęc, vel illa obiecta, ex quibus oritur, quòd voluntas faciliùs prosequatur aliquod obiectum post frequentationem actuum, quàm antea. Difficultas est, an huiusmodi facilitas proueniat à qualitate aliqua physica existente in voluntate; an verò à viuidis cognitionibus bonitatis obiectorum, & à speciebus experimẽtalibus, à quibus oriuntur prædictę cognitiones.

28. Hoc posterius afferunt aliqui Recentiores, inter quos Ouiedus hic contr. 14. punct. 3. §. 2. noster Stephanus Spinula disp. 6. sect. 3. & quidam Iunior è Societate Iesu, qui adeo huic opinioni adhæret, vt quãuis prædeterminationem physicam alias neget, ore tamen proprio fatetur, se prædeterminatũ omnino esse ad sequendam opinionẽ istam, dicitque contrariam sententiam esse prorsus improbabilem.

29. Dicendum tamen est, cũ cõmuni sententia Doctorum, habitus naturales voluntatis consistere in qualitate ipsi voluntati superaddita, & per frequentatos actus acquisita. Prob. conclusio, simul destruendo fundamentum oppositum; quia magna facilitas, & inclinatio, quam post frequentatos actus experitur volũtas ad similes actus exercendos, non potest refundi in viuidam cognitionem bonitatis obiecti: ergo refundi debet in qualitatẽ iam dictam in volũtate existentem. Consequentia patet, quia non potest assignari aliud quidpiam, in quod refundatur. Antecedens verò prob. quia qui operantur ex habitu, ordinariè operantur cum modica cognitione obiecti, & nihilominus experiuntur in exercitio suarum operationum facilitatem magnam, quam initio non experiebantur: ergo hæc magna facilitas, & inclinatio, nõ potest refũdi in cognitionem bonitatis obiecti, sed in qualitatem productam ab ipsis actibus frequentatis.

30. Confirmatur, quia cognitio bonitatis obiecti quantumuis viuida sit, non potest repræsentare, nisi illã bonitatem, quæ de facto reperitur in obiecto, vel quam quis expertus est in tali obiecto. Si n. repræsentaret maiorem bonitatem, non repræsentaret bonitatem obiecti, sed aliam fictam bonitatem, quod est contra suppositum. Ergo eadẽ bonitas, quę repræsentatur voluntati initio, vel post primum actum experimentalẽ, repræsentatur post actus centies, & millies repetitos; nam illi centũ vel mille actus non experti sunt maiorẽ delectabilitatem ea, quæ est in obiecto, quam primus actus expertus est.

Sed initio post primum actum experimentalem voluntas nō habebat facilitatem prorumpendi in similes actus, post verò centum, vel mille actus repetitos habet illam facilitatem: ergo talis facilitas non oritur ex viuida cognitione obiecti, sed à qualitate illa physica per frequentatos illos actus acquisita.

31. Confirmatur secundò; quia id, quod mouet voluntatem, nō est cognitio bonitatis, sed bonitas cognita, nam bonitas, & non cognitio est obiectum illius: ergo maior cognitio eiusdem bonitatis non magis mouet, & inclinat voluntatem.

32. Ex his patet, Aduersariorū fundamentū sistere solùm in verbis, nullamque efficaciam habere; nā vel per viuidiorem cognitionem bonitatis obiecti habetur cognitio maioris bonitatis obiecti, vel maior cognitio eiusdem bonitatis obiecti: primum non potest dici, quia vt ostēsum est, eadem bonitas, quæ ostenditur per primum actum experimētalem, ostenditur post mille actus repetitos. Si secundum, casus imprimis est impossibilis, quia maior cognitio bonitatis obiecti, est cognoscere maiorem bonitatē in obiecto: ergo non potest stare maior cognitio bonitatis cum eadem bonitate. Deinde adhuc eo admisso, nō vrget, quia id quod mouet voluntatem, & in quod ipsa voluntas inclinat, non est cognitio, sed bonitas: ergo si est eadem bonitas, etiam si sit maior cognitio, non propterea habetur maior inclinatio voluntatis. Videat modò ille Iunior si sententia nostra sit improbabilis, & si rationabiliter an ex passione verba illa protulerit.

DISPVTATIO IX.

De Anima separata.

1. Licèt consideratio animæ rationalis separatæ à corpore, & omnium quæ ex ratione illius status ei cōuenire possunt, per se pertineat ad considerationem primæ philosophiæ, potius quàm ad naturalē, quia hæc solùm agit de anima rationali secundùm quod cōstituit hominem, estque pars illius; placuit tamen de ea sic considerata aliqua breuiter tradere, ne Philosophus ad illius perfectam cognitionem assequendam expectare cogatur alterius scientiæ explicationem. Quærimus igitur primò, An talis status sit ei naturalis? Negant aliqui, dicuntque ei esse violentum. Et primum, scilicet quòd status separationis non sit animę naturalis, probant sic: Id est naturale alicui, quod natura eius appetit, vel in quod inclinatur, vt est naturalis terræ motus deorsum, & est naturale materiæ coniungi formæ, vel eam recipere: sed anima rationalis nec appetit esse separatam à corpore, nec in talem separationē inclinatur: ergo status separationis non est ei naturalis. Minorem probant; quia separari à corpore est malum cōpositi, cuius anima est pars: ergo non potest anima appetere talem separationem, & in eam inclinari.

2. Quòd verò prædictus status sit animæ violentus, probant duplici argumento. *Primò*, quia violentum est illud, quod est contra naturalem inclinationem, & appetitum rei: sed animam esse separatam à corpore est contra naturalem inclinationem, & appetitum, quem habet informandi corpus, & componendi cum eo totū: ergo status separationis à corpore est ei violentus. *Secundò*, quia contra natu-

naturam rei est priuari perfectione sibi naturaliter debita: sed per separationem à corpore priuatur anima perfectionibus sibi debitis, nempe communicare se corpori, & in eo esse principipium vegetandi, sentiẽdi, & intelligendi, quæ maximam perfectionem eius important, & quibus carere in statu separationis manifestũ est: ergo status ille violẽtus erit.

3. Dicendum tamen est, statum separationis non esse animæ violentum, sed naturalem. *Primum probo*, quia si status separationis esset animæ violentus, sequeretur naturale ei fore post separationem iterũ vniri corpori: quemadmodum, quia lapidi violentum est detineri in loco superiori, naturale est ei sic detento moueri deorsum: sed animam separatam iterum vniri corpori, est corpus ipsum mortuum, & hominem iam per mortem extinctum resurgere: ergo resurrectio mortui hominis esset naturalis, quod est plusquam falsum, pluraque absurda continens. *Probo secundum, scilicet quòd talis status sit naturalis Animæ*; quia anima rationalis natura sua est immortalis, & perpetua ergo naturaliter est ei debita perpetua cõseruatio in proprio esse: sed non potest naturaliter conseruari proprium eius esse in corpore, quia corpus, quod naturaliter informat, est corruptibile: ergo debita est ei naturaliter cõseruatio corrupto corpore: sed conseruari corrupto corpore, est conseruari separata à corpore: ergo naturaliter debita est ei à corpore separatæ conseruatio in proprio esse: quod est, statum separationis à corpore esse ei naturalem.

4 Hæc autem sentẽtia colligitur ex D. Thoma, qui expressè docet, quòd sicut anima in statu præsentis vitæ habet modum intelligendi per conuersionem ad phantasmata; ita post huius vitæ statum habet alium modum intelligendi sibi connaturalem. Ex quo ita arguo; modus operandi sequitur modum essendi: sed anima separata habet modum operãdi sibi connaturalem: ergo habet etiã ex mẽte D. Th. per locum ab intrinseco modum essendi sibi connaturalem, quod est statum illum separationis esse ei connaturalem.

5. Ad contraria autem argumẽta respondeo, quòd status separationis non est connaturalis animæ rationali ex inclinatione, & appetitu, sed ex consequenti, seu ex naturali consecutione. Quòd verò in eo statu nõ habeat aliquas perfectiones, quæ ei in statu coniunctionis conueniunt, nihil refert, quia perfectiones illę in statu illo non sunt debitæ, sed habere modum essendi, & operandi substantijs spiritualibus completis similem, ei debetur.

6. Secundum quæsitum est: An anima separata habeat appetitũ naturalem informandi corpus? Resp. negatiuè; Ita tenent Ferrara 2. cont. gent cap 60 Bannez 1. p. q. 76. art. 1. dub. 5. & alij Prob. quia appetitus naturalis respectu cuiuscumq; termini, vel actus, naturaliter expleri potest; alioqui erit frustra: ergo aptitudo ad informandum, quæ nomine appetitus intelligitur, si naturalis est, dicit intrinsecum ordinem ad agens naturale, per cuius virtutem actiuam naturalem expleatur: sed nõ datur in totã natura agens, cuius virtute actiua possit anima separata iterum vniri corpori, ipsumque informare: ergo nec in anima ipsa potest poni talis appetitus naturalis ad informandum corpus. ¶ Confirmatur

 quia

quia si anima separata haberet naturalem appetitum ad informandum iterũ corpus, debita esset ei reunio, quia appetitus naturalis nõ versatur, nisi circa rẽ naturaliter debitã appetenti: sed reunio non est ei naturaliter debita: ergo anima separa non habet appetitum naturalem ad illam.

7. Tertium quæsitum est: Quænam potentiæ, qui habitus, quæ species, & quinam modi cognoscendi sint in anima separata? Dicendũ est primò, nullam potentiam organicam, aut corpoream permanere in anima rationali separata à corpore. Ità sentiunt omnes. Et ratio conclusionis est manifesta; quia omnes istæ potentiæ sunt in coniuncto ex anima & corpore, aut aliqua eius parte, tanquam in proprio subiecto, vel organo: ergo dissoluta vnione animæ & corporis desinit esse coniunctum illud, & ex cõsequenti potentia, quæ ei vt subiecto inhærebat: ergo in anima separata non est.

8. Dicendum est secundò, in anima separata permanere omnes potentias spirituales, vt sunt intellectus agens, possibilis, & voluntas. Ratio huius est: quia omnes istæ potentiæ sunt in anima tanquàm in subiecto proximo, & adæquato; & nulla earum est organica, vel corporea: ergo à sola anima pendent, cuius sunt accidentia, & non à corpore: ergo licèt dissoluatur vnio animæ cum corpore, & coniunctum pereat, ipsæ perire nõ possunt, sed in anima separata permanẽte permanẽt.

9. Dicendum est tertiò, permanere in anima separata omnes species intelligibiles, omnes habitus scientiarum, & virtutum, quas habuit in statu corporis, atque etiam vsum specierum omnium. Ità D. Th. 1. p. q. 89. art. 5. & 6. 1. 2. q. 53. art. 1. & 2. Et ratione probatur; quia omnia ista subiectantur immediatè in potentijs spiritualibus animæ, quæ in statu separationis remanent; & in eo statu non est aliquid, à quo corrumpi possint. Specierum autem vsus ibi non est per dependentiam à phantasmatibus, quia anima separata sicùt habet aliũ modum essendi, ità habet alium modum intelligendi. Dubium est, an habeat solas species, quas acquisiuit in corpore, & per eas tantùm cognoscat, vel nouas alias recipiat per infusionem à Deo, eidem statui separationis cõgruentes, & ità per vtrasque operetur. Respondeo breuiter, animam separatam nouas species habere preter eas, quas acquisiuit in corpore, & eas non acquirere per opus intellectus agentis nèc à rebus accipere, sed per infusionẽ à Deo, & per has atque illas intelligere. Ratio est, quia modus operandi sequitur modum essendi: sed anima rationalis in statu separationis habet alium modum essendi, cùm non informet corpus, sed separata sit ab eo, & omninò per se subsistat ad modum & similitudinẽ Angelorum: ergo debet habere modum operandi similem, & ex consequenti principia tali modo operandi congrua, quæ sunt species, quas debebit eodem modo accipere; non igitùr à rebus, sicut nec accipiunt eas à rebus Angeli, sed à Deo per infusionem.

10. Quomodo autem Anima separata existat in loco, & quomodo moueatur localiter, dependet ex materia de Angelis, & ideò Theologis relinquuntur. Et hæc dicta sufficiant pro hac disputatione, & tota philosophia naturali. Finis.

FINIS.

IN-

I N D E X

Titulorum, qui in hoc secundo tomo continentur.

PRIMA PARS
PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

§. 1.

SECVNDA PARS

PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

Quaes.

TERTIA PARS

PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

TRACTATVS VNVS.

QVARTA PARS PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

FINIS.

Pri-

Primus numerus paginam, secundus columnam, tertius lineam designat.

Pag. coll. l. errata	corrige.
2.2.10. seu	seu
8.2.27. quatta	quarta
13.2.18. tammen	tamen
13.2.35. rac in	ratio
13.2.42. cassientia, vt sic,	existētię vt sic,
15.1.15. in dist.	in 2. dist.
16.1.19. sepatata	separata
16.2.21. num. 24.	num. 25.
19.1.16. quo rres extra	quo res est extra
21.2.33. posis	possit
22.1. 2. propter	propter
22.1.32. existere	existeret
24.2.10. completimur	complectimur
27.2.40. Lanellus	Iauellus
28.1.34. vel vt	velut
28.2.31. propietas	propietates
29.1.12. loquitur	loquimur
29.1.38. faillcet	scilicet
32.1. 7. rationale	rationalem
33.1.41. antec.	Antecedens
37.2.40. tantum	tamen
39.2.31. ostentum	ostensum
39.2.32. anologica	analogia
40.2. 6. manifset	manifeste
42.1.39. probat	probat.n.
44.1.17. si viuirentur	si.n.viuirentur
44.2.31. matetia	materia
45.2. 6. tum	tamen
50.1.12. sub quacumque	sub quocūque
50.1.15. sub quacumque	sub quocūque
55.1.15. non cōseruantur	nō cōseruatur
55.2.38. princia	principium
57.2.22. naturæ, tu tali	naturæ vt tali
60.2.35. vel illa	vel illa
63.2.12. non eret	non fieret
65.2.31. aiiud	aliud
67.2.10. dictum ex nihilo	factū ex nihilo
67.1.15. nullum	nullum
67.2.21. tsum	vtrum
70.1. 8. sppponimus	supponimus
74.2.17. Dubium tertium	Dubiū quartū
74.2.19. sinelit	si velit
78.2. 2. proberetur	probaretur
81.2.23. parts	3. part.
82.1.18. penquam	per quem
82.1.40. & æque	& tamen æque

Pag. coll. l. errata	corrige.
84.2.14. daterminari	determinari
85.1.19. Respondebo	Respondeo
88.1.12. poneretnr	poneretur
89.2. 4. cum ereatis	cum creaturis
90.2.25. hpysicis	physicis
92.1.27. cōcurrere cū Deo	concurrere
93.1.37. qualis est	quale est
95.1.22. distinguantur	distinguatur
96.1.34. dimotionis	diuisionis
100.1.31. tom. 2.	tom. 3.
101.1.22. dubium tertium	dubiū secundū
102.1.23. inutile	inutile
102.2.10. boni	bonitas
103.1.15. sufficere	sufficere
104.1.39. lienam	lineam
104.2.14. tatione	ratione
104.2.23. voluniati	voluntati
106.2.39. primnm	primum
108.1. 3. Soccinas	Soncinas
108.1.25. essequuto	assequuto
108.1.38. Vincenzo	Vincentio
110.1. 6. finnæ	finie
110.2.39. vt medium	vel medium
111.1.42. causæ	causæ
112.1.28. essiciens	efficiens
112.2. 9. est perfectio	est perfectior
113.1.27. habent	habet
114.1.41. considerantur	consideratur
114.1.42. vt ordinetur	vt ordinatur
114.2. 2. formia	formam
114.2.32. ex tali mana	ex tali materia
118.2. 5. in efficax	inefficax
119.2.16. Quol	Quod
120.1.16. absciscionem	abscissionem
123.1.29. quo adcausam	quoad causam
124.1.17. impoffibile	impossibile
125.2.23. succcssiuè	successiuæ
126.1.12. priori	priori
128.1.35. augumentum	augmentum
128.2.10. indiuisibili	indiuisibili
128.2.30. augumentatio	augmentatio
128.2.36. conlusio	conclusio
131.1.38. presigit	præfigit
132.1.5. cotinetur	continetur
132.1.30. possibile	possibile
133.2.42. sine successiones	sine successione
136.1.16. de explectione:	de expletione
140.1.22. à Clęo	à Cęlo
141.1.34. superaturaliter	supernaturaliter

Pag.col.l.	*errata*	*corrige*
142.2.15.	expelpellere	expellere
143.1. 3.	ſpſatio	ſpatio
143.2.44.	aduc	adbuc
144.2. 7.	ſuceſſio	ſucceſſio
144.2.25.	uunc eſt	nunc eſt
151.1.19.	diſtans	indiſtans
154.1.14.	ſynouimas	ſynouimas
160.2.24.	continuum	continuum
161.1.36.	indiuiſiibilia	indiuiſibilia
162.2. 4.	infiringit	infringit
164.2. 2.	iu hoc	in hoc
165.1. 9.	foiutio	ſolutio
165.2.35.	extrinſecam	extrinſecum
168.1.24.	omiſſa eſt Diſp.XXII.	
169.2. 2.	Vnum	Verum
170.2.25.	ſtipefacit	ſtupefacit
170.2.39.	ad iliam	ad illam
171.1.11.	moſus	motus
172.2.31.	iuterficiet	interficiat
174.1.21.	ſimpulſum	impulſum
176.1.26.	Ferrarientis	Ferrarienſis
176 2.29.	dutationem	durationem
176.2.41.	ſit	ſit
179.2. 4.	qòud	quòd
180.2. 1.	poſie	poſſe
181.2.26.	non ſit	non ſit
182.2. 1.	iliud	illud
183. . 5.	Prœemium	Prooœmium
184.2.36.	peruus	paruus
188.2.36.	Dens	Deus
191.2.24.	nullaui	nulla vi
192.2.38.	manum	manuum
195.1. 4.	exercere	exercere
195.1.34.	cenſet	cenſet
195.2. 1.	fal ſum	falſum
195.2.12.	opppſitus	oppoſitus
195.2.21.	omes	omnes
195.2.37.	ocœleſtia	cœleſtia
197.2.35.	repetitur	reperitur
201.1.31.	paſſiuam	paſſiuam
201.2. 8.	diſtinguuntur	diſtinguantur
202.2.12.	incorruptibilis	incorruptibiles
203.2.10.	ſtcundò	ſecundò
204.1.10.	comſpexerunt	conſpexerunt
206.1.39.	commuacr	communiter
206.2.41.	peliem	pellem
208.2.42.	nó deſignatur cius	nó deſignatur figura cius
209.1.18.	dub. 4.	d[illegible]. 6.

Pag.col.l.	*errata*	*corrige*
209.2.32.	in ipſa, cælo	in ipſo cælo
209.2.36.	prædictum	præditum
212.2.24.	nuſlum	nullum
213.1.45.	iudicare	indicare
214.1.32.	graſſities	craſſities
214.1.37.	erra:	terra
215.2. 5.	contrario	è contrario
217. .vlt.	ly *quę* eſt ſuperfluum.	
220.1.14.	graſſas	craſſas
225.2.15.	aliquid	aliquod
229.2.12.	denundaretur	denudaretur
230.1.32.	corporictas	corporeitas
231.1.22.	multipliciter	multiplicetur
240.1.20.	impſiſſibile	impoſſibile
243.2.27.	nengandum	negandum
247.2.38.	parte	partes
250.1. 4.	prùis	priùs
253.2.27.	quolibet	quodlibet
260.2.24.	operationẽ vitalẽ	operationem naturalem
260.2.45.	acquiſrita	acquiſita
263.1.14.	nira	intra
266.1.41.	plu-	plurium
267.1.28.	paſſi	paſſi
268.1.40.	actulis	actualis
268.2. 9.	ad augumentũ	ad argumentum
268.2.44.	ab ips	ab ipſa
268.2.45.	ſic de alij	ſic de alijs
278.2.35.	definiuuntur	definiuntur
279.1.15.	ſimpiicitur	ſimpliciter
279.2.31.	recedunti	recedunt
279.2.32.	difform	difformi
280. .26.	ragione	regione
281.1. 4.	progeſſu	progreſſu
282.1.42.	butiminoſa	bituminoſa
282.2.37.	gignegnorum	gignendorum
283.2.12.	neceſſaria	neceſſariam
285.1.29.	poſito	poſito
288.1.32.	ſicca	ſicca
288.2.19.	raucam	raucum
292.1.26.	alla	alia
297.1.25.	habeat?	habeant?
303.2.25.	pecullarem	peculiarem
304.1.27.	monıodorum	modorum
307.2.18.	retractere	retractare
312.1.35.	in obſtracto	in abſtracto
353.2.15.	obſtractam	abſtractam

Plura alia, beneuole Lector, inuenies errata, quæ quia leuiora ſunt, à tua humanitate corrigantur.